7-163

DE

THEOLOGICO TESTIUM FONTE

COMMENTARIUS

471 — PARIS, IMPRIMERIE LALOUX FILS ET GUILLOT
7, rue des Canettes, 7

Klemens

CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE

THEOLOGICO TESTIUM FONTE

DEQUE

EDITO FIDEI TESTIMONIO SEU TRADITIONE

COMMENTARIUS

OPUS POSTHUMUM

Ω Τιμόθεε, τὴν παραθήκην φύλαξον
I. Tim. VI. 20.



PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA CASSETTE, ET VIA RHEDONENSI, 75

1878

(Omnia jura vindicabuntur)

3396

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/detheologicotest0000clem

LVDOVICO · ODOARDO · PIE

PONTIFICI · PICTAVIENSIVM

ALTERI · HILARIO

REI · CATHOLICÆ · AMPLIFICANDÆ · STVDIO

SACRARVM · DISCIPLINARVM · SCIENTIA

INVICTO · DICENDI · ROBORE

LONGE · CLARISSIMO

RESTITVTORI · LYCEI · MAGNI

QVOD · EVGENIVS · IV · P · M ·

ROGATV · KAROLI · VII · REGIS · GALLIARVM

PICTAVII · PRIMITVS · INSTITVERAT

LIBRVM · DE · THEOLOGICO · TESTIVM · FONTE

QVEM · CLEMENS · SCHRADER · E · S · J ·

NE · TYPIS · EDERET

MORTE · PROHIBITVS · EST

DOCTORES · DECVRIALES · LYCEI · EIVSDEM

GRATI · ET · OBSEQVENTIS · ANIMI

PIGNVS · DEDICANT

SEQUE · ET · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

APOSTOLICÆ · SEDIS · DOCTRINÆ

PRO · VIRIBVS · ADSERENDÆ

JVRIBVS · VINDICANDIS

ADPROBATIO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI EPISCOPI PICTAVIENSIS

Quamvis ad commendandum hunc posthumum R. P. Clementis Schrader commentarium DE THEOLOGICO TESTIUM FONTE tum nomen auctoris, tum alia ipsius pernota passimque diffusa scripta satis superque sufficiant; nostri tamen muneris partes implere arbitramur, dum hasce tractationes, in nostra Pictaviensi Facultate Theologica prius habitas, nunc autem sedulo ab egregii professoris alumnis et sociis collectas typisque mandatas, publica adprobatione munire et exornare satagimus.

Quas in cæteris quibuscumque R. P. Clementis Schrader elucubrationibus omnes mirati sunt et doctrinæ soliditatem et scientiæ plenitudinem et ingenii aciem necnon et dicendi copiam, easdem in præsenti commentario reperire est atque laudare; adeo ut quemadmodum nullus hunc librum evolverit quin saluberrima gratissimaque christianæ sapientiæ luce se senserit illustratum, ita tam cito apud nos exstinctum fuisse sidus a quo lux ista manabat nemo non doluerit.

Cunctos igitur ad quos pertinet enixe hortamur ut has doctissimas utilissimasque paginas perlegant scrutenturque ac meditentur.

Pictavis, die XX[a] Augusti anno MDCCCLXXVII, in festo S. Bernardi Ecclesiæ Doctoris.

+ LUDOVICUS EDUARDUS
Episcopus Pictaviensis.

ERRATA

Præter leviora aliquot menda, hæc corrigat benevolus lector

Pag. 91. not. (2) lin. 27. διί scribe : δι'

Pag. 96. not. (4) lin. 19. πρὸ αὐτῶν adde : παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν.

Pag. 171. not. (10) lin. 7. τὴν πατέρων adde : τὴν ἀνέκαθεν καὶ ἐ
ἀρχῆς παρὰ τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν ἀοιδίμων ἡμῶν πατέρων.

DE VITA ET SCRIPTIS

R. P. CLEMENTIS SCHRADER

I. Inter viros, qui restitutam hoc seculo Societatem Jesu maxime illustrarunt, insignem sibi locum jure vindicat Clemens Schrader, eximius fama Theologus, cujus vitam brevi hoc commentario complector, ut ejus memoria posteris commendetur. I. Ortus ejus et prima educatio.

Honestis parentibus natus est anno 1820, die 22 novembris, in pervigilio sancti Clementis, Papæ et Martyris, a quo in sacro baptismate nomen est mutuatus. Natale illi solum modicus in regno Hanovriæ pagus, haud procul Hildesio celebri urbe situs : Itzum indigenæ vernacula voce appellant. Neque ita multo post, quum natu parvus adhuc esset, sedem alio transtulit ejus familia, atque in finitimum quoddam oppidum, quod Giesen nominant, commigravit. Ibi summa innocentia primam transegit pueritiam. Institutores cum magnam de eo spem concepissent, auctores patri fuerunt, ut adolescentulus tredecim jam annos natus Hildesium mitteretur, quo litteris in gymnasio Josephino operam daret. Hoc autem est illustre Collegium a Societatis Jesu patribus olim exstructum, ubi ad hæc usque tempora ad omnem pietatem et doctrinam lecta juventus ab alterius Cleri sacerdotibus eruditur. Quo in gymnasio ut pietate nemini unquam fuit secundus, ita doctrina præstantissimos quosque condiscipulos brevi æquavit.

II. Confectis litterarum studiis, philosophiam anno 1839 aggressus est. Insequente autem anno illud, quod maxime in votis habebat, obtinuit, ut inter ephebos Collegii Germanici et Hungarici reciperetur. Quapropter Romam haud cunctanter se contulit, ut ibi sanam doctrinam ac pietatem, velut in fonte, animo combiberet. In nova hac tamque insigni palæstra quali se virtute præbuerit, verbis referam R. P. Augustini Delacroix, cujus memoria præclara apud nos perseverat. Cum enim, id temporis, Rector Collegio præesset, haberetque Clementis vitam plane compertam et exploratam, multa in ejus laudem congessit, hac breviloquentia usus : « Testificamur eum ab honestate mo- II. Romam ad Collegium Germanicum mittitur : ejus in virtute ac scientia profectus.

rum, pietate in Deum et observantia erga superiores magnopere commendari. » Quo factum est ut anno 1846 ad dirigendos in disciplina domestica juniores contubernales sit electus : quod sane munus adolescenti non nisi omnium probatissimo gerendum committitur. De ejus autem in scientiis progressu testimonium afferam viri æque insignis, R. P. Michaelis Xaverii Tomei studiorum tunc præfecti in Collegio Romano. « Fidem facimus virum hunc clarissimum philosophicarum disciplinarum curriculum triennio, theologicarum vero quadriennio magna cum laude emensum esse, seque ad studia Logicæ, Metaphysicæ, elementorum Matheseos, Ethicæ, Physicæ tum mathematicæ tum chimicæ, Philosophiæ Religionis, Astronomiæ, Calculi sublimioris, Scripturæ sacræ, Theologiæ dogmaticæ et moralis, Historiæ ecclesiasticæ, Eloquentiæ sacræ, linguæ Hebraicæ atque institutionum Canonicarum ita applicuisse, ut non modo ad gradus Baccalaurei, Prolytæ et ad Doctoris lauream tum in Philosophia tum in Theologia fuerit promotus, verum etiam solemnia de re philosophica atque theologica ediderit specimina, ac ea ingenii et eruditionis laude, ut dignus moderatorum unanimi suffragio habitus sit, qui universam Theologiam publica disputatione propugnaret. » Ut de aliquo ex iis scholasticis periculis mentionem faciam, exercitationem habuit astronomicam anno 1843 : triennio post centum et amplius theses de divina Trinitate defendit. Hac pietatis doctrinæque fama e Collegio Germanico discessit octavo fere anno postquam illud erat ingressus.

III. Societatem Jesu ingreditur : ejus tirocinium.

III. Discessit autem ut Societatem Jesu ingrederetur. Jam olim ab anno 1846, quo sacerdotio initiatus est, se allici ad Societatem atque divinitus impelli sensit. Illud mox incidit turbidum tempus, quo per omnem fere Europam, præsertim vero per Italiam, suis e sedibus Societas exturbata est, ejusque socii conviciis dirisque a perduellibus appetiti, huc illuc diu vagari coacti sunt. Sed hæc fortem juvenem a proposito non dimoverunt, quin in suscepto consilio confirmarunt. Supplicibus litteris Summum Pontificem efflagitavit, ut eum a juramento solveret, quo alumni Collegii Germanici tenentur domum redire, ibique per aliquot annos sub Episcopi regimine sacris se ministeriis addicere. Cum statim voti potens non fieret, rem Deo ac Beatæ Virgini enixis precibus commendans, denuo Summum Pontificem exoravit : qui juvenis constantia motus adnuit, potestatemque ei fecit Societatis ineundæ. Qua ex re magna ille lætitia affectus hæc memoriæ causa verba scripsit · « Die 11 martii, anno 1848, accepi nuntium de obtenta a

Papa dispensatione pro ingressu in Societatem Jesu per R. P. Præpositum Provincialem Paschalem Cambi. » Sic meruit Societati Jesu adscribi : adlectus autem est, ut ipse cupiebat, inter socios Provinciæ Romanæ.

Anno 1848, die 4 aprilis, Roma profectus est, seque in patriam, quo parentibus valediceret, contulit. Optatissimum eumdemque unicum filium a se divelli parentes quidem ægre tulerunt : sed qua erant virtute prædíti ejus votis non intercessere. E vestigio in Angliam trajecit, ac, die 10 maii, ad pagum, cui nomen Chudleigh, in provincia Devonshire situm pervenit. Ibi insequenti die tirocinium inchoavit in domo, quæ Ugbrook appellatur : hanc nobilissimus vir Hugo Clifford Societati liberaliter obtulerat, ut ibi scholastici Provinciæ Romanæ ab Urbe ejecti hospitium haberent atque instituerentur. Sed aliquot post menses Gandavum in Belgio missus est, ubi in domo probationis Trunciniensis spatio unius circiter anni degit : demum in Collegio Lovaniensi tirocinium absolvit, simpliciaque de more vota nuncupavit. Quo vero animo Societatem ingressus sit, hæc ostendunt verba, quæ ab eo conscripta reperi : « Volo fortiter sanctus fieri, volo sanctus fieri in Societate Jesu, ad hoc veni ! » Inania hæc non fuisse, declararunt et ardor, quo ab ipso primo ingressu se totum religiosæ perfectionis studio dedidit, et eximia, quæ nobis reliquit, exempla virtutum.

IV. Ejus magisterium Lovanii, Romæ, Vindobonæ, Pictavii.

IV. Tanti eum moderatores faciebant, ut ei adhuc tironi provinciam demandarint Theologiæ dogmaticæ tradendæ in Collegio Lovaniensi. Exeunte autem anno 1850, Romam (quo nil ei gratius accidere poterat) redire jubetur, in Collegio Romano Theologiam docturus. Septem continenter annos in Urbe est commoratus : ac primo quidem scholæ præfectus est introductionis ad sacram Scripturam, tum Theologiam dogmaticam docuit. Quum vero, anno 1857, Societati offerretur cathedra Theologiæ dogmaticæ in Academia Vindobonensi, hæc rogatu etiam Eminentissimi Cardinalis Josephi Rauscher Patri Schrader a moderatoribus collata est. Eo in munere perstitit annos decem. Vindobona Romam rediit initio statim anni 1868, quo anno theologus Pontificius pro Concilio Vaticano est delectus : Concilio autem intermisso in Urbe mansit, et biennium sacræ Scripturæ interpretem egit in universitate Gregoriana. Ultimo demum vitæ triennio Pictavii theologicas præceptiones tradidit. Cum enim illustrissimus ac reverendissimus D. Ludovicus Eduardus Pie, hujus Ecclesiæ Antistes, ut suæ aliarumque etiam diœcesium juvenibus opportunitatem præberet

se cumulatius in sacris disciplinis perficiendi, theologicam vellet facultatem Pictavii instituere ; Patrem Schrader, qui hujus operis initia poneret, nominatim petierat.

Doctoris porro munere ubique functus est cum laude, quam pro acerrimo ingenio, eoque maximis curis et incredibili solertia exculto promerebatur. Fuit enim vir ad studiorum labores impiger, qui legendo scribendoque vitam contriverit. In SS. Patrum lectione cum primis versatus fuit, et in hac Theologiæ parte omnium judicio excelluit. Quorum doctrinam ut non ex interpretibus vel peritissimis, sed purius in ipso fonte hauriret, Græcam linguam aliasque plures didicit Orientalium populorum. Sic, anno 1854, plurimum studii ac laboris contulit ad Copticam linguam addiscendam, quo ex liturgicis Coptorum libris argumenta ad Immaculatum B. Deiparæ Conceptum tuendum depromeret. Tot tantisque ornatus præsidiis discipulos catholicis imbuebat doctrinis et amore erga Ecclesiam et Petri Sedem inflammabat. Hoc opus illi quamdiu vixit, hic labor fuit, in eumque finem assiduis Deum precibus exorabat. Illud etiam solemne servabat, ut ante scholam Rosarium Deiparæ decurreret, quo B. Virginem sapientiæ sedem sibi et discipulis conciliaret. Votis respondit eventus. Ex ejus schola viri prodierunt illustres, qui tum voce tum scriptis optime sunt de catholica religione meriti, quorum haud pauci ad amplissimas sunt Ecclesiæ dignitates evecti.

V. Editi ab eo libri.

V. Multis etiam editis libris religionis causam defensitavit. Omnes quidem magni a doctis fiunt : ille vero præcipue, qui *de Unitate Romana* inscribitur, quem Romanus Pontifex Pius IX duabus epistolis ad auctorem missis commendavit. Summam doctrinæ, quam e tot insignibus cathedris tradiderat, exposuit octo in lucem editis thesium ordinibus. Anno demum 1874 morem amicis expostulantibus gerendum esse duxit, consiliumque iniit typis vulgandi fusam singularum Theologiæ quæstionum explicationem. Hoc opus, quo Theologiam universam maximopere illustratum iri omnes merito arbitrabamur, præmatura morte abreptus adducere ad exitum nequivit. Duo tantum edidit volumina, alterum *de Theologia generatim*, alterum *de Creatione generatim* : e quibus conjici potest quantam in hujus viri funere jacturam sacræ litteræ fecerint. Indicem librorum, quos de re theologica edidit, hic subjiciam.

Petavii Opus de theologicis dogmatibus expolitum et auctum, collectis studiis Caroli Passaglia et Clementis Schrader e S. J. Tomus I. Romæ, typis de Prop. Fide, 1857.

Theses theologicæ quas synopsis instar auditoribus tradidit P. Clemens Schrader S. J. Series octo, videlicet

Series I. De triplici ordine naturali, præter-et supernaturali, deque habitu scientiam inter ac fidem. De primo deque secundo Adamo, sive de ordine lapsus atque ruinæ deque ordine reformationis atque reparationis. De theologicis testium ac instrumentorum fontibus. De Deo κατ' ουσίαν et καθ' ὑπόστασιν. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1861.

Series II. De divino intellectu et de Dei voluntate. Accedit de prædestinatione commentarius I. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1863. — Idem. Editio secunda, Pictavii, Oudin, 1874.

Series III. De gratia divina. Accedit de prædestinati ne commentarius II. Vindobonæ, Mayer, 1864.

Series IV. De N. L. sacramentis generatim, et de N. L. sacrificio. Accedit de prædestinatione commentarius III. Vindobonæ, Mayer, 1865.

Series V. De divinissimo sanctæ Trinitatis ordine. Accedit de gratia actuali commentarius. Vindobonæ, Mayer, 1865.

Series VI. De Verbo Dei Unigenito. Accedit de fide utrum imperari ea possit, deque libertate conscientiæ commentarius dogmaticus. Vindobonæ, Mayer, 1868.

Series VII. De Ecclesia Christi. Accedit commentarius de hominum societate generatim. Vindobonæ, Mayer, 1869.

Series VIII. De Theologiæ prolegomenis et de Angelis. Accedit de prædestinatione commentarius IV. Pictavii, Oudin, 1874.

De Unitate Romana commentarius. Liber I. διδακτικός. Friburgi Brisgov., Herder, 1862. Liber II. πραγματικός. Vindob. Mayer, 1866.

De triplici ordine naturali, præternaturali et supernaturali commentarius. Vindobonæ, Mayer, 1864. — Idem. Edit. secunda, Parisiis, Lethielleux, 1877.

De Theologia generatim commentarius in sacram Theologiam δογγὸς. Pictavii, Oudin, 1874.

De Deo creante sive de auctore ordinis naturalis. Commentarius I de creatione generatim. Pictavii, Oudin, 1874.

Commentarius de theologico testium fonte vel de Traditione divina. Opus posthumum. Parisiis, Lethielleux, 1877 (1).

(1) Vide, sis, *la Bibliothèque des écrivains de la Comp. de Jésus, par le R. P. A. de Backer, tome III*, ubi aliquot Patris Schrader opuscula Germanica lingua edita recensentur.

VI. De susceptio a nobis consilio evulgandi posthumum hoc opus de divina Traditione.

VI. Hic autem res monet, ut de hoc opere, quod nunc primum in lucem prodit, aliquid dicam. Postremo quo vixit anno, theses has omnes *de Traditione divina* in scholis explicabat : simul vero opus, quod hac de re multis ante annis scripserat, magna cura perficiebat, atque iis præsertim diebus, quibus ante quadragesimam a schola cessatur, totus in eo erat ut extremam illi manum imponeret. Hæc ipsemet iterum ac tertio significavit, addiditque se opus hoc ita jam expolitum habere, ut statim post librum *de Deo creante* typis edi posset. Sed adventante quadragesima lethali morbo correptus fuit. Visum itaque est ejusmodi scripta, quibus ultima lima non defuit, ad auctoris decus communemque utilitatem in vulgus efferre : nec est dubium, quin susceptum hoc consilium amici auditoresque Patris Schrader vehementer sint probaturi (1).

VII. Ejus labores dum theologum ageret Pontificium in Congregationibus de definiendo dogmate Immaculati Beatæ Deiparentis Conceptus.

VII. Jamvero duplex temporum opportunitas obtigit, in qua præstantis ejus doctrinæ lumen majorem in modum effulsit : quemadmodum nunc exponam. Quum anno 1852, ad dogma Immaculati B. Mariæ V. Conceptus definiendum illustrium aliquot theologorum congregatio a Summo Pontifice Pio IX instituetur, in amplissimum illum cœtum P. Schrader est cooptatus. Quo quidem nihil ei honorificentius, tum quod provecta aetate non esset, tum quod magisterio vix triennium fuisset perfunctus. Cliens Beatæ Dei Parentis amantissimus nihil potius habuit, quam ut ejus opem enixe imploraret, studium suum pollicitus in omni genere obsequii, præsertim vero, se nihil typis excudendum esse daturum, quod non illi dicatum consecratumque vellet. Tunc autem quidquid in se ingenii doctrinæque erat, id omne maximo animi gaudio ad hoc efficiendum contulit, ut quamprimum Magnæ Dei Matris conceptus ab omni labe immunis dogmate sanciretur. Qua in re nec industriæ nec labori nec diligentiæ pepercit. Ita testantur qui se illi socios operæ studiorumque addiderunt. Sed testimonio etiam sunt tria illa insignia sane volumina *de immaculato Deiparæ semper Virginis conceptu*, quæ Romæ edita fuerunt anno 1854. Ea Patri Schrader magnam partem deberi nemo eat infitias. Hoc enim sæpius in iis diserte affirmatur, præsertim vero in præfatione partis primæ hisce verbis : « Noverint, idque quo verius est eo libentius fatemur, nos

(1) In hoc libro vulgando diligentissimam atque assiduam operam mihi præstitere R. D. Augustus Louichon et R. P. Petrus Lucas S. J. quibus hic meritas ago gratias, debitasque laudes tribuo.

sive hæc meditaremur, sive manum operi admoveremus, tum in investigandis, explanandis et disponendis opportune monumentis, tum in iis quæ complecti, assequi, conficere et tanquam ex principiis ostendere opus erat, ejus viri ingenio, doctrina, consilio atque opera usos esse, cujus quemadmodum amicitiam unice colimus, ita amplissimam in rebus theologicis scientiam plurimi facimus vehementerque suspicimus. Is est P. Clemens Schrader introductionis ad sacras litteras in Romano Collegio doctor decurialis, qui non theologicæ modo disciplinæ scientissimus, sed et philologica peritia egregie excultus, tanto nobis usui et auxilio fuit, ut eum hujus nostri operis non modo socium, sed auctorem etiam æquo jure existimemus. » Quod idem P. Schrader in commentario *de triplici ordine* (1) asserit « se nempe opus illud communibus curis conscripsisse. »

VIII. Ejus opera Vaticani Concilii tempore, quo theologus Pontificius denuo eligitur.

VIII. Pari ratione se gessit Vaticani Concilii tempore ab anno nempe 1868, quo, ut dixi, a Romano Pontifice delectus est theologus *Commissionis pro fide et moribus*, ad annum 1870. Toto hoc tempore magni fuit ejus opera : certe infallibilitatis Pontificiæ defensionem tam fortiter suscepit, pro eaque tam strenue laboravit, quam qui maxime. Hic animi ardor quantus in eo fuerit difficile dictu est, sed ex his facile dignosci potest, quæ ab eo conscripta ad verbum refero : « Ab anno 1868 obtuli B. V. Mariæ sacrificium, quo me victimam viderem defensæ a me infallibilitatis Pontificiæ. »

IX. Plura de ejus virtutibus : ac primum de pietate in Deum ac de cultu erga SS. Virginem Dei Matrem.

IX. Merito igitur P. Clemens Schrader inter doctos nostræ ætatis viros recensetur. At idem fuit sapiens sapientia illa cœlesti, quæ sanctitas est. Vitam enim exigere ad religiosissimam virtutis normam in deliciis habuit. Quæ autem perfectioni conducerent agnoscere satagebat : quod vero semel intellexisset sanctitati conferre, id assequi strenue nitebatur. Hæc quidem jam ex dictis conjici possunt : alia tamen pauca persequar. Orandi studio apprime deditus præfinitum precationi tempus constanter et fideliter Deo consecrabat. Quum eo morbo, quo postea decessit, graviter jam laborare cœpisset, totamque noctem insomnem duxisset, primo mane surrexit, quo cum aliis suetam meditationis horam perageret sacrumque faceret. Eademque die, quum ob febris æstum stare vix posset, discussionem conscientiæ erectus absolvit. Quotidie sacra mysteria maxima cum pietate celebrabat : si qua vero die rem divinam facere adversa prohibe-

(1) Vide pag. 64 et 144, edit. Vindob.

retur valetudine, diem se perdidisse aiebat. Sanctissimam Dei Genitricem a primis annis colere cœpit, et ad extremum usque spiritum, dilexit impense. Eam dulcissimo Matris suæ nomine identidem compellabat, seque Clementem Mariæ vocari cupiebat. Omnia quæ typis edidit opera (sicut eum pollicitum esse dixi), uni B. Deiparenti dicavit suavi hoc usus titulo :

SEDI · SAPIENTIÆ
VIRGINI · MATRI
AB · ORTV · PRIMO · DEI · FILIÆ
PATRONÆ · CLEMENTISSIMÆ
CLEMENS · SCHRADER
SODALIS · E · SOCIETATE · JESV
SVORVM · FRVCTVS · LABORVM
DEDICABAT

Exstat adhuc inter ejus scripta oratio de cultu erga Deiparam, quam Romæ ad alumnos Collegii Scotorum habuit : in ea dum alios ad amorem erga B. Virginem excitare contendit, ardentissimum quo ipse flagrabat amoris æstum prodit.

X. Humilitas animique demissio.

X. Humilitas animique demissio fuit in eo summa. Honorificis secundisque in rebus gloriam statim omnem Deo tribuebat, iis utens S. Pauli (1) verbis : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Divinam hanc sententiam crebris usurpabat sermonibus; itemque sæpissime in ore habebat dictum illud eucharisticum, quo nil Deo carius esse aiebat cum S. Augustino (2), nil nobis utilius : *Deo gratias.* Si quid vero adversi ei evenisset, id patienti et æquo animo ferebat, suas in Deum noxas causari solitus. Quinimmo *nullam sibi illatam injuriam propulsare statuerat, nisi obedientia aut evidens Dei gloria aliter postulasset.* Ita quæ sapientis fortisque viri laus semper fuit, nec secunda eum evehebant, nec demittebant adversa.

XI. De ejus fraterna in proximos caritate.

XI. Ejus etiam fraterna in proximos caritas summopere ab omnibus collaudatur. Hanc sibi constituerat servabatque legem, ut caritatis officia, quæ ab eo peterentur, Christi Domini amore alacer exsequeretur. Sed aliorum etiam desideria beneficiis prævenire studebat. Ita in domo Professorum Romana se gessit cum

(1) I Cor. IV, 7.

(2) Ep. 41, alias 77, ap. Migne lat. Pp. t. XXXIII, p. 158 : « Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam, *Deo gratias.* Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. »

fratre domesticæ rei adjutore, qui morbis licet atque extrema senectute confectus paulisper domo exire ambulatum discupiebat. Huic se P. Schrader comitem per plures menses adjunxit, quo tempore nimirum (neque enim est hoc reticendum) Theologi munere in Concilio Vaticano fungeretur. Ad fraternam caritatem referam curas laboresque, quos pro salute animarum sponte suscepit, quantum sane demandatum ei docendi studendique munus ferebat. Vindobonæ cum esset sodalitio B. V. Mariæ diu præfuit : quum secundo in Collegio Romano degeret, præfectum spiritus in Collegio Scotorum egit : Pictavii quum moraretur, Monialibus a Monte Carmelo et a Visitatione confessarius fuit, ut vocant, extraordinarius. Postremis præsertim annis confessiones excipiebat multorum, qui eum sibi animi moderatorem adlegerant, eoque in officio mitem se ac sanctum omnibus probabat. A concionibus etiam habendis haud abstinuit. Sed ceteris prætermissis, illud silentio non premam insigne caritatis documentum, quod Romæ edidit, die 20 septembris, anno 1870. Nam, venia accepta, una cum aliis e Societate patribus ad Urbis mœnia convolavit, ut militibus pro Summo Pontifice dimicantibus operam ultro navaret. Sibi enimvero non defuit vir hic fortis ac validus, et ad portam Piam, ubi maxime fervebat pugna, sub ignita missilium grandine ad exitum usque permansit. Paratus quippe erat vitam cum sanguine fundere in Sanctæ Sedis obsequium, pro qua voce atque scriptis tam strenue decertarat.

XII. Ceteræ ejus virtutes.

XII. Ut ceteras ejus virtutes brevissime perstringam, obedientiam magnopere coluit, nec minus paupertatis amator fuit. Nostrarum legum ac regularis disciplinæ cultor eximius, ne latum quidem unguem ab iisdem discessit : præcipue vero modestiæ regulas in semet ad vivum expressit. Ad has autem virtutes pervenit assidua vigilantia, qua omnes animi motus moderabatur. Quam curam diligentiamque in primis ostendit mos scripto notandi eos animi sensus, qui commentationum tempore a Deo illi immitterentur. Exemplo sint ea quæ ad totam vitam pie sancteque dirigendam scripsit anno 1870 in spiritualium exercitiorum secessu, quæque ex italico sermone de verbo ad verbum transfero.

« Proposita erga Deum. 1. Primum diei exordium, ut soleo, Deo consecrabo : tum actus virtutis divinos, etc.

2. Meditationem integre absolvam ante Missam ab hora 5 1/4 ad horam 6 1/4, si fieri possit.

3. Sacrum quotidie faciam quam potero maxima fide et pietate, cærimonias diligenter observans.

4. Quotidie librum aliquem pium et sacra Biblia perlegam per semihoram.

5. Sacrum item Rosarium quotidie Beatæ Virgini exsolvam.

6. Frequentissime, quantum potero, sacratissimum Sacramentum visitabo.

7. Conscientiæ examen integre perficiam utrumque : peculiare autem ab initio instituam circa hoc sanctioris vitæ propositum.

8. Ad Sacramentum Pœnitentiæ semel saltem qualibet hebdomada fervido animi sensu accedam, peccata mea expiaturus.

9. Singulis mensibus in spiritu renovando diem impendam.

10. Bis in anno generalem confessionem,

11. Quotannis vero exercitia spiritualia in sancta pace et summa cum religione peragam. »

« Proposita erga Proximum. 1. Abjiciam penitus præjudicia, quæ mihi occurrent, adversus sanctam caritatem.

2. Vincere nitar affectiones externas et internas in conversatione cum proximo.

3. Operam dabo ut me magis familiarem et carum exhibeam fratribus meis.

4. Nunquam committam, ut alteri obtrectem, moderatoribus præsertim.

5. Aliis, si quid flagiter, libens perinde ac Domino gratificabor ; quod etsi non rogatus, quantum in me est, præstabo. »

« Proposita erga meipsum. 1. Vigilem curam adhibebo in coercendis animi motibus communiens me cogitatione judicii aliorumque novissimorum, præsentiæ Dei et amoris Christi Jesu pro me crucifixi.

2. Curabo ut perfectior evadam in primis sancta humilitate, caritate ac puritate intentionis, cogitationum et affectuum : in eamque rem examine peculiari assidue utar.

3. Dedam me totum B. V. Mariæ ejusque curæ me committam : et sæpe repetam cum Ven. P. Ludovico De Ponte : *Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me et omnia mea, tua sanctissima voluntas. Amen.* »

Hactenus ille ; in his vero, uti omnes profitemur quotquot hic familiariter eo utebamur, religiosa vita P. Clementis Schrader descripta continetur. Sed pari eum ratione se gessisse, illi testantur omnes, qui cum eo alibi vixere, iique in primis, qui decem cum eo annis in residentia Vindobonensi degerunt. En luculentissimum de virtute Patris Schrader testimonium quod ab iis accepi. « In conversatione cum externis admodum modestus fuit et affabilis :

hinc omnes miro eum amore complectebantur, intimamque cum eo amicitiam jungebant. Nostra vero in domo eximium fuit omnibus exemplar religiosæ perfectionis, præcipue caritatis fraternæ et continuæ in rebus omnibus mortificationis. Observantiæ regularis in primis studiosus, communi a vita recedere gravi absque causa nunquam est visus. Quare Patres Fratresque omnes magno cum amore prosequebamnr ; cumque is pro Concilio Vaticano Romam est revocatus, amantissimum Patrem hinc abire vehementer dolebamus. »

XIII. Verum multo gravior cura hanc Pictaviensem familiam incessit, quum Sodalem carissimum non brevi quidem absentia digressum, sed morte ipsa sublatum denique vidit. Exeunte anno 1874, spiritualia exercitia peregit, tanto animi fervore ut hac super re talia scripserit : « Cumulavit me Deus gratia unionis secum : sentire me fecit desiderium vivum quo unum cum Ipso esse in æternum volo ! » Initio statim anni 1875 afflictari cœpit gravi lateris dolore, quem primum ita contempsit, ut pauca ad eum levandum remedia adhibuerit, nihil vero de laborum contentione et assiduitate remiserit. Sed tandem die 16 februarii pleuritis manifesta erupit : tunc primum vir fortis ac validus laborare destitit, morbi nimirum victus violentia. Nil quidem prætermissum est quo sanitati restitueretur. Dici vero nequit quot vota precesque Deo omnes effuderimus ad ejus valetudinem impetrandam. Ad aram B. V. Mariæ sacra quotidie mysteria celebrabantur : discipuli novendiales eidem sanctæ Deiparenti supplicationes adhibuerunt. Sanctimoniales a Monte Carmelo totam noctem in precibus traduxere, nec inter eas defuere quæ vitam propriam pro carissimi patris vita Deo offerrent. Ipse interea in lectulo recubans præclara virtutum exempla edebat. Acerbissimos dolores, somnum ei continenter abrumpentes, ferebat patientissime, illud Davidis, cum acrius cruciaretur, ingeminans : *Miserere mei, Deus.* Ea erat modestia ac verecundia ut se, prout morbus postulabat, ab ullo tractari non sineret, nisi necessitate et obedientia compulsus. Semel dumtaxat, quippe quem moderatoris mandatum lateret, remedium quoddam cum recusasset, vix illius desiderium comperit, ita se ad ejus nutum accommodavit, ut quod modo abnuerat, mox deinde ipsemet deposceret. Nec illud præteribo, quam gratum se præbuerit erga illos, qui sibi ægrotanti qualecumque caritatis officium præstitissent : quum ob spiritus angustiam loqui vix posset, ore, oculis atque etiam lacrimis gratiam se ipsis habere declarabat.

XIII. Ejus obitus.

Die 20 februarii sua ipse sponte me rogavit, ut triduum piis precationibus in honorem sanctæ Walburgis, virginis, cujus dies festus instabat, secum transigerem. Ultro libentique animo cum annuissem, ipso præeunte, breves aliquot preces recitabam, quibus peractis, dextrum ei latus, quod maxime doloris morsus divexabat, S. Walburgis (1) oleo inungebam. Ut ad diem 22 februarii ventum est, R. P. Georgium Rousseau, quo conscientiæ moderatore utebatur, sub vesperum advocavit, ut animum sacramentali confessione expiaret. Convenerat enim mecum ut postridie ejus diei, quo triduum absolveretur, rem ego divinam facerem in S. P. N. Ignatii sacello eique de altari sacram dapem libandam afferrem. Verum, quum ob morbi vehementiam sibi supremam adventare horam videret, mutato consilio, paulo ante mediam noctem, summa religione sacratissimum Christi Domini Corpus suscepit, sacroque oleo inunctus est a R. P. Ernesto Chambellan residentiæ hujus moderatore. Tum vero conjectis in Christi Crucifixi imaginem oculis reliquas horas in cœlestium contemplatione impendit. Illa præsertim verba sibi iterari amabat, *recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die*, etc., et has inter suavissimas preces sacra Christi vulnera peramanter osculabatur. Jamque magis atque magis ingravescens morbi vis supremum exitium minitabatur, quum ad me conversus : *In cœlum*, intermortuis inquit verbis, *in cœlum*. Ad spem eum erexi, simulque monui me jam jamque sacrum pro eo facturum in sacello, quod ejus cubiculo continens erat. Equidem, ut promiseram, ad aram accessi operaturus. At post peractam consecrationem decessit placidissime, dum hæc ei suggererentur verba : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*. Obiit die 23 februarii, anno 1875, annos natus quatuor et quinquaginta, quorum septem et viginti in Societate Jesu religiosissime vixerat, totidemque fere in sacræ Theologiæ tradendæ munere impenderat.

(1) S. Walburgis Virgo patrem habuit S. Richardum Anglorum regem, et sanctorum Willibaldi et Wunibaldi soror fuit. A S. Bonifacio Germanorum apostolo ex Anglia in Germaniam arcessita est, et monasterio Heidenheimensi magna cum laude præfuit. Decessit Heidenheimii anno fere 778, die 25 februarii : ejus corpus Eystadium translatum est ac honorifico conditum sepulchro, quod limpidissimo salutiferoque oleo manare cœpit, atque ad hoc tempus statis diebus manat. Quo fit ut S. Walburgis nomen Angli æque atque Germani maximo in honore habeant. (Cf. Acta Sanct. Bolland. die XXV februarii.) Ad ejus tumulum invisendum P. Schrader, cum iter per Bavariam faceret, diverterat, indeque simul cum magna erga S. Walburgem pietate aliquantulum olei, de quo memini, secum attulerat.

XIV. Statim ac ejus obitus fama percrebuit, ingens fuit omnium mœror luctusque. Pietatis doctrinæque insignis laudem ei deferebant omnes, quam laudem non in Gallia solum, sed in Italia quoque Anglia ac Germania publicæ ephemerides amplissimis ei verbis tribuerunt. Eumdem in modum de eo ad nos scribebant R. P. Petrus Ragazzini Provinciæ Romanæ Præpositus et admodum Rev. P. N. Generalis Petrus Beckx, qui eum appellabat *virum doctum ac ferventem religiosum*. Hoc porro præconium cum illo congruit, quo multo jam ante eum prosequi dignatus fuerat ipse summus Pontifex Pius IX : in priore enim epistola (1) quam, post editum opus *de Unitate Romana*, gratulationis indicem ei misit, commemorat ejus *pietatem egregiam et doctrinam multis argumentis Sibi perspectam*. Magnus itaque fuit concursus ad demortui cadaver visendum, tertio præsertim ab obitu die, quo in nostra Ecclesia justa ei persoluta sunt. Missa solemnis decantata est ab alumnis Seminarii, qui erga patrem ac præceptorem suum omnem amoris significationem ediderunt. Ejus corpus, nemine a lacrimis temperante, humatum est in coemeterio parœciæ S. Porcarii. Amici demum et discipuli, collato ære, monumentum eo in loco exstruendum curarunt eique elogium hoc addidere : XIV. Laudes et honores ei post mortem tributi.

CLEMENS · SCHRADER
S · J · PROFESSVS
ROM · PONTIFICIS · THEOLOGVS
IN · CONGREGATIONIBVS
PRO · DEFINIENDO · B · M · V ·
IMMACVLATO · CONCEPTV
CONSVLTOR
COMMISSIONIS · DOGMATICÆ
IN · CONC · VATICANO
MAGISTERIO · LIBRISQ · EDITIS
AC · MORVM · INNOCENTIA
PRÆCLARUS
NATVS · IN · HANOVRIA
III KAL · DEC · MDCCCXX
MORTUUS · PICTAVII
VII · KAL · MART · MDCCCLXXV
HINC · IMMORTALIS · RESVRGET

(1) Ea exstat initio voluminis secundi *de unit. rom.*

XV. Aliquid de ejusdem forma corporis, amabilique animi indole.

XV. Fuit vir statura haud parva, vultu vero adspectuque ad gravitatem majestatemque composito. Sed simul tanta erat in eo benignitas oris et sermonis, ejusque acta ac dicta tantum animi candorem innocentiamque spirabant, ut statim sui admirationem omnibus injiceret, omnesque sibi amore devinciret. Cujus rei testimonium proferam gravissimum ex epistola (1), quam illustrissimus ac reverendissimus diœceseos Pictaviensis Antistes ad clerum scripsit die 8 aprilis anni 1875. « Nemo cum eo egit, quin aliquid conjectaret de summa ejus humilitate, de amore paupertatis, de mira animi moderatione, de patienti comitate, de fide vivida, de tenera sinceraque pietate, de alienæ salutis studio, de caritate erga omnes, maxime vero in parvulos. Nemo non reverenter ad eum accedere poterat : serio factitabat omnia. Mores ejus simplices, etsi graves, fiduciam conciliabant. Nemo ex ejus congressu redibat, quin aliquod virtutis documentum cepisset. » Talis quum esset, amicos veros et admiratores, ubicumque degit, quam plurimos habuit, non modo ex Societate Jesu, sed ex amplissimo quolibet civium ordine atque cœtu. Quorum nomina si singillatim hic persequi vellem, viros connumerarem sive ecclesiastica sive civili dignitate spectatissimos, rebusque gestis perinsignes.

Sed meo potius eorumque omnium nomine ad te sermonem convertam, *o dilecte Deo et hominibus*, Pater Clemens! Te jam in cœlo receptum tuorum præmium operum percepisse confidimus atque lætamur. Nobis nunc qui, te ex hac luce erepto, recenti quasi ex vulnere adhuc dolemus, præsto sis, quosque superstes tanta jam benevolentia complectebaris, eosdem nunc cœlesti ex arce potentiori præsidio tueare.

Augustus FERRETTI, S. J.

---

(1) En ipsa illustrissimi Præsulis verba : « Nul ne l'a fréquenté sans deviner quelque chose de son humilité profonde, de son esprit de pauvreté, de sa merveilleuse abnégation, de sa douceur patiente, de sa foi vive, de sa piété tendre et candide, de son zèle pour les âmes, de sa charité envers tous, mais surtout envers les petits. On ne pouvait l'aborder sans respect : il faisait tout sérieusement : ses manières simples, quoique graves, inspiraient la confiance, on ne le quittait jamais sans édification. » (Voyez *la Semaine liturgique du diocèse de Poitiers*, 18 avril 1875, ou *l'Univers*, 15 avril 1875).

PROLOGUS

DE LOCIS THEOLOGICIS UNIVERSIM

1. — Tractatio hæc, quam de testibus inscripsimus, ad id genus tractationum theologicarum pertinet, quod recepto in scholis loquendi usu de locis theologicis dici consuevit. Quare quum omnis ordinata disputatio exigat, ut priusquam ad rei speciem venias, prævia oratione, quale illius genus sit, seu, quo illa generatim spectet, declares : expedire videtur, ut brevi prologo de vi ac ratione locorum theologicorum disseratur.

1. Ad quod genus tractationum theologicarum pertinet tractatio de testibus.

§ I. — De vi ac ratione locorum theologicorum generatim : quæstio definitionis ac nominalis.

2. — Quid dictione, locus theologicus, venit? Id constabit illico, ac intelligatur, quid voce, locus, τόπος, in scientiis veniat. Quum vero terminologia universim tam technica quam scientifica, ut dicunt, lingua formetur potissimum græca, philosophica autem ac theologica in primis ab usu loquendi aristotelico dependeat, explorandus Aristoteles est. Docet itaque Aristoteles (1), « circa dialecticorum rhetorumque argumenta versari locos ». Deinde (2) pergit : « Loci vero dicuntur ii, qui communiter de rebus, quæ ad mores et ad naturam et ad scientiam civilem multaque alia specie ab invicem differentia spectant, argumenta continent, ut locus qui a majore et minore dicitur. » E quibus liquet, id Aristoteli locum esse, unde sive philosophus sive rhetor vel probandi vel persuadendi rationum momenta ducit. Quod sollerter

2. Quid voce, τόπος, veniat apud Græcos.

(1) Rhetoric. l. I. c. II. n. 7. Λέγω γὰρ διαλεκτικοὺς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν.

(2) Ibidem. Οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ κοινῇ περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν καὶ περὶ πολιτικων καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει, οἷον ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ τοῦ ἧττον τόπος.

Suidas animadvertit, dum (1) monet : « Qui vero apud Aristotelem τόποι, propter similitudinem cum loco physico ita vocantur ; loci enim principium sunt et fundamentum variarum argumentationum. » Scilicet quemadmodum eodem auctore Aristotele (2) locus physicus est primus complectens quodvis corporum limes, illudque proinde quod corpora continet, vel ubi, teste Varrone (3), eadem consistunt : ita translata re a physico corporum ad ordinem logicum scientiarum, τόπον illud dixerunt, quod disciplinarum principia complectitur fontemque constituit, e quo suas illæ rationes petunt. Hinc declarat Alexander Aphrodisiensis (4) : « Aristotelis vero opus Topica inscribitur, eo quod loci quidam in iis traduntur, quibus instructi de qualibet re proposita probabiliter argumentari possimus ; est enim locus principium vel elementum, a quo de quavis re accipimus rationes. »

3. Quid voce, *locus*, veniat apud latinos.

3. — Huic autem apud græcos τῶν τόπων significationi plane respondet locorum acceptio apud latinos, ad quos ab illis derivata vel ipsa vox est. Ita namque habet Cicero (5) : « Itaque licet definire locum esse argumenti sedem ; » et iterum de illorum necessitate : « Cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus ; » tum (6) alibi : « Traditi, inquit, sunt, ex quibus argumenta ducantur, duplices loci, uni e rebus ipsis, alteri assumpti. » A qua Tullii descriptione ea aliena nullatenus est, quam tradit (7) Quintilianus : « Locos, ait, appello sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda. » Quæ quum in me-

(1) Ad vocem τόπος : Οἱ δὲ παρὰ Ἀριστοτέλει τόποι διὰ τὸ ἔχειν τινὰ ὁμοιότητα τῷ φυσικῷ τόπῳ λέγονται· τόποι δ' εἰσὶν ἀρχὴ καὶ ἀφορμὴ διαφόρων ἐπιχειρημάτων.

(2) Phys. l. IV. Τὸ πρῶτον περιέχον ἕκαστον τῶν σωμάτων πέρας.

(3) De ling. lat. IV. 2.

(4) Topic. l. I. p. 5. Τοπικὰ δὲ ἐπιγράφεται ἡ τοῦ Ἀριστοτέλους πραγματεία ἀπὸ τοῦ τόπους τινὰς ἐν αὐτοῖς παραδίδοσθαι, ἀφ' ὧν ὁρμώμενοι δυνησόμεθα περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος δι' ἐνδόξων συλλογίζεσθαι· ἔστι γὰρ ὁ τόπος ἀρχή τις ἢ στοιχεῖον ἀφ' οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἑκάστου ἀρχάς, κ. τ. λ.

(5) Topic. II.

(6) De or. 35.

(7) Institt. oratt. l. V. c. x.

dium profero, impetrare a me non possum, ut ea silentio premam, quibus idem magister ejusmodi locorum non opportunitatem modo, verum etiam necessitatem, non secus ac Tullius, aperit inquiens : « Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari soleat, ignarus; et piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribusque discreta sunt, nec helopem nostro mari aut scarum ducas : ita non omne argumentum undique venit, ideoque non passim quærendum est. Multus alioquin error est, et exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire, nisi casu. At si scierimus, ubi quicque nascatur, quum ad locum ventum erit, facile quod in eo est pervidebimus. » Ac si diceret, quemadmodum venatoribus æque ac piscatoribus necessaria plane est notitia terrarum aquarumque, diversæ earundem qualitatis ac indolis, ne vel frustra plane vagentur, vel in aliud omnino incurrant ac illud sit, ad quod capiendum proficiscebantur : ita tam dialecticis, dum in verum inquirunt illudque probandum aggrediuntur, quam oratoribus, dum voluntatem permovere aliisque persuadere suscipiunt, innotescant oportet tum multiplices argumentorum sedes, tum varia earundem ad varios consequendos effectus et vis ac potestas, et indoles atque natura.

4. Quid penes theologos sit locus, et quid sit tractatio de locis theologicis.

4. — Jam vero in s. theologia non minor profecto quam in rhetoricis ac dialecticis persuadendi probandique opera locatur, quum in eo totus sit theologus ut revelata divinitus vera, quibus cœlestis nostra fides absolvitur, rite demonstret, accurate explicet, asserat ac vindicet, illustret, persuadeat, doceat. E quibus consequitur, in summa illum necessitate versari, cognoscendi investigandique sedes ac domicilia argumentorum, quibus pro varietate materiæ, quam versat, et finis, quem sibi proponit, opportune itemque diversimode ipse utatur, ut vel statuat et confirmet, vel rejiciat et confutet ; ut modo amplificet ac modo strenue demonstret ; ut alia ostendat (1) de fide omnibus credenda, alia simpliciter reve-

(1) Cf. de ejusmodi distinctione commentar. de theol. generatim, in sac. doctr. ὁδηγόν.

lata, infallibilia alia, et alia vel certa simpliciter, vel probabilia duntaxat. Hujusmodi porro sedes argumentorumque theologicorum domicilia pari ac in dialecticis rethoricisque ratione loci vocantur, et quidem theologici. Disquisitio vero et pervestigatio, qua fontium ac principiorum, e quibus omnis pendet ac manat in sacra theologia veritas, exsistentia ac realitas probatur, pretium et auctoritas asseritur, vis atque usus ostenditur declaraturque, apud theologos passim tractatio de locis theologicis nuncupari consuevit.

5. De alia loci theologici significatione.

5. — Quæ quo magis obvia notioraque vulgo sunt, eo insolentius esse apparet, prima hac potissimaque apud scholas catholicas locorum theologicorum significandi potestate prætermissa, non aliam illis tribuere (1), quam ea est, qua veteres nomine loci (2) speciales etiam doctrinæ cujusdam partes, vel avulsas ab invicem singulares disciplinarum quæstiones denotabant : adeo ut locus theologicus aliud non sit, quam particularis quædam de re quapiam theologica tractatio, vel aliquod rerum illustrium caput, puta de justificatione, de gratia, de peccato, de fide, aliisque ambitu sacræ scientiæ comprehensis. De ejusmodi rerum capitibus sive locis vulgarunt lucubrationes suas e catholicis plures et vulgarunt e protestantibus non pauci, a quibus pugnare nolim si nomen locorum theologicorum sive locorum communium posteriori sensu primum maximeque usurpatum diceres.

§ II. — De exsistentia usuque locorum theologicorum : quæstio realis atque historica.

6. Loci theologici in usu semper fuere in Ecclesia Dei.

6. — Quod si non tam de nomine quam de re ipsa sermo sit, deque eo quod locorum theologicorum nomine apud catholicos vulgo significetur : ex præmissis liquet certumque est historice, locos theologicos in ecclesia Dei semper exploratos æque ac usitatos fuisse. Erat namque semper necessitas, revelata divinitus dogmata docendi, explicandi, tuendi. Huc faciunt patrum tam antiquissimorum quam antiquiorum sequentiumque disputationes, quibus rei christianæ di-

(1) Cf. Freiburg. Kirchenlex ad v. *Loc. theol.*
(2) Cic. De div. II. 1. De or. XXXIII. XLVIII. Plin. Ep. I. 8. Gell. I. 21.

vinitatem veritatemque gentibus atque judæis sive rationis principiis, sive scripturarum auctoritati, sive christianismi ipsius indoli atque naturæ insistentes asserebant, quibus hæreticorum errores ac mendacia tum præscriptionum, tum præjudiciorum, tum consequentiarum, tum antilogiarum ope aperiebant et rejiciebant, et quibus tandem in stabiliendis vindicandisque fidei articulis ad verbum Dei scriptum et traditum, ad auctoritatem modo patrum præcedentium, modo conciliorum, modo totius ecclesiæ, modo pontificum unanimi suffragio appellabant.

7. Tractationis de locis theologicis initia ac progressus.

7. — Quum vero revelationis doctrina universa ad accuratiorem scientiæ normam redacta apud illos nondum reperiatur : frustra esset, qui plenam absolutamque de locis theologicis pertractationem apud eosdem quæreret ; neque tamen desunt vestigia ac specimina veluti aliqua disquisitionum de specialibus hujus tractationis partibus. Huc præter alia pertinent, quæ Irenæus contra hæreses disputat ex scripturis, ex traditione ex ipsaque rationis vi ; huc quæ de præscriptionibus Tertullianus, de scripturis Augustinus cum Africano Junilio et Cassiodorio, atque, ut alia prætermittamus, huc, quæ Vincentius lirinensis in commonitorio de traditione aliisque fidei regulis plurima scitu lectuque dignissima habent. Sed postquam a media potissimum ætate (1) scholarum theologi revelationis doctrinam ad severiores scientiæ leges revocare studuerunt, suus etiam, tametsi ab initio pro adjunctis temporum exiguus, theologiæ sedibus locus factus est. Atque ita qui sanctum Thomam nominatim ejusque commentatores consulere voluerit, tractationis hujus capita (2) ubi de theologia ut scientia agitur, vel etiam (3) ubi regula fidei expenditur, multoque evidentius, quod ad sacras litteras attinet, ubi scripturas interpretantur, haud ægre deprehendet. Quare lutheranæ quam vocant reformationi maxime referri in acceptis hoc solum debet, quod quemadmodum post arianos uberius de trinitate, et post donatianos accura-

(1) Cf. prolegomena ad nov. Petavii editionem. Romæ 1857.
(2) Ab initio summæ.
(3) Summ. 2ª pars secundæ partis.

tius de ecclesia, et post pelagianos luculentius de gratia Christi disputatum est : ita disputatum copiosius fuerit post illos, quos reformatores appellant, de theologiæ locis. Quum enim isti hæreseos suæ vim in eo maxime posuerint, ut totius fidei regulam credendique normam in uno verbo Dei scripto constitutam, eamque singulorum quorumque intelligentiæ relictam esse tuerentur : factum est, ut modis porro omnibus cum alios pessumdarent sacræ scientiæ fontes, tum ipsas quoque scripturas everterent. Propterea permoti compulsique orthodoxi doctores fuerunt, quo possent diligentius multiplex ac varium probandæ vindicandæque fidei argumentorum genus ac domicilium in lucem depromere, suisque rationum momentis contra illos asserere, quemadmodum præter alios insigni de locis theologicis opere inprimis Melchior Canus effecit. Ita vero de locis theologicis investigatio non minus pondere gravitateque ac amplitudine atque extensione mirum in modum crevit, adeo ut quæ tota paucis olim continebatur paginis, ejus modo singulæ prope partes integras sibi neque semper brevissimas pertractationes flagitent.

§ III. — De locorum theologicorum partitione, eorumque ad invicem habitu : quæstio logica ac theologica.

8. An locorum in artificiales et inartificiales distinctio in theologicis quoque obtineat?

8. — Quod jamvero ad ipsas has partes, quæ ad universam de locis theologicis disquisitionem ut species ad genus referuntur, quæritur ab initio, utrum recepta alias (1) locorum in artificiales et inartificiales distinctio in theologicis quoque obtineat? Quum porro in jure is generatim locus artificialis dicatur et sit (2), qui argumenta continet ex re ipsa ejusque adjunctis vi ac ope rationis per artem quandam petita ; inartificialis autem is, cujus argumenta extrinsecus ducta tabulis et testibus innituntur : nullum esse dubium potest, utrumque probationum genus rei theologicæ convenire ac maxime aptum accommodatumque esse. Aptissimum pri-

(1) Quintill. II. 17. VIII. 12.

(2) Ad rem facit hæc utriusque loci apud Tullium descriptio : « Traditi sunt ex quibus argumenta ducantur duplices loci, uni e rebus ipsis, alteri assumpti. »

mum, si illa spectetur in se variisque suis tum originis, tum profectus ac propagationis, tum nexus harmoniæque rationibus atque adjunctis : aptissimum alterum, si eadem consideretur præ suis e quibus derivatur fontibus.

9. — Sane quod ad posteriores hos attinet, quum proprium s. theologiæ objectum, adeoque res proprie theologica sit ipsum verbum Dei revelatum, hoc autem ex catholico dogmate duplici comprehendatur fonte, scripto altero et altero tradito : duo prodeunt præclarissimi inartificiales iique principes theologici loci, s. nimirum scriptura atque traditio, quarum illa tabularum, hæc testium vim rationemque præfert, utraque uberrimis comparanda fontibus, qui inexhaustos cœlestium aquarum thesauros veritatem justitiamque sitientibus uberrime præbent.

9. Inartificiales iique principes theologiæ loci sunt s. scriptura et divina traditio.

10. — Sed fontes abrupti avulsique per se non exsistunt, verum petris conserti esse rupibusque (1) solent, e quibus puri limpidique prosiliunt, et per rivos perennes in campos quos rigant defluunt jugiterque dimanant. Hæc si ad theologicum rerum ordinem transtuleris, ecclesia Christi tibi occurrit, columna et firmamentum veritatis, cui fidei depositum ad procurandam totius generis salutem integrum semper incorruptumque servandum fuit commissum (2); tum spectanda in ea occurrit interpellata nunquam series pastorum et doctorum cum summo ipsius ecclesiæ visibili capite supremoque fidelium omnium rectore atque magistro, romanæ ecclesiæ episcopo itidemque Christi Domini in terris vicario (3), a quibus et per quos, aliter licet ac aliter, sive alii sive ille spectetur seorsum, et sive simul considerentur etiamsi dispersi, sive conjunctim atque in synodis conciliisque collecti, revelatum Dei verbum usque ad consummationem sæculorum docetur ac prædicatur, vindicatur ac defenditur, transmitti-

10. Alii estant inartificiales loci.

(1) Qui ergo cum rupibus petram rejiciunt, apud eos vel fontes nulli, vel si quem habere existiment, nulla ejus constantia, verum paulatim exarescat necesse est.

(2) Cf. de his commentar. de unitat. rom. tom. I.

(3) Cf. de his iterum commentar. s. l. tom. II. coll. commentar. de theol. generat. Eodem porro spectat constitut. de eccl. Christ. ed. in sess. IV. vatic. concil.

tur jugiter atque ad omnes gentes, ut hæreditatem capiant salutis, propagatur.

11. Quinam ii sint.

11. — E quibus liquet, verbum Dei præ fontibus quibus inest, præque mediis et organis per quæ et a quibus idem inde continuo ad omnes dimanat, considerari non posse, quin facile variæ deprehendantur illius probandi asserendique argumentorum sedes, vulgatas constituentes tractationes, puta de traditione deque scriptura, de ecclesia romanoque pontifice, de conciliis deque ecclesiæ pastoribus atque doctoribus scholæ, quas ad inartificiale locorum genus esse referendas nullus dubitat.

12. Loci artificiales.

12. — Sed his varii pariter accedunt loci artificiales, si divinum verbum vi opeque rationis in se, præque variis, quos idem præfert adspectus, consideretur. Profecto, quod Deus revelavit verbum, hoc non tantum pro sua, quam in se habet, infinitate, sed pro diversitate quoque adjunctorum, quibus per externam manifestationem afficitur, diversimode spectari potest ipsius potentia rationis ac lumine, perque scita ejusdem ac placita : et quidem considerari sic potest tam in se suisque effatis, quam etiam ab origine sua, a sua propagatione, et ab ipsis quoque propagatoribus suis. Hinc autem prodit generatim manifestus in theologicis usus rationis, isque non tantum quatenus ratio commune est judicandi disputandique instrumentum (1), sed etiam quatenus plus semel est sive inventionis sive probationis fons (2) non quidem proprius sed adscititius; tum vero alii prodeunt insuper loci particulares majoribus non minus, ut innuimus supra, quam recentioribus explorati.

13. De loco, qui de consequentiis dicitur.

13. — Et si quidem I. in se revelationis effata sententiæque considerentur ac, ut par est, expendantur : natura humani sermonis, quo divinitus illa communicata fuit, comparatum sic est, ut nunc quidem alia capita doctrinæ diserte efferantur, alia vero comprehendantur virtute; nunc, dum alia directe immediateque significantur, alia indirecte mediateque

(1) De hoc cf. disputata in commentar. de theol. generatim.

(2) De hac distinctione plura habentur nn. LVII. sqq. præfat. ad tom. I. Dionysii Petavii edit. Rom. 1857. typ. Propag. fid.

significentur; nunc alia simplici analysi pateant, sed alia nonnisi multiplici inferantur synthesi atque colligantur. Hinc illud oboritur, quod theologo non opportunum modo, sed frequenter omnino necessarium est, ut scilicet examini subjiciat, ac porro rite statuat, quid ex revelatis sit credendum, quid credendum non sit; quid cum illo ex sese cohæreat, quid minime sed ἀδιάφορον penitus sit; utrum infallibile aliquid, an certum sit, idem probabile duntaxat nec ne. Jamvero hæc faciunt ad locum quem de consequentiis inscribere consueverunt.

14. — Præterea II. si ratione originis christiana doctrina consideretur : ea revelationem complectitur in plenitudine temporis a Verbo incarnato fidei nostræ auctore factam, Apostolorumque deinde prædicatione comprehensam et absolutam. Quare ad eandem probandam argumentum conducit ex antiquitate desumptum, quo ostendatur, originalem illam esse atque ad Christum usque Apostolosque eandem revocari. Inde autem contra hæreticos prodit artificialis locus præscriptionum adversus novitatem.

14. De loco præscriptionum adversus novitatem.

15. — Si insuper III. revelationis ejusdem cum origine etiam propagatio consideretur : facile intelligitur, illam vi originis esse semel, ut aiunt, pro semper apostolica prædicatione consummatam, ideoque verbum divinitus revelatum ontologice non esse nisi unum idemque jugiter manere; vi autem propagationis eandem continuam tempore et loco universalem esse debere. E quibus consequitur, aptissime peti argumentum pro veritate christianæ fidei ex universali rursus constantia, harmonia, concordiaque doctrinæ; contra errores vero amplissimam efflorescere argumentorum sedem ex inconstantia sententiarum placitorumque variationibus, a quibus locus ipse theologicus variationum nomen accepit.

15. Locus theologicus variationum.

16. — Sed IV. tandem, si præ iis etiam verbum fidei consideretur, qui id vel prædicarunt jam propagaruntque, vel adhuc dum propagant ac prædicant : colligitur locus, qui in jure patet amplissime contra actorem præjudiciis, quibus nimirum fieri possit, ut ille ante actionem causæve examen ipsa, ut aiunt, causa cadat. Hujusmodi autem præjudicia licet

16. Locus a præjudiciis.

etiam aliunde petantur, potissimum tamen ex personalibus, ut cum jurisconsultis loquamur (1), depromuntur. Nihil porro vetat, quominus talis ratio ac via procedendi ad causas quoque fidei traducatur. Quum enim haud raro ex ipsis quoque rerum naturis earumve adjunctis peti rationes possint, quibus contra illos, qui in re religiosa litem intentant, prævie ante speciale aliquod doctrinæ examen excipiatur : tum ad prædicandum propagandumque verbum divinum suæ quoque in prædicantibus notæ suique requiruntur characteres, quibus si destituantur, neque qui dicant digni exsistant neque qui audiantur. Talis, verbi gratia, est (2) vel una ad prædicandum legitima missio. Quid autem inde? Illud, ni fallor, in promptu theologo esse luculentum in controversiis locum, quem a præjudiciis appellant. Atque hi sunt plerique omnes ad quos tam artificiales quam inartificiales theologiæ loci revocantur.

§ IV. — De usu locorum theologicorum : quæstio practica.

17. Practicæ pro usu locorum theologicorum regulæ.

17. — Quod si ulterius præter allatam jam intimam utriusque locorum generis distinctionem in differentiam sive inventionis sive usus inquiratur, haud ægre intelligetur :

I. inartificiales locos suas probationes ab extra suppeditare ; artificialium vero argumenta a perspecta causa expensisque ejusdem circumstantiis desumi ;

II. illos objective potius exsistentes jam datosque accipi sumique ; hos autem subjective opera, ingenio arteque esse requirendos ;

III. illos nihil aliud postulare, nisi ut iidem rite ad rem afferantur scitéque declarentur ; hos vero industriam, sollertiam mentisque sagacitatem frequenter exigere ;

IV. illos propterea cum historica fontium notitia conjunctam hermenentices criticesque cognitionem et artem flagitare ; hos contra multiplicem in profanis et maxime in philosophicis disciplinis eruditionem requirere atque scientiam ;

(1) Paul. Dig. VIII. III. 37. Ulp. ib. L. XVI. 178.

(2) De hac cf. fratres Wallemburg. de perpet. probat. fidei per testes tom. I. controv. fid.

V. ab illis necessariam proficisci in theologicis materiem; his juvari plurimum formam;

VI. illis quæri potissimum τὸ ὅτι, quid sit, iis autem τὸ διότι cur sit; tandem, ut alia, quæ cum dictis cohærent, silentio premantur,

VII. illorum in rebus fidei stabiliendis usum plane esse necessarium; horum, ubi fiat opportune, et utilem esse frequenterque jucundum; in controversiis vero eum, si necessarius semper non sit, creberrime tamen efficacissimum esse.

18. — Jam examini enucleatius subjicere singulorum rationem ac indolem, exsistentiam eorum veritatemque seu realitatem asserere, valoremque probare, usum fructumque ostendere : earum jam est tractationum, quæ de singulis locis theoligicis instituuntur. Nobis nunc unum, eumque principem, theologiæ fontem expendendum proposuimus, quem de testibus inscripsimus.

18. Commentarii hujus materia.

DE THEOLOGICO TESTIUM FONTE

DEQUE

EDITO FIDEI TESTIMONIO SEU TRADITIONE

PARS PRIOR

DE TESTIBUS FIDEI

De tractationis cum aliis affinibus disputationibus nexu, illius hypothesibus ac finibus, animadversio εἰσαγωγική.

1. — Quod in hujusmodi tractationibus, in quibus ponuntur principia ac fundamenta jaciuntur, quibus innituntur reliquæ, evitari in primis debet, hoc est, ne principia petantur ipsa, neve circulus, quem vitiosum vocant, admittatur. Id porro vitabitur, si ordine procedatur methodoque logica, quæ ad mathematicam, quam exactam dicunt scientiam, exacta prope videatur. Quare quum hoc nobis propositum sit, indicabimus paucis, quæ supponantur a nobis, quæque, ut cum mathematicis loquamur, sumantur, ut, quæ enarranda probandaque supersint, perspicue intelligantur.

1. In hujusmodi tractationibus cavendum in primis ne petitio fiat principii.

2. — Tractationem itaque de locis theologicis universim ex ordine ea prævertit, suaque natura prævertere debet, qua de revelatione divina generatim disseritur, atque in ejus non modo exsistentiam, verum etiam in criteria ac momenta rationum inquiritur illius tam cognoscendæ quam amplectendæ veritatis. Huc potissimum faciunt, quæ apud alios disputantur in philosophia religionis, apud alios de vera religione, apud alios speciatim in demonstratione christiana, et apud alios tandem cum in apologetica tum in theologia quam fundamentalem appellant. Quandoquidem vero in ejusmodi disciplinis usus fiat haud exiguus scriptorum

2. Qui tractatus ordine prævertant hanc de testibus fidei quæstionem.

monumentorum, quæ κατ' ἐξοχήν Biblia audiunt : hinc eorundem Bibliorum γνησιότης et αὐθεντία vel nominatim vindicetur, ut fit in generali, quam vocant, in sacras scripturas introductione, vel vindicata vindicandaque ex illa sumatur oportet.

3. Nullus in hac de testibus tractatione circulus vitiosus admittitur.

3. — Jure ergo nostro in hac, quam primum aggredimur de testibus tractatione, nobis quoque illam cum aliis commemoratis capitibus sumere licebit, atque adeo uti nobis permittimus Bibliis veluti fontibus, qui fidem simpliciter omnino merentur. Sane, quum triplici ratione accipi spectarique sacræ litteræ possint, nimirum polemica, theologica, historica vel philosophica : nullus vitiosus, quem vocant, circulus vel petitio principii fit,

a) Si in controversia cum protestantibus, qui orthodoxi dicuntur, quique Scripturam uti verbum Dei et unicam fidei regulam judicemque habent, a catholicis eædem sacræ litteræ pariter uti verbum divinitus inspiratum accipiantur; neque circulus admittitur vel principium petitur,

b) Si eædem uti tales, scilicet ut libri inspirati divinitus divinæque adeo auctoritatis, sumantur apud fideles catholicos, qui de ejusmodi charactere scripturarum secundum communem fidei professionem ac veluti πρόληψιν indubitatam gerunt persuasionem; nec alterutrum committitur,

c) Si illæ, quemadmodum a nobis nunc in hac tractatione fiet, tanquam monumenta accipiantur, quorum est explorata γνησιότης et αὐθεντία, et e quibus proinde certa de factis institutisque in iisdem enarratis argumenta repeti possunt.

4. Ordo hujus prioris partis.

4. — Quibus præmonitis jam de testibus, quorum in œconomia fidei ostendemus institutionem originemque divinam, continuationem eorum propagationemque patefaciemus, characterem et dotes vindicabimus.

CAPUT PRIMUM.

DE PROBATIONE FIDEI PER TESTES.

5. Sitne fides probanda qui-

5. — Quum, uti expositum est loci theologici universim sedes ac domicilia sint argumentorum, quibus revelatio di-

vina, christiana fides, atque nexa inde theologica veritas probari ac confirmari, vindicari atque asseri possit : moveri inprimis generalis hæc quæstio solet, sit necne fides probanda, et siquidem probanda sit, quorum maxime vi et ope argumentorum? Cui quæstioni, ut brevi, quemadmodum par est, satisfieret, secundum propositum consilium fixamque normam, rem placuit ἀκριβείας, accurationis claritatisque gratia sequentibus complecti lemmatis : busque argumentis?

LEMMA I. *Ex proposita a beato Paulo Apostolo fidei descriptione perspicuum est, ad fidem rite concipiendam sancteque servandam necessariam esse probationem.* Lemma I.

6. — Quoniam nimirum de fide quæritur probanda deque rationum momentis, quibus illa innititur, declaratur, et contra ipsius inimicos firmiter defenditur : tum fixæ methodi ratio, tum rei natura flagitant, ut quid fides sit, quove contineatur, inprimis et ante omnia explicetur. Ad illam vero explicandam desiderari nihil luculentius potest, quam quæ doctor gentium habet (1), ita fidem definiens : « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium »; videlicet, 6. Demonstratio lemmatis ex textu S. Pauli Hebr. XI. 1.

1) dicitur substantia, ὑπόστασις, hoc est, sensu etymologico ac litterali, basis, quæ subest aliis ac substat, fundamentum, cui alia innituntur, quodque adeo ita in se primum consistit, ut ex eo alia consistendi accipiant firmitatem. Sed basis ejusmodi ac tale fundamentum in ordine logico intellectus et ontologico veritatum non habetur, nisi subjective adsit firmitas adhæsionis, plena convictio, persuasio animi penitissima, immobilis, indeclinabilis, ut idem Apostolus (2) dicit, indubiusque omnino assensus; et nisi propterea (3) ob- 1) Fides est substantia, ὑπόστασις.

(1) Hebr. XI. 1. Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων.

(2) Hebr. X. 23. : « Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit) » : Κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ (πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος) : quibus significatur diserteque effertur spei perfectio ac formale, quod vocant, motivum, in divina situm fidelitate; adsignificatur vero ac virtute proponitur fides veluti principium fundamentumque, cui illa innititur, quum divina promissa contineantur ὁμολογίᾳ et εὐαγγελίῳ, divina inquam revelatione, quæ fide retinetur.

(3) Substantia scilicet dicit objectivam rei veritatem ac realitatem, quæ vi fidei tenetur certitudine subjectiva eaque immobili atque perfecta.

jective vel objectivis rationibus constet, cur assensus et cui præbeatur præbendusque idem sit. Sed exceptis primis principiis intelligentiæ, quæ dicunt, verisque immediate evidentibus, cujusmodi fidei veritates non sunt, neque de hoc constare neque adesse ille potest absque probatione. Id quod simili ratione eruitur

2) Fides est argumentum, ἔλεγχος.

2) ex inciso sequenti, quo fides dicitur ἔλεγχος, argumentum, vi cujus nimirum ea, quæ non videntur, οὐ βλεπόμενα, demonstrantur et asseruntur, ita scilicet firmiter, ac si illa adessent et apparerent non secus ac substantiæ, quæ præsentes adsunt atque sensibus usurpantur. Unde eadem, ac superius instituta est, argumentatio redit : videlicet, ut fides possit esse tale futurarum, quæ sperantur, rerum ac invisibilium argumentum, quo illæ non secus ac præsentes veluti substantiæ visibilesque firmissima certitudine teneantur, argumentum itidem seu probatio requiritur, qua ipsa vicissim (1) fides inniti atque firmiter subsistere deprehendatur. Ejusmodi porro argumentum seu probatio alia non est a demonstratione qua constat, fidem credendamve rem objective verbum esse divinum auctoritateque Dei loquentis inniti, cui adeo subjective a quovis intellectu creato plena adhiberi fides (2) debet. Atque utrumque hoc est, quod

(1) Paulus, ut ex textu contextuque apertissime patet, non spectat ad fidem probandam, sed ad probandam ex fide spem. Hanc igitur nullam esse dicit, nisi illa innitatur. Sed quænam fides est, cui ille spem innixam esse vult? Ea, de qua scripsit Rom. III. 31. coll. X. 8. sqq. « Hoc est, inquiens, verbum fidei, quod prædicamus; » quam, uti dicit. Gal. I. 23. III. 2. sqq., ipse expugnavit olim, deinde vero evangelizavit, quæque non venit, nisi postquam lex præcessit; ea scilicet, quæ revelatione Filii Dei ipsaque ejus œconomia constat, quam superioribus ipsius ad Hebræos epistolæ capitibus Apostolus descripserat. Huic tamen fidei acceptioni, quæ objectiva dicitur, respondeat oportet subjectiva mentis adhæsio, quam πληροφορίαν, eanque τῆς συνέσεως et πίστεως Coloss. II. 2. coll. I. Thess. I. 5. Hebr. X. 22. idem Apostolus vocat; quia scimus nos βεβαιωμένους (al. ἐν) πίστει, confirmatos, firmiter stabilitos fide, utpote ἐῤῥιζωμένους καὶ ἐποικοδομουμένους ἐν χριστῷ, radicatos et superædificatos in Christo, qui est ipsa hypostatica Dei veritas, cujus adeo divinæ auctoritati fides nostra uti firmamento innititur ontologico ipsique valido. Inde autem spei omnis nostræ veritas pariter ac firmitas repetitur.

(2) Non uno sensu, ut ex dictis apparet, fides accipi potest : scilicet, accipi potest objective et subjective, et tam illo quam isto modo accipi generatim potest et speciatim : objective accepta est objectum credendum, subjective

3) auctoritate comprobatur interpretum, antiquorum maxime græcorum doctorum (1), qui fidem ex Pauli doctrina describunt velut indubium assensum in plenissima de veritate persuasione, ut sustentaculum ac firmamentum incertitudinis earum rerum, quæ sperantur, uti basin sustinentem verum, et indubitatam immobilemque spem promissorum nobis a Deo bonorum; quibus paraphrastica syriaci interpretis versio addenda ita Apostolum explicantis, ut fides sit persuasio de iis, quæ sunt in spe ac si jam essent actu, et revelatio eorum, quæ non apparent. Quibus, quæ superius enarrando proposita sunt, comprehenduntur omnia, atque adeo illata inde conclusio confirmatur. Quam quidem conclusionem ipsi veteres data opera tradunt et asserunt cum alexandrino Clemente, qui (2) fidem, quæ certa cognitione constat, probatione inniti, inquit, externa, qua illa re-

3) Comprobatio ex auctoritate interpretum loci Pauli.

sumpta est actus credentis; generatim spectata significat totam revelationis complexionem, quo sensu Paulus fidem non semel accipit de universa œconomia christiana; speciatim vero accepta fides dicit singularia revelationis dogmata. Unde manifestum est, quid fide intelligatur, si ea utroque priori sensu, objective nimirum simulque generatim dicatur; quid, si eadem utroque posteriori, et quid, si alterutro, id est, sive objectivo itemque speciatim, sive generatim itemque subjectivo usurpetur, actus videlicet credentis, quo vel tota Christi Salvatoris œconomia, vel certum quoddam ejus caput firmissima fide tenetur. Uterque fidei actus fundatur auctoritate Christi Domini revelantis, de qua revelatione, quod ad primum illud attinet, ex demonstratione id constat, quam christianam vocant; quod vero ad alterum spectat, ex verbo revelationis sive scriptæ sive traditæ id colligendum est. De quibus cf. commentarios : de fide, utrum imperari ea possit, et, de theologia generatim, in sacram doctrinam ὁδηγόν.

(1) S. Basil. ser. de fide, nn. 1. 4., Greg. nyssen. de anim. et resurrect. opp. tom. II. p. 646. D., Maxim. centur. I. cap. de theol., Joan. damasc. de orth. fid. l. IV. c. 11., tum Chrysost. et Theodoret. de doctrina Pauli II. cc.: quorum sententias OEcum. et Theophylact. complectuntur. Πίστις μὲν οὖν ἐστι, ita prior, συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι; illam autem immobilem assensionem, subdit ibidem. n. 4., fieri per τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ὁδηγοῦν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ στηρίζον πάντας τοὺς πιστεύοντας πρός τε γνῶσιν ἀσφαλῆ, καὶ ὁμολογίαν ἀκριβῆ, « Spiritum veritatis, qui bonus est, qui deducit ad omnem veritatem, omnesque credentes firmat et ad cognitionem certam et ad accurratam confessionem »; hinc per alios fides est ἔρεισμα τῆς τῶν ἐλπιζομένων ἀδηλίας, βάσις τὸ ἀληθὲς ὑφεστῶσα, ἀδίστακτος καὶ ἀδιάκριτος ἔλπις τῶν ὑπὸ θεοῦ ἡμῖν ἐπηγγελμένων.

(2) Str. l. II. ed. Potter. p. 442. Πίστις δι' ἀκοῆς καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων κηρύξεως.

vocetur ad magistrum (1) Deum Verbum, qui est (2) principium doctrinæ; neque enim, subdit (3), satis est, quod visum est, simpliciter affirmasse, sed dictum oportet etiam probare : non hominum exspectamus testimonium, sed voce Domini probamus id, quod quæritur, quæ omnibus demonstrationibus magis digna est fide, vel potius ipsa sola demonstratio. Tam vero necessariam Clemens demonstrationem, non secus ac probationem revelationis veritatisque scripturarum duxit, ut, sine demonstratione affirmare, diceret (4) esse hæreticorum, qui quæ in ipsorum opinione sunt, eadem firmitate absque probatione asseverant, qua qui sciunt demonstratione innixi ac firmati. Quibus ad thesim, quam tuemur, nihil præclarius : probata a Majoribus fides semper est, eamque probari posse probarique debere constituerunt. Et merito quidem : quod nemo dubitaverit, qui consideret

4) Confirmatio ex eo quod fides sit virtus, eaque excellens.

4) fidem esse virtutem, eamque excellentem omnino; quare oportet ab ea absit omnis temeritas, imprudentia omnis ac fanatismus, quæ quidem tum obtinent ac dominantur, cum vel facile creditur, sine ratione valida, et, contra sapientis (5) monitum, cito et omni verbo; vel ob falsas fallacesque causas, sive internæ eæ sint, sive externæ. Hæc porro omnia, quorum alia quidem externa, alia vero interna sunt,

(1) Protrept. I. pag. 7. Ὁ Λόγος, ὃς ἦν πρὸς τὸν θεὸν, διδάσκαλος ἐπεφάνη.

(2) Str. l. VII. pag. 890. Ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας τὸν Κύριον.

(3) Str. l. VII. l. c. Εἰ δ'οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, ἡ πασῶν ἀποδείξεων ἐγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει.

(4) Ibidem p. 894. ap. Mig. tom. II. gr. pp. t. 9. col. 540. Distinctis tribus animæ affectionibus, ignoratione, opinione, scientia : « Qui in ignoratione, inquit, versantur, sunt gentes; qui autem in scientia, vera ecclesia; qui vero in opinione, ii qui sectantur hæreses. » Καὶ δὴ τριῶν οὐσῶν διαθέσεων τῆς ψυχῆς, ἀγνοίας, οἰήσεως, ἐπιστήμης, οἱ μὲν ἐν τῇ ἀγνοίᾳ τὰ ἔθνη, οἱ δὲ ἐν τῇ ἐπιστήμῃ, ἡ ἐκκλησία ἡ ἀληθὴς, οἱ δὲ ἐν οἰήσει οἱ κατὰ τὰς αἱρέσεις. Tum pergit : Οὐδὲν γοῦν σαφέστερον ἰδεῖν ἔστι τοῦς ἐπισταμένους περὶ ὧν ἴσασι διαβεβαιομένους καὶ περὶ ὧν οἴοντοι (lege cum Heinsio... διαβεβαιομένους, ἢ τούτους περὶ ὧν οἴονται), ὅσον γε ἐπὶ τῷ διαβεβαιοῦσθαι ἄνευ τῆς ἀποδείξεως.

(5) Ecclesiastic. XIX. 4. 16. « Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur. Et non omni verbo credas. »

absque probatione excludi ac devitari nequeunt. Nec quidquam valet

5) quod opponitur, fidei assensum supernaturalem esse. Inde enim hoc unum consequitur, flagitari præter alia supernaturale intellectus assentientis lumen; non autem sequitur ullatenus, nullam habendæ fidei præbendique assensus requiri certitudinem, quum hæc pro rei dignitate gravitateque multo amplius exigatur, ut constet, cur et cui credatur (1) ac præstetur assensio. Hinc damnata ab Innocentio XI (2) legitur ista propositio : « Assensus supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, ne non sit locutus Deus. » Sed neque probabilis tantum notitia neque formido removetur, nisi adsit probatio qua de credendi rationibus ac causis, deque fidei principio ac fundamento constet. Sed probatio ejusmodi, indolis licet ac qualitatis plane diversæ, alia habetur in demonstratione revelationis, christiana vel catholica, quam, ut dictum est, nunc supponimus; et alia præbetur in demonstrationibus pressius theologicis ac dogmaticis quibus fidei doctrinæ articulique probantur et asseruntur : et hoc probationum genus est, quod jam ob oculos habemus, et de quo solliciti nunc sumus. 5) Objectio, ejusque solutio.

7. — Quod si igitur necessaria fidei dicitur probatio, de eo porro quæritur, cujusmodi probatio sit esseque debeat, quæ ad fidem requiritur. Eo facit 7. Probatio fidei cujusmodi esse debeat?

LEMMA II. *Quum probationis nomine generatim significetur momentum rationis ad gignendam assensionem par, ex fidei natura liquet, ejusmodi momentum esse internum non posse, sed omnino censeri externum debere, illudque ab auctoritate petitum, sive divina sive humana, pro discrimine fidei divinæ aut humanæ.* Lemma II.

8. — Itaque

1) probationis nomine universim intelligitur ratio, propter 1) Demonstratio ex

(1) Huc faciunt illa Apostoli II. Timoth. I. 12. « Scio enim, cui credidi; » et ibidem III. 14. « Permane in iis..... sciens, a quo didiceris. »

(2) Inter damnatas an. 1679. d. 2. Mart. prop. 21. ap. H. Denzing. l. c. n. 1038.

rerum, quibus assensus præstatur, duplici differentia.

quam intellectus assensionem rei cuidam præbet, seu ob quam aliquid ita nec aliter esse affirmat aut negat; hinc movimentum prope significatur, quo idem scilicet intellectus ad rem assensu amplectendam movetur vel compellitur. Porro res, quibus assensio præstatur, in duplici generatim differentia exsistunt: vel enim propriæ nostræ experientiæ, sive internæ sive externæ, subsunt; vel non subsunt quidem nostræ, subjiciuntur tamen experientiæ aliorum, qui quod norunt expertique sunt referunt ac communicant. Si primum obtinet, assensio præbetur vi ac ratione intelligentiæ propriæ, quæ vel immediate simplicique rei ipsius intuitu, vel mediate adhibitaque deductione rem ita nec aliter esse percipit; si vero alterum obtinet, assensio præbetur vi ac ratione intelligentiæ locutionisque alterius. Quare in priori casu motivum assensus internum est, in altero autem externum; ob illud scitur, ob hoc vero creditur; adeoque scientia priori, posteriori fides respondet. Nequit ergo fides ex sua natura aliam probationem veluti necessariam postulare, quam quæ externo rationis momento innititur. Accedit,

2) Confirmatio.

2) intellectum veritati assentiri, sicubi hæc innotescat. Porro veritas vel per evidentiam sive immediatam sive mediatam rei in se perspectæ, vel per dicentis auctoritatem, quæ constat notitia ab errore libera et locutione a mendacio aliena, innotescit : sed illa ab intellectu sciendo, hæc ab intellectu credendo tenetur. Hinc comperta verorum distinctio in vera intelligibilitatis veraque credibilitatis. Hinc

3) Comprobatio ex S. Bernardi effato.

3) illud sancti Bernardi effatum vulgo receptum: « Quod credimus debetur auctoritati, quod scimus rationi. » Fides ergo vim suam recipit a momento rationis externo. Jam vero dicentis auctoritas vel divina est, si loquens sit Deus, vel humana, si homo sit, qui loquatur; unde pariter fides divina est, si priori, et humana, si posteriori auctoritati respondeat. Et ideo, quod ad divinam fidem attinet, præclara ad rem faciunt

4) Et ex Gregorio de Valentia.

4) quæ Gregorius de Valentia (1) de ratione ac indole fidei docet : « Hæc est, inquit, fidei ratio, ut argumentum

(1) Analys. fid. l. III. c. 2. tertio pp. 9. sqq.

sit rerum non adparentium, i. e., cognitio non evidens, sed quæ nitatur testimonio et pariatur ex auditu (1). Quæ autem res obscuro isto modo sciuntur, eas necesse est alicujus auctoritatis indicio atque asseveratione discere. » Quasi ad mentem Apostoli diceret, quum fides sit hinc quidem ἔλεγχος, inde vero οὐ βλεπομένων, eorum scilicet, quæ non apparent : interno hæc argumento nequeunt probari ; ideoque nec illa demonstrari eodem argumentorum genere potest ; ergo probetur necesse est argumento externo. Hinc Augustinus (2) : « Quæ autem, ait, nec corporeo sensu experti sumus nec mente assequi valuimus aut valemus, ea sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, a quibus ea, quæ divina vocari jam meruit, scriptura confecta est, qui ea sive per corpus sive per animam divinitus adjuti vel videre vel etiam prævidere potuerunt. » Quapropter

5) ad vim rationemque fidei sartam tectamque servandam damnata est a Gregorio undecimo (3) Raymundi Lulli propositio : « Omnes articuli fidei et ecclesiæ sacramenta ac potestas papæ possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes. » Tales autem rationes sunt dicunturque argumenta interna ; e veritate igitur tenendum est, probari illa argumenti genere externo, cujusmodi auctoritas est.

5) Confirmatio ex propositione condemnata a Greg. XI.

9. — Verum quæritur ulterius, cujusmodi sit et quotuplex fidei respondens auctoritas? Ad id declarandum inservit

9. Auctoritas fidei respondens quotuplex sit ?

LEMMA III. *Hæc auctoritas ex sese in duplici differentia versatur. Sicuti enim esse potest auctoritas instrumentorum, ita esse potest auctoritas testium, de qua primum disputare propositum est.*

Lemma III.

10. — Videlicet auctoritas, quæ fidem parit, veraci scientis manifestatione, id est, testimonio verboque infinite accepto continetur ; sed talis manifestatio, verbum, testimonium vel scripto exhibetur vel ore proponitur. Hinc in jure (4) fontes

10. Explicatio lemmatis

(1) Rom. x. 17.
(2) Enchir. c. IV.
(3) Anno 1376. 7. kal. febr. ap. Denzing. enchir. n. 474. p. 184. edit. 4.
(4) De credendis dictis et factis vel de probationibus, titulo XIX.

probationum perhibentur instrumenta et testes. Instrumenti autem nomine generatim id venit, quo causa instruitur (1) et probationibus firmatur; hoc autem quum scripto fieri soleret, factum est, ut illud speciatim tabula dicatur, sive scriptura authentica (2), id est ad fidem faciendam idonea. Sed de instrumentis postea.

11. Testium ratio quæ sit?

11. — Quod vero ad testes jam spectat, quæritur inprimis generatim de testis vi ac ratione : ideoque statuitur

Lemma IV.

LEMMA IV. *Quum testem nominamus, personam intelligimus fide dignam, cujus locutioni citra piaculum denegari assensio nequeat.*

12. Declaratio lemmatis.

12. — Ita rursum in jure (3), quo testis is dicitur, qui pro vel contra adduci decretorie potest, vel is, qui ad rei alicujus fidem faciendam legitime evocatus testimonium præbet. Hæc porro testium vis flagitat scientiam et veracitatem, unde prodeat auctoritas; quæ si adsit, eadem probandi potestas idemque valor testibus inest, quæ asseritur instrumentis (4), quando suis illa prædita notis sunt, quibus authentica comparent.

13. Quotuplex? Lemma V.

13. — Sed quotuplex est testium ratio? Respondet

LEMMA V. *Testes porro non uno censentur ordine, quum testis esse possit divinus, humano-divinus, divinitus inspiratus, divina assistentia protectus, et simpliciter humanus.*

14. Ejus expositio.

14. — Sane testis esse potest vel

1) Deus ipse simpliciter et ὄντως, ὁ θεός; vel

2) Deus ὑποστατικῶς cum homine unitus, homo-Deus, ὁ θεάνθρωπος; vel

3) homo insignis charismate θεοπνευστίας, ὁ θεόπνευστος; vel

4) homo excellens prærogativa divinæ adsistentiæ, ὁ θεσπέσιος sive θεηγόρος, ut patres octavi concilii (5) dixerunt; vel

5) homo simpliciter, ὁ ἄνθρωπος, ornatus naturali duntaxat rationis lumine, instructus etiam paribus ad testandum hu-

(1) Cf. Facciolat. tot. latinit. lexic. ad h. v.
(2) Ita in jure tit. XXII. de fide instrumentorum.
(3) Tit. XX.
(4) Cf. fratres Wallemburg. l. c. c. v. n. 4.
(5) Cann. I. XI. ap. H. Denzing. l. c. nn. 272. 274.

manæ cognitionis scientiæve mediis vel præsidiis. Hæ sunt testium, qui concipi possunt, variæ classes.

15. — Reliquum est, quærere tandem, quænam ejusmodi testium varietati respondeat varietas testimonii? 15. Testimonii varietas.

LEMMA VI. *Pro testium discrimine plus minusve patet ambitus probationis ab iisdem petitæ. Si enim testes ad priores quatuor classes pertineant, probationis ambitus universim ac infinite patet; sin vero quinta classe comprehendantur, presse loquendo circumscribitur probatio ambitu factorum sensibilium.* Lemma VI.

16. — Nam hoc est manifestum, tantum patere probationis, qua de agitur, extensionem, quantum patet testium 16. Explanatur lemma.

1) auctoritas; adeoque

2) scientia eorum et veracitas; hinc

3) lumen et fidelitas. Jam vero hæc infinite universimque patent spectatis quatuor prioribus testium classibus; spectata vero quinta ejusdem auctoritas restringitur

a) ad rationalem rerum ordinem sive ordinem luminis simpliciter naturalis; tum in eodem ordine circumscribitur

b) factis, ut dictum est, quæque ad naturam ejusmodi factorum potissimum revocantur. Quæ enim ad internam rerum naturam referuntur, ea externa hominum auctoritate, ut compertum est, demonstrari non solent, sed rationibus insitisque rei argumentis asseruntur. Hinc vulgatum in humanis disciplinis effatum est, tantum valere aliorum auctoritatem, quantum eorum ratio valet.

17. — Merito autem ex dictis proscripta post alias apparet hæc Raymundi Lulli (1) propositio: « Qui cognoscit per fidem ea, quæ sunt fidei, potest decipi: sed qui cognoscit per rationem, non potest falli; nam fides potest errare et non errare. Et si homo errat per fidem, non habet tantam culpam, sicut si erraret per rationem. Et sicut verius cognoscimus ea, quæ videmus, quam ea, quæ palpamus: ita verius sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per rationem, quam per fidem. Sed sicut palpando aliquando in- 17. Corollarium ex dictis.

(1) Prop. 98. damnata a Gregorio XI. ap. H. Denzing. l. c. n. 476., quacum conspirat prop. 97. ibid. n. 475.

venimus veritatem, ita etiam quandoque per fidem cognoscimus veritatem, sicut cæci, qui aliquando inveniunt, quæ volunt, aliquando non. » Quibus probatio per testes funditus evertitur.

18. Subdivisio hujus capitis primi.

18. — Quare jam pressius est vis insita testibus ad probandum fidem asserenda. Hinc primo de vi ac valore probationis per testes generatim, deinde speciatim de illius pretio in ordine seu negotio religionis.

§ 1. — De Probatione per testes generatim.

THESIS PRIMA. *Probatio per testes ad faciendam fidem ita comparata est, ut generatim citra manifestam falsitatem repudiari non possit.*

19. Demōn. stratio. Repudiata probatione per testes, evertitur

19. — DEMONSTRATIO. Id verissimum esse (1) nemo negabit, qui consideraverit, quod repudiata probatione per fidem evertitur

1) Communis ordo ac ratio cogitandi loquendique,

1) communis ordo ac ratio cogitandi loquendique; siquidem distingui amplius credibile ab incredibili nequit, sed credibile ac incredibile perinde sunt (2); sed hoc abhorret a communi cogitandi loquendique ratione. Evertitur

2) Ordo logicus ac rationis,

2) ordo logicus ac rationis, qui non patitur, ut totus intelligibilis, cognoscibilis, veri ambitus propria sive interna conscientia ac intelligentia, sive externa sensuum uniuscujusque experientia concludatur : ad alia namque communi omnium consensu congenitoque veluti pondere mens ac intelligentia adspirat; neque patitur, ut præter verum intelligibile verum nullum credibile admittatur. Accedit, quod, si ordo cognoscibilis verique semet ultra propriam experientiam extendit, criterium ejus admittatur oportet, quod quum internum esse nequeat, externum ac inprimis testimonium testium sit dicaturque oportet. Evertitur

3) Ordo ethicus ac morum,

3) ordo ethicus ac morum, qui, ut officium implere jubet et jura violare vetat : ita non patitur, ut absque causa (3)

(1) Videsis de hoc argumento fratt. Wallemburg. de perp. prob. per testes pp. 737. sqq.

(2) Si nemini fides adhiberi et nihil credi potest, non datur amplius credibile, et quidquid in ordine intelligibilis ac veri a nobismetipsis non proficiscitur vel petitur, incredibile nobis exsistit.

(3) Ordo moralis, non secus ac ordo physicus, suis regitur legibus, et

aliquis censeatur stultus ac mendax, et citra rationem loquenti detrahantur scientia et fidelitas. Evertitur

4) ordo omnino socialis totiusque humanitatis ad invicem, qui, ut specificam naturæ unitatem supponit : ita mutuæ fiduciæ lege innititur, mutuæque fidei continetur vinculo, quo familiæ minimæ et gentes maximæ invicem junguntur, et quo filii cum parentibus, servi cum dominis, reges cum subditis (1) vinciuntur, copulantur. Evertitur

4) Ordo socialis,

5) ordo insuper historicus atque factorum ætatis exactæ, nexusque præteriti cum præsente et hujus cum ætate veniente abrumpitur; de historica igitur disciplina ac institutione actum est. Evertitur tandem

5) Ordo historicus,

6) ordo quoque juridicus omnisque sive sacræ, sive ecclesiasticæ, sive profanæ (2) legumlationis, in qua quum ad causas probandas nulla sit probatione per testes frequentior, profecto nulla etiam habeatur firmior oportet. Evertitur

6) Ordo juridicus,

7) ordo totius vitæ communis, quæ quum in rebus omnibus, in educatione ac institutione, in regimine ac quavis gubernatione, in mutuo invicem hominum commercio ac usu fidem exigat atque supponat, universalem quandam inductionem suppeditat, qua credendum esse plane evincitur. Qua de re dignus, qui pro vetustis orientalibus audiatur, est antiochenus Theophilus (3), qui fidem de mortuorum resurrectione asserens ita disserit : « Sed cur non credis? An ignoras, rebus omnibus fidem præire? Quis enim agricola metere potest, nisi prius semen terræ crediderit? aut quis

7) Ordo totius vitæ communis.

quemadmodum huic, ita illi superna conservatrix providentia præest : quare in illo, non secus ac in isto, exceptiones non sunt præsumendæ verum probandæ.

(1) Rem describunt egregie fratt. Wallemb. l. c.

(2) Quod ad legislationem profanam atque ecclesiasticam attinet, tum alia superius innuimus, tum fratres Wallemburgici suppeditant alia, et res ex monumentis profani juris atque canonici exploratissima est : quod vero ad sacram spectat, huc faciunt quæ leguntur Deuter. xvii. 6. xix. 15. coll. Matth. xviii. 16. Joan. viii. 17. 18. Exod. xxiii. 1. Hebr. x. 28. II. Corinth. xiii. I. Tim. v. 19., quibus probatio per testes generatim, vel nominatim per duos vel tres uti valida statuitur vel admittitur.

(3) Ad autol. l. I. n. 8. Ap. Migu. gr. PP. tom. VI. coll. 1035. sqq. Πρὸς τὶ δὲ καὶ ἀπιστεῖς; ἢ οὐκ οἶδας ὅτι ἁπάντων πραγμάτων ἡ πίστις προηγεῖται; τὶς γὰρ δύναται θερίσαι γεωργὸς ἐὰν μὴ πρῶτον πιστεύσῃ τὸ σπέρμα

mare transmittere, nisi prius se ipse rati credat et gubernatori? Quis autem ægrotans sanari potest, nisi prius se ipse medico crediderit? aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi se prius tradiderit et crediderit magistro? Igitur si terræ credit agricola, si navigaturus rati, si ægrotus medico, non vis tu credere te Deo, tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis? » Ac si diceret, quod si fides in omnibus vitæ negotiis dominatur et viget, in agricultura, in mercatura, in morbis, in artibus ac disciplinis, cur in negotio religionis non vigeret, cur tandem in illo repudiari probatio per testes deberet? Cui nomine occidentalium suffragatur omnino Arnobius (1) ita gentiles redarguens : « Quoniam ridere nostram fidem consuestis, atque ipsam credulitatem facetiis jocularibus lancinare, dicite, o festivi et meraco sapientiæ tincti et saturi potu, estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum genus, quod non fide præeunte suscipiant atque adgrediantur? An terris peregrinamini, navigatis, non domum vos credentes peractis negotiationibus remeaturos? Terram ferro scinditis atque oppletis seminum varietate, non credentes vos frugem percepturos esse vicibus temporariis? Conjugalia copulatis consortia, non futura credentes casta et officiosi fœderis in maritos? Liberorum suscipitis prolem, non incolumem credentes fore et per gradus ætatis venturam senectutis ad metam? Ægritudines corporum medicorum committitis manibus, non credentes morbos posse mitigata asperitate leniri? Bella cum hostibus geritis, non victoriam vos credentes periculorum successionibus relaturos? Veneramini deos et colitis, non credentes illos esse et propitias aures vestris supplicationibus accommodare? » Qui quamvis ad rem plane

τῇ γῇ· ἢ τὶς δύναται διαπερᾶσαι τὴν θάλατταν ἐὰν μὴ πρῶτον ἑαυτὸν πιστεύσῃ τῷ πλοίῳ καὶ τῷ κυβερνήτῃ; τὶς δὲ κάμνων δύναται θεραπευθῆναι ἐὰν μὴ πρῶτον ἑαυτὸν πιστεύσῃ τῷ ἰατρῷ; ποίαν δὲ τέχνην ἢ ἐπιστήμην δύναταί τις μαθεῖν ἐὰν μὴ πρῶτον ἐπιδῷ ἑαυτὸν καὶ πιστεύσῃ τῷ διδασκάλῳ; εἰ οὖν γεωργὸς πιστεύει τῇ γῇ, καὶ ὁ πλέων τῷ πλοίῳ, καὶ ὁ κάμνων τῷ ἰατρῷ, σὺ οὐ βούλει σεαυτὸν πιστεῦσαι τῷ θεῷ τοσούτους ἀρρᾳβῶνας ἔχων παρ' αὐτοῦ;

(1) Adv. gent. l. II. VIII.

sufficiant, conferri tamen utiliter possunt, quæ allatis simillima habent doctores (1) patriarchatus alexandrini, hierosolymitani, constantinopolitani, antiocheni, ecclesiæque latinæ.

20. — Post quæ concludere sic licet : illud repudiare nefas est, quod asseritur vindicaturque legibus ac juribus ordinis logici, ethici, juridici, historici, socialis, plenaque facta inductione totius vitæ humanæ ; sed ejusmodi rationes sunt, quibus probatio per testes, quæ ad faciendam fidem dicitur idonea, innititur ; ergo probatio per testes ad faciendam fidem repudiari non debet. 20. Conclusio ex dictis.

21. — COROLLARIUM. Hinc intelligitur, quam immane opinionis commentum sit δόγμα illorum, quibus non alia mentis assensio homine digna videtur, nisi quæ ipsis innitatur rerum naturis, quæque vi propriæ experientiæ ac intelligentiæ parta scientiam presse dictam, quam fidei opponunt, pariat. Omnem enim humanum ordinem pessundant, necessitudines nostri generis dissolvunt, ac singulos quosque solitarios veluti faciunt qui auctoritatem fidemque historicam, quam vocant, aspernantur. Quod ita contrarium ipsi rationali naturæ esse deprehenditur, ut inde vel ipse Kantius (2) deduxerit officium servandæ in dicendo testimonio veritatis, itemque similiter Ditton (3) pyrrhonismum inde historicum confutarit. 21. Corollarium.

22. — SCHOLION. Ineptum vero est, historicæ veritati opponere 22. Scholion, in quo fit satis objectionibus.

I. absolutam contradictorii possibilitatem, quod contrarium scilicet absolute possibile sit : quando hæc I. Objicitur absoluta contradictorii possibilitas.

1) in iis ipsis, quæ conscientia propria suggerit, haudquaquam in omnibus exclusa appareat, et nemo tamen rationabiliter negarit factorum suæ conscientiæ certitudinem ; quando

2) neque exclusa eadem possibilitas contrarii in ipso ordine physico appareat, et nemo tamen inficias iverit illius constan-

(1) Clem. al. str. V. VII., Orig. con. Cels. VI., Eus. præp. ev. I., Cyrill. hier. cat. IV., Chrysost. h. XI. in ep. ad Philip., Theodoret. ser. I. therap., atque, aliis præterm., Aug. de fide rerum, quæ non videntur, l. unic., et de util. credend.

(2) In sua critica rationis practicæ.

(3) In opere de religione christiana demonstrata per Domini nostri Jesu Christi resurrectionem, Amstelodami 1728.

tiam ac certitudinem factorum ad eundem spectantium; quando

3) veritas historica ex natura sua non postulet, ut absoluta contradictorii possibilitas exclusa ostendatur, sed id unice flagitet ac postulet, ut hic et nunc, ut aiunt, datis nimirum probatisque certis conditionibus adjunctisque, contradictorii exclusa ostendatur realis exsistentia; atqui

4) si hæc fuerit firmiter probata, firmiter sibi pariter constabit mentis intellectusque assensio. Ineptum pariter est,

II. Objicitur distantia temporis et loci.

II. testium probationi distantiam sive temporis opponere sive loci : ab ea enim

1) non pendet ex sese veritas rei, quando propinqua esse falsa, et longinqua possint esse vera; non pendet

2) testium veracitas, quando qui proximi rei, qua de agitur, mentiri, et qui longius dissiti, fideles esse queant; quod si

3) testium scientia vicinitatem propinquitatemve requirat, tum enim vero id exigitur unum, ut series illorum ad testes de immediato, ut loqui solent, visu audituque assurgat; quod si contingat,

4) nemo amplius jure de testimonii valore, si aliunde testibus nihil obstet, dubitarit. Nec quidquam valent

III. Objiciuntur conjecturæ a priori.

III. exceptiones, quas metaphysicas vocant, seu rationes conjecturæque a priori : seposita enim manifesta rei absurditate, necessarium est ac sufficit, ut rei veritas a posteriori, ut aiunt, credibilis credendaque testium ope ac probatione demonstretur. Liquet ergo jure damnatas esse anno 1277 a Stephano parisiensi ep. facultateque theologica tres Benti (1) propositiones, quæ his expressæ verbis leguntur : « 1. Item quod homo non debet esse contentus auctoritate ad habendam certitudinem alicujus quæstionis. 2. Item quod ad hoc, quod homo habeat certitudinem conclusionis, oportet quod sit fundatus super principia per se nota. Error (adjecta hæc est censura), si generaliter tam de certitudine apprehensionis quam adhæsionis loquitur. 3. Item quod nihil plus scitur propter scire theologiam. » Sed his jam ad ordinem specialem, rei nimirum religiosæ perducimur. Unde

(1) Propositionum cap. XI. propp. 1. sqq. ap. Denzinger in enchirid. symbol. et definit. Wirceb. 1856. nn. 394. sqq.

§ II. — De probatione per testes nominatim in negotio religionis.

THESIS II. *Probatio per testes ita ex sese comparata est, ut speciatim in ipso etiam religionis negotio ad faciendam fidem admitti debeat.*

23. — DEMONSTRATIO. Demonstratur res præclare

I. illatione, scilicet ex analogia universalique inductione, de qua superius expositum est. Si enim in quovis rerum ordine, et communiter in re facti atque historica valet auctoritas; credendi ac fidei lex in religioso quoque negotio admittatur oportet. Ita

23. Demonstratur thesis I. illatione.

II. ex suffragio Majorum, ex sententia nimirum sapientiæ antiquæ, quam habet cum adductis superius vindicibus fidei egregie Eusebius (1), qui vim probationis per testes in re religiosa sic vindicat ex testium circa fidem consensione: « Contemplare, quantum et cujusmodi sit, illos de rebus Jesu nullum usquam discrepans verbum protulisse. Si enim in omnibus rebus, de quibus ambigitur, atque in judiciis, quæ ex legibus exercentur, communibusque controversiis consensus testium certum ratumque id efficit, de quo ambigitur, (in ore enim duorum vel trium testium stat omne verbum), cur in his quoque veritas non consistat, quum et duodecim Apostoli fuerint et septuaginta discipuli et innumerabilis extra hunc numerum multitudo, qui admirabilem in omnibus consensum servaverint, et rebus ab Jesu gestis testimonium dederint, non illud quidem sine sudore, sed cum tormentorum omnisque injuriæ ac denique mortis perpessione; et quos postremo etiam Deus vicissim testimonio suo comprobavit, qui verbum, quod ab illis proditum vulgatumque est, ad hanc usque diem et in omne ævum continuat et propagat? » Nimirum, ait ille secundum φιλοσοφίαν, si lex credendi valet in reliquis omnibus rerum humanarum ordinibus, liquet, eam valere quoque in rebus, quæ sunt religiosi ordinis. Id quod confirmatur

II. Ex suffragio Majorum.

(1) Præpar. evang. l. III. c. v. Eodem faciunt, quæ Augustinus disputat de utilit. cred. c. I. n. 2. contra Manichæos.

III. Confirmatur thesis negative.

III. negative, ex defectu cujusvis rationis, qua hoc argumenti genus a fidei negotio excluderetur : nihil enim promi in medium potest, quo suadeatur vel persuadeatur, probationem per testes in ipsa etiam fidei causa admitti non posse; nec quidquam in ipsius rei religiosæ natura ac indole esse apparet, quod cum lege credendi pugnaret. Profecto, nemo, dummodo factum manifestatæ auctoritatis, ejusque paris cui fides habeatur, demonstretur, discrimen neget, quo a re ordinis religiosi reliquorum ordinum facta secernuntur; sed nemo pariter negabit, in eo rem religiosam cum aliorum ordinum negotiis convenire posse et reapse convenire, ut ad ordinem factorum pertineat ipsius revelatio (1). Quare vis probationis per testes a fidei negotio excludi neque potest neque debet. Eo vel magis quod idem confirmetur

IV. Confirmatur positive.

IV. positive : etenim discrimen, quo a reliquis negotiis religiosum secernitur, non ipsam probationis vim ac indolem, sed testium potius characterem respicit : atqui tantum abest, ut is probationis, qua de agitur, vi obsit, ut eam augeat omnino atque stabiliat. Sane, quum de religione eademque positiva (2), ut aiunt, id est divinitus data, sermo est, testes nonnisi divini tandem esse possunt. Quare quotiescumque tales testes adfuerint, desumpta ex iis in negotio religionis probatio, quin deficiat ullatenus, eminet plane et egregie tum nobilitate crescit, tum valore ac pretio. Sed comprobatur idipsum

V. Comprobatur ab absurdo.

V. argumenti specie, quod vocant ab absurdo : excluso namque hoc probationis genere consequens foret, aut generatim ac simpliciter nullum relinqui locum revelationi

(1) Accipi potest ac solet revelatio bifariam, de actu, quo manifestatur certum aliquid, deque re, quæ manifestatur: priori sensu dicit factum, cujus veritas probatione per testes innititur; altero autem sensu dicit doctrinam, cujus veritas auctoritate Dei innititur, quam adesse, ipso revelationis facto ostenditur probato per testes.

(2) In ipsa quoque religione naturali, quæ lumini puræ rationis responderet, fides et auctoritas, quæ in aliis ordinibus locum obtinent et vigent, ex sese ab ordine religioso non excluderentur: quum veritas ejus ad primam præcipue institutionem educationemque pertineat, et explicatio profectusque idearum religiosarum per auctoritatem ac fidem non minimum promoveantur.

divinæ, quatenus nec ipsi Deo loquenti immediate ac per se fides adhiberi posset eique credere creaturam oporteret, aut speciatim revelationi divinæ locum non relinqui, quæ creaturæ immediate divinitus facta, mediate per creaturas communicanda sit. Atqui utroque consectario nihil magis absonum : quum creatori Deo denegetur, quod creaturæ ejus, ut ex inductione aliisque rationum momentis constat, attribuitur. Hinc colligitur idem

VI. Colligitur e communi hominum sensu.

VI. e communi denique hominum sensu seu omnium gentium consensione : universa namque historia testatur, quovis tempore et penes gentes omnes probationem, de qua loquimur, in negotio religioso fuisse receptam.

24. Corollarium.

24. — COROLLARIUM. Hinc quisque intelligit, quid de illorum placito existimari debeat, qui in re religiosa nihil probant, nisi quatenus uniuscujusque ratio atque intelligentia illud perspexerit, quique adeo in negotio religioso legem fidei seu credendi volunt exclusam. Scilicet, consectariis absurdis supra collectis hoc additur, quod non humanæ tantum res sed divinæ quoque, quantum ab homine est, subvertantur. Huc referenda est proscripta Benti (1) propositio : « Item

(1) Cap. XII. 2. ap. H. Denzing. l. c. nn. 397. sq., quibus Bentus cum asseclis impiæ suæ opinionis δόγμα innovavit Manichæorum, quos diu confutaverat sanctus Augustinus, cum alibi tum aureo de utilitate credendi libro unico ed. Mign. lat. pp. tom. XLII. Aug. tom. XI. pag. 65., quo præter alia docet, 1) manichæos sacrilege ac temere (sunt ejus verba c. I. n. 2.) invehi in eos, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, et illuminaturo præparantur Deo (in stadium viæ ac fidei ducentis ad stadium termini ac visionis). Tum 2) artes aperit manichæorum, quibus decipiebant incautos, rationesque exponit, quibus ipse ab iisdem fuerat deceptus; scilicet, 3) promittere illos consuevisse, terribili auctoritate repudiata, se introducturos ad Deum mera simplicique ratione eos esse, qui se audire voluissent, seque suos sequaces ab omni errore liberaturos; affirmasse illos, 4) christianos superstitione teneri, quum iisdem fides ante rationem imperetur, se autem neminem premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate. Hisce, inquit Hipponensis, 5) se adolescentem illectum fuisse, quum juvenum animus sit veri cupidus, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus exsistat et garrulus, qualem se tunc illi invenerint, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, et ab eis promissum apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem. Sic ille de manichæismo, qui ut a vulgari rationalismo ætatis decurrentis non differt, ita hic non secus ac ille Augustini argumentis confutatus manet.

quod non est credendum nisi per se notum vel quod ex per se notis possit declarari. » Ad hæc in suis litteris Stephanus : « Dicunt ea esse nota, inquit, et vera secundum philosophum, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint duæ veritates contrariæ, et quasi contra veritatem s. scripturæ sit veritas in dictis gentilium damnatorum. »

25. Scholion in quo objectiones solvuntur.

25. — SCHOLION. Quod ad vim conditionesque probationis ex auctoritate vel testibus petitæ attinet, id exponere ac declarare, probare atque tueri philosophicæ tractationis ex sese est, quæ in logica (1) ut plurimum haberi consuevit. Inde autem liquet, præter exceptiones superius (2) jam contra auctoritatem fidemque universim allatas vix illas commemoratione esse dignas, quæ, licet vulgarissimæ sint, contra legem fidei in re religiosa nominatim in medium quandoque productæ leguntur. Ut vero distinctius innotescant testium conditiones ac valor ad fidem faciendam, e re esse visum est et expedire, unam alteramve earum brevi subjicere examini. Petunt itaque

I. Objectio realis.

I. exceptionem ab objecto sive re a testibus tradita, quam adeo diceres realem, aientes, fidem non esse testibus adhibendam, qui facta testentur singularia. Præpostere : dummodo enim ab illis rite fuerint percepta fideliterque relata, nimirum dummodo de testium scientia constet et veracitate, non est cur de eorum veritate minus, quam de factorum communium veritate constare posse dicatur. Petunt

II. Objectio personalis.

II. alteram a subjecto seu persona testium, quam adeo personalem diceres, affirmantes fidem non esse testibus adhibendam, qui vel eruditione ac doctrina vel externa in societate auctoritate dignitateve destituantur. Perperam : non alia enim exigitur a teste doctrina, quam quæ sufficiat ad factum, quo de agitur, uti par est, deprehendendum erroremque a perceptione facti excludendum; neque alia flagitatur auctoritas, quam quæ sufficiat ad veracitatis præsump-

(1) Præclare hac de re disserit Cæs. Baldinotti, de recta humanæ mentis institutione, ed. Rom. 1855. typ. s. c. de propag. fid. pp. 217. sqq. cc. VII. sqq. : De auctoritate, de testibus oculatis et auritis, de traditione et monumentis, de historia, etc.

(2) Cf. scholion supra propositum.

tionem in factis referendis et ad excludendum mendacium a facti relatione. Ecquis porro ad hæc sive magnam eximiamve doctrinam sive exsortem in societate vel etiam quamcunque dignitatis vim exigi contenderit? Additur

III. Objectio critica.

III. exceptio ex judicio crisique narrationis petita, quam adeo criticam vocares, fidem inquientes testibus propterea non esse adhibendam, quod plus semel narrationis adjuncta componi invicem nequeant partesque aliæ editi testimonii cum aliis partibus cohærere nullatenus videantur. Inepte : etenim

1) neque semper narrationis adjuncta ab invicem dissident, neque est ex natura probationis per testes, ut adjuncta discrepent; habebit ergo, ut exceptione conceditur, suum ista valorem, tum cum adjuncta invicem rite conspirant; sed accedit,

2) quod si evidens ac manifesta absit oppositio, quæ ostendat testes mendaces, et si testes aliunde probati exsistant, detrahenda testibus fides non sit, quum nemo nesciat, quam complicata sæpe sint rerum adjuncta, et ægre per descriptiones explicanda, et ex descriptionibus, licet verissimis ac in se clarissimis, clare distincteque percipienda; maxime si temporum vicissitudinibus rerum omnium, morum, consuetudinum, locorum, linguarum, aliorunque ad casus humanos pertinentium facta fuerit immutatio. In tali itaque hypothesi, cum testes circa rei substantiam conspirent, detrahi absque injuria iisdem testibus fides non potest, eo quod circumstantia quædam adsit, quæ non illico cum aliis adjunctis vel cum ipsa rei substantia componi posse videatur.

CAPUT II.

DE PROBATIONE PER TESTES DIVINITUS INSTITUTA.

Ingressio.

26. Status quæstionis proponitur.

26. — Quum igitur constet, ac ratum fixumque sit, in ipso etiam religionis ordine probationem per testes legemque credendi valorem habere suum ac pretium, quæritur, utrum in

ipso, qui totus a Deo et solo dependet, Deus testibus uti voluerit ad religionem stabiliendam, propagandam, conservandam? Quæ quæstio ut per gradus solvatur, juverit animadvertisse, eam versari circa factum, quid Deus fecerit vel instituerit; jamvero quæstio superior versabatur circa possibilitatem aptitudinemque probationis per testes in religionis ordine, scilicet, quum ea in hoc ordine valida ac idonea sit, consequitur, Deum eadem uti, si libuerit, potuisse ac posse : si enim nec valida nec ad fidem faciendam in ordine religionis efficax esset, uti profecto ea Deus non posset. Superest ergo interjecta inter utramque tertia, quæ versatur circa convenientiam, congruentiam, quam vocant, probabilitatem adhibitæ a Deo ejusdem probationis ad revelationem suam seu religionem divinam instituendam conservandamque.

27. Congruum est voluisse Deum in negotio religionis testibus uti.

27. — Atqui a priori, ut aiunt, probabile, conveniens, congruumve (1) esse videtur, voluisse Deum in religionis negotio testibus uti. Id enim convenit

I. A parte Dei.

I. a parte Dei, quo œconomia fidei per testes digna valde est : suadet eam

1) analogia cum ordine communi exploratoque divinæ providentiæ, in quo uti Deus solet causis secundis, ope quarum a finibus usque ad fines disponit suaviter omnia et pertingit fortiter; cum tali igitur analogia convenit, ut Deus in ordine quoque revelationis causas secundas adhibere voluerit, cujusmodi inprimis sunt testes fideles;

2) operandi modus Deo usitatus, per media scilicet simpliciora; ordo autem revelationis externæ itemque mediatæ videtur esse simplicior, quum semel absolvatur pro semper;

3) ordo præclarus divinæ sapientiæ altissimæque providentiæ splendor omnino manifestus. Convenit

(1) Ejusmodi quæstio inservit omnino ad præparandos pedetentim et inclinandos animos ad quæstionem sequentem, quæ instituitur de facto, et gravissima æque ac certissima est; tum eo identidem pertinet, ut maxima institutæ testium œconomiæ commoda ac utilitates, fructus effectusque considerentur; et quum circa internas rerum naturas relationesque versetur, altiorem earundem intelligentiam conciliat, et est propterea, quod scholæ theologi frequenter tales quæstionum species prosequantur.

II. a parte humani generis, cui valde apta est et commoda : considerata

II. A parte humani generis.

1) ejusdem conjunctione et unitate, cui per externum testium ordinem auctoritatemque singulariter prospicitur;

2) distinctione et inæqualitate, quæ a natura inter eos et in quovis alio humano ordine obtinet; nexa inde

3) dependentia ac subordinatione, a qua ipse dependet socialis ordo. Convenit

III. a parte rei, quæ ex se valde salutaris est : ab ea enim proficiscitur

III. A parte rei.

1) universalitas religionis (1) et unitas, hinc generi humano in negotio salutis communis communio congrua;

2) illusionum mentisque ludibriorum facilior exclusio, quam si unicuique propria fuerit revelatio;

3) humanæ industriæ sollertiæque augmentum (2); inde simul

4) accessio meriti ex subjectione et obedientia. — Sed non probabile modo verum etiam certissimum est, voluisse Deum in negotio seu ordine religionis œconomia testium uti.

§ I. — De testium usu ante christianam œconomiam.

THESIS III. *Probatione per testes ante christianam œconomiam usus est Deus, ut hominum genus salutari religione informaret.*

28. — DEMONSTRATUR. Tempus omne ante christianam œconomiam elapsum ita commode distinguitur, ut aliud complectatur epocham ab Adam usque ad Noe; aliud illam, quæ decurrit a Noe usque ad Abraham; aliud eam, quæ ab Abraham usque ad Moysen : et aliud, quæ a Moyse usque ad Christum semet extendit. Ita sane sanctus Gregorius (3) explicans parabolam Domini de patrefamilias vocante operarios in vineam suam : « Hic itaque, ait, paterfamilias ad

28. Demonstratur. Distinctio temporis ante christianam œconomiam elapsi.

(1) Auctoritate quippe religio perspicue communis evadit, et cœtus religiosus evadit universalis.

(2) Cf. Gregor. a Valent. analys. fid. l. IV. c. I., fratres Wallemb. de perpet. prob. per testes pp. 733. 737. sqq.

(3) In evangel. Matth. xx. hom. 19.

excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima operarios conducit : quia a mundi hujus initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium, prædicatores congregare non desistit. Mane enim mundi fuit ab Adam usque ad Noe : hora vero tertia a Noe usque ad Abraham : sexta quoque ab Abraham usque ad Moysen : nona autem a Moyse usque ad adventum Domini (1). » Atqui in stadiis hisce omnibus Deus revelator usus est testibus, ita quidem ut salutifera religione cum universum hominum genus, tum vero peculiare Abrahæ et Israelis semen informaret. Etenim

I. Epocha ab Adam ad Noe consideratur.

I. ab Adam (2) usque ad Noe (3) et a Noe (4) usque ad Abraham benignissime Deus humani generis religioni prospexit. Id patet ex apparitionibus, quibus illos honoravit; ex revelationibus, quibus eosdem cumulavit; ex præceptis, quæ eis imposuit; ex oraculis ac promissis, quibus eos recreavit; ex benedictionibus, quas larga manu eis impertivit. Sed neque prospexit per revelationes singulis immediate exhibitas, neque etiam prospexit per instrumenta; prospexit ergo per testes, cujusmodi inprimis fuerunt (5) Adam et Eva pro priori humanitatis epocha, et deinceps Noe pro epocha humanitatis instaurata. Porro

II. Epocha

II. eadem et multo etiam uberior fuit Dei benevolentia ab

(1) Quibus doctor maximus subjicit : « Undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi. Itaque prædicatores sancti Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam et tarde venientes acceperunt. » Sed de his infra.

(2) De quo prioribus Geneseos capitibus.

(3) Huc refertur, quod Hebræi de præceptis narrant, quæ generis nostri patribus divinitus patefacta volunt. Et Adamo quidem impertita sex tradunt : 1. de judiciis; 2. de maledictione nominis Dei; 3. de cultu extraneo; 4. de homicidio; 5. de turpitudine et concubitu; 6. de furto ac rapina; Noacho vero, aiunt, injunctum fuisse septimum, de membro animalis viventis non comedendo. De quibus in Gemara babylon. ad. tit. sanhedrin. c. VII., et apud rabbinos plures omnino, quando iidem de Noachidarum præceptis loquuntur. Ad describendam eandem primitivam œconomiam spectant, quæ disserunt J. B. Filezac parisiensis select. l. II. tit. myster. ss., et ex alienis a vera fide tum ipse Hugo Grotius de jure belli et pacis I. 1. sqq. II. 5., tum Heidegger in peculiari sua dissertatione de præceptis Noachidarum, et alii, qui rem e sacra potissimum historia evinci contendunt.

(4) De quo Gen. IX.

(5) Ad rem sunt, quæ habent Dobmayr, theol. cath. tom. III. § 48., tum Baron. dissert. con. Piccinin. c. II. § 3., Greg. de Valent. de fid. disp. I. q. 2. punc. 4.

Abraham usque Moysen, immediate quidem erga peculiarem gentem, mediate (1) vero erga universum humanum genus. Atqui

ab Abraham ad Moysen.

(1) Patriarchalis revelatio redundavit immediate quidem in domum Abrahæ tantum, mediate vero semet ad universam humanam familiam extendit secundum illud, quod Abrahæ dicebatur : « In te benedicentur omnes gentes. » Sed hæc futura aliquando gentium benedictio non est unicus fructus ex benevolentia divina erga Abraham in alios quoque homines populosque redundans. Etenim qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum angelus testamenti dum immediate patriarchas populumque porro Israel singulari modo illuminabat, hujus luminis radios ad alias etiam circum gentes diffudit. Sane eo pertinebat admirabilis providentiæ Dei cum patriarchis et post illos cum Israele ordo ac dispositio, qua fieret, ut per varias suas migrationes peregrinationesve convenirent cum diversissimis æque ac cum populis insignioribus numero, potentia, cultura : scilicet, ut conventu ejusmodi contactuque divina ac cœlestia, quæ ipsis priva erant et propria, eadem illis, dummodo vellent, communia identidem evaderent ac salutaria. Quæ, ut solet, præclare confirmat Theodoretus exponens de providentia or. x. opp. t. IV. p. 677 edit. Schulz. Mign. t. IV. col. 766. sqq., ubi relatis, quæ Gen. IX. 3. de vocatione sorteque Abrahæ, Gen. XXIV. 1 et XXVI. de Isaaco, Jacobo et Josepho eorunque variis fatis, Exodi tandem I. II. sqq. de ægyptiaca Israelis servitute leguntur, hæc de sapientissimo Dei ordine animadvertit : Τῶν γὰρ ἐθνῶν ἁπάντων τοῦτο τὸ ἔθνος θεογνωσίας ἐχειροτόνει διδάσκαλον· καὶ καθάπερ εἰς τοῦδε τοῦ ἔθνους ἐπιμέλειαν νῦν μὲν ἐξελέξατο τὸν Μωϋσῆν, νῦν δὲ τὸν Ἰησοῦν (Josue) καὶ πάλιν τὸν Σαμουὴλ, ἄλλοτε δὲ ἄλλον τῶν προφητῶν, καὶ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου φιλοσοφίαν ἀσκοῦντος ἅπαντας εὐηργέτει τοὺς ὁμοφύλους· οὕτως δι' ἑνὸς ἔθνους τοῦ Ἰσραὴλ πάντα τὰ ἔθνη τὰ τὴν αὐτὴν ἔχοντα φύσιν εἰς τὴν εὐσεβείας κοινωνίαν ἐκάλει. « Hanc enim gentem, ut omnibus gentibus ad Dei notitiam magistra esset, delegit. Et quemadmodum ad hujus gentis curam, nunc quidem Moysen, nunc vero Josuam, Samuelem item, et alias alium quempiam prophetarum delegit, et per unum hominem veræ sapientiæ studiosum toti genti benefecit : ita per unam Israelitarum gentem omnes gentes eadem natura præditas ad pietatis consortium vocavit. » Id quod illico aliis rursum historiæ sacræ documentis evincit, nominatim vero iis, quæ habentur Jos. II., I. Reg. IV., 5. Dan. V., tum hæc colligit : Ἄθρει τοιγαροῦν ὅπως ἁπάντων ἀνθρώπων ἀεὶ προυνόησε τῶν ὅλων ὁ ποιητὴς καὶ οὐ μόνον τῶν ἐξ Ἀβραὰμ καταγόντων τὸ γένος, ἀλλὰ πάντων τῶν ἐξ Ἀδάμ· καὶ διὰ τοῦ ἑνὸς ἔθνους ἅπαντα ἐποδήγει πρὸς θεογνωσίαν τὰ ἔθνη. Καὶ οὐ μόνον ἡνίκα ηὐσέβει, τὴν διὰ τούτων διδασκαλίαν πᾶσιν ἀνθρώποις προσέφερε, ἀλλὰ καὶ ὅτε τῆς παρανομίας εἰσεπράττετο δίκας. « Vide ergo, ut omnium hominum semper curam habuerit sua providentia summus ille omnium creator, non eorum modo, qui genus ex Abrahamo ducunt, sed omnium, qui ex Adamo sunt; et per unam gentem omnes gentes ad Dei cognitionem perduxit. Nec modo, cum pietatem sectarentur, horum doctrinam omnibus hominibus obtulit, verum etiam cum iniquitatis pœnas ab ipsis exigeret. » Quibus nihil evidentius, quam duplicem a Theodoreto œconomiam doceri, alteram universalis salutis, et alteram testium in negotio revelationis ac fidei ad supremam salutem consequendam.

1) ejusmodi benevolentiam non ostendit Deus sive per instrumenta, sive per immediatas revelationes, quibus aut singulos quosque ex selecta gente aut singulos quosque ex genere hominum universo donaverit. Reliquum est igitur, ut illam ostenderit per testes et nominatim per Abraham, Isaac et Jacob, qui propterea etiam patres fidei merito appellantur. Sane

2) ut hæc quæ cursim percensuimus, paulo diligentius enucleentur, animadvertatur,

a) nuspiam legi, Deum semet omnibus singulisque hominibus abrahamitica epocha, quod de illis prioribus similiter valet, manifestasse;

b) nuspiam fieri mentionem cujuscunque instrumenti, quo usus esset Deus ad suas hominibus revelationes communicandas, vel quo uti voluisset eos, quibus semet revelaverat; immo

c) fieri in documentis mentionem disertam testium, quibus usus Deus est: quo illa spectant Domini (1) ad Abraham: « Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini et faciant judicium et justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. » Quibus docemur:

α) singulari benevolentia habitum a Deo Abraham fuisse, ita ut immediate ad intima cum divina majestate colloquia admitteretur, supernisque revelationibus ac promissis divinitus ditesceret;

β) patefacta illi divina præcepta ab ipso fuisse ad posteritatem Deo ipso jubente propaganda;

γ) modum transmissionis ac propagationis non fuisse alium a mandato jussoque, quod a patre ad filios proficiscitur atque propagatur, alium nimirum haud fuisse a more officioque

(1) Genes. xviii. 16. usque ad 19. ubi hæc: כי ידעתיו למען אשר יצוה את־בניו ואת־ביתו אחריו ושמרו דרך יהוה.

communi educationis paternæ ac institutionis filiorum. Hæc autem quemadmodum ore fieri universali usu venit : ita hanc viam indicasse dicendus Deus, et ita tam Abraham quam filii ejus usi ad institutionem religiosam eodem oris verbo instrumentove orali dicendi sunt. Usus ergo est Deus utendumque significavit in œconomia patriarchali œconomia testium et vivæ per os traditionis lege (1). Quæ œconomia et quæ lex deinceps quoque, licet exsisterent instrumenta, continuata in V. T. vigebat. Sed animadvertatur,

d) quod hæc œconomia ac lex sicuti, ut vidimus, aptissima in se est, hominibus convenientissima, dignissima Deo, ita vicissim ipsi nihil accommodatius, quodque eidem œconomiæ magis faveret atque conduceret, quam adjuncta patriarchalis ætatis : videlicet, tum apparitiones divinæ repetitæ, quibus summa ei auctoritas jugiter conservabatur; tum factorum publicitas et patriarcharum auctoritas, quibus refragari nemo valeret et auderet; tum ipsa vitæ longævitas, qua fiebat, ut immediati, primi et proximi divinorum testes diutius, securius fideliusque oracula Altissimi coævis posterisque communicarent et traderent : quibus addunt generatim omnia, quæ de conditione ac statu domestico, sociali, politico et maxime religioso patriarchalis gentis (2) itemque ætatis explorata habentur. Tandem

III. in postrema ex indicatis epochis singulari benevo- III. Postrema epocha

(1) Consideratione digna est vis hebraici textus : etenim a) ידעתיו a ידע, respexit, curam habuit, novit, dilexit. elegit, idem est ac « novi, dilexi, elegi eum » (cf. Amos. III. 2.); b) למען אשר, h. e. propterea quod; c) דרך יהוה, id est. via vitæque institutum a Domino traditum; d) ביתו אחריו, domus sua in posterum seu quæ post se, adeoque posteritas domus suæ, posteri sui, generationum successiones quæ a בניו filiis distinguuntur; patet ergo, consilium voluntatemque Dei futura scientis et media opportune eligentis fuisse, ut præcepto ac dispositione veluti familiari, atque hæreditario prope more ab Abrahamo ac filiis et ab his suisque porro posteris revelata divinitus δόγματα ad universam continuo jugiterque progeniem propagarentur, et ita non interrupta in ordine religioso a patribus ad filios testium series traditionisque progressio exsisteret.

(2) De his agunt pluribus, qui scripsere de rebus judaicis deque archeologia biblica, inter quos utiliter confertur Jahn, qui tamen auctor non inoffenso pede in suis operibus semper decurritur, et, qui a re catholica longius abest, Heidegger historiæ patriarchar. tom. I. exercitatt. I. II. III.

lentia præhabitus populus Israel, sed non revelatione facta singulis, sed Moysi inprimis; licet vero a Moyse ad Christum usque religioni Israelis, secus ac præcedenti patriarchali epocha, quæ dicitur legis non scriptæ, consultum divinitus fuerit etiam per instrumenta, nunquam tamen

1) propositio per testes defecit; immo

2) et tempore antecessit, et

3) authentica testificatio propositionem per instrumenta constanter comitabatur. Et quod attinet ad

1) In illa testificatio nunquam deficit.

1^{um}, scilicet ad propositionem per testes, animadvertatur, quod

a) prioris, de qua dictum est, epochæ œconomia ac lex nuspiam abrogata legitur; quare jure præsumitur eandem una cum instrumentorum beneficio perstitisse, quum instrumenta natura sua (1) nullatenus testes excludant; et

b) quum eadem semper adhibita sit, ipsam permansisse præscribitur; utrumque

c) eo vel magis, quod in propagata domo Abrahami, ut expositum est, propagari illa Deo jubente debebat. Nisi igitur ostendatur aperte, priorem voluntatem ac institutionem revocatam sublatamque esse, præsumptionis præscriptionisque jure præcipitur, existimare ac porro retinere, propositionem probationemque religionis per testes in mosaica quoque epocha non defecisse. Illud autem minime ostenditur. Immo

d) testium œconomiam una cum instrumentis fuisse retinendam ac reapse perstitisse, monumentis illis fide dignissimis, quibus facta Dei benefactaque erga genus hominum enarrantur, quibusque adeo usi hucusque sumus utique merito (2) licet, neque raro neque obscure declaratur : nimirum illud iis sententiis biblicis generaliter continetur, quibus dicta factaque Dei filiis a patribus communicanda explicandaque præcipiuntur. Hoc autem præcipitur inter

(1) Quis enim vero dixerit, propterea institutionem cessare ac magisterium scholæ, quod antecessores ac magistri ea, quæ docent, scriptis evulgant?

(2) Videsis explicata de lemmatis ac hypothesibus.

mandata (1) a Domino, inter suprema ipsius monita (2) a Moyse, inter institutiones suas (3) a Josue; id observandum jubetur (4) a plenis divina sapientia viris; observatumque traditur (5) a selectis divinitus judaicæ gentis hominibus. Quibus scripturæ dictis et monitis se commotum dicit lirinensis Vincentius (6) ad componendum aureum suum tractatum pro catholicæ fidei antiquitate et universitate adversus profanas omnium hæreticorum novitates. Ad hæc insuper animadvertatur,

e) quod specialiter docet Paulus (7) de Moyse, quem Deum inter et domum Israel mediatorem fuisse perhibet; instar tamen famuli, sed fidelis; et fidelis quidem non scriptoris, sed testis, in tradendo scilicet fideliter testimonio eorum, quæ dicenda erant, nimirum in revelatione divinitus accepta eorum, quæ credenda erant et agenda. Functus ergo Moyses est munere officioque testis; et propterea dicitur (8) ab eodem Apostolo excitata contra Israel ira Dei, non quod hic instrumenta scripta non legerit, sed quod morigeras aures non præbuerit testium fidem proponentium ori ac voci. Mosaica ergo ætate non abrogata testium revelationem proponentium œconomia, sed prorogata est. Quibus rationum momentis addi debet

f) illud, quod sequens deinceps suppeditat series prophetarum, quos ipso Moyse auctore (9) Deus testes esse voluit in similitudinem ejusdem Moysis, ad dicendum (10) missos loquendumque ea, quæ Deus populo selecto sive bona sive mala communicanda decreverat. E quibus nihil manifestius, quam decurrente quoque epocha mosaica divinæ revelationis

(1) Deuteron. VI. 7. 20. sq.
(2) Deuteron. XI. 19. XXXII. 7. 46.
(3) Jos. IV. 6. sq.
(4) Ecclesiastic. VI. 33. seq. VIII. 11. sq., Prov. XXII. 17. I. 8.
(5) A Gedeone, Judic. VI. 13., et a regio Psalte, Pss. XLIII. 1. LXXVII. 3 sqq.
(6) Commonitor. I. ab ipso principio, ed. Mign. lat. pp. tom. L. coll. 637. sq.
(7) Hebr. III. 5. manifesto respiciens ad Numer. XII. 7.
(8) Ibid. III. 15. sqq.
(9) Deuteron. XVIII. 18.
(10) Huc referri consuetæ apud prophetas formulæ debent : Hæc loquere, hæc dices populo huic.

religionisve propositionem probationemve factam esse per testes, eanque per instrumenta, quæ porro prodibant, minime defecisse. Quin immo, et hoc attinet ad

2) Testificatio tempore antecessit.

2^um^, propositio ac probatio divinæ revelationis per testes instrumenta tempore antecessit. Tam enim Moyses quam reliqui prophetæ primo testes erant, deinde scriptores; et antequam libros legis seu Pentateuchum Moyses conscriberet, et prophetæ sua vaticinia litteris consignarent, domus Israel propositione ac declaratione orali imbuta jam erat (1) tum lege tum oraculis Dei. Primum enim et ante omnia valebat de illis quod dixit (2) Dominus : « Ero in ore tuo : Tu eris ei (Aaroni, qui os tuum est apud populum) in his quæ ad Deum pertinent : Vade, et dic populo huic. » Proprium scilicet ac princeps prophetarum munus, quod explendum inprimis erat expletumque ab ipsis certo est, officium erat testandi coram populo verbum, quod apud ipsos locutus erat Deus; ipsorum igitur testimonium ex sese instrumentum prævertit. Ex his porro intelligitur, quod attinet ad

3) Testificatio instrumenta comitabatur.

3^um^, postquam instrumenta exstiterunt, testium œconomiam non cessasse, sed probationem per instrumenta comitatam semper esse testificationem seu testimonium testium. Quo excluditur eorum exceptio (3), qui opponunt, divinis ab initio testibus substituta deinceps esse instrumenta, et postquam litteris sua vaticinia mandarunt prophetæ, nullum amplius locum testes eorunque testimonia habuisse. Ad hoc enim evellendum, faciunt rationum momenta, quæ in œconomia mosaica testes ostendunt perpetuos instrumentorum comites. Id autem ostendit

a) ipsa, de qua dictum est, continua fere successio sive series legatorum, qui actu ipsoque facto, ut aiunt, tanquam testes ad populum Dei divinitus missi cum instrumentis jam exsistentibus coexsistebant. Idipsum ostendit

(1) Ad rem sunt, quæ de repub. hebr. c. v. scribit Bonav. Concl. Bertramus, quam plurima apud patres usitata Deum ad montem Sinaï potius confirmasse quam innovasse.

(2) Exod. IV. 15. sqq. coll. Is. VI. 7. 9.

(3) De qua re suo inferius loco data opera iterum disputabitur

b) munus officiumque eorundem, quod non eo tantum spectabat, ut prioribus adderentur novæ revelationes, sed etiam eo, ut quæ jam erant revelata divinitus, sive scripta ea essent, sive non scripta, hæc custodirentur sarta et tecta, rite observarentur, et ab inviis homines atque deviis ad illa revocarentur. Idem ostendit

c) juge sacerdotium, penes quod erat ipsa scripta lex et legis scientia, hoc est, erat penes illud (1) tam legis custodia ac tutela quoad librorum integritatem, quam authentica legis explicatio ac interpretatio quoad verborum sententiam, et supremum item erat penes illud judicium in dubiis atque controversiis. Sed hæc ostendunt, non solis nudisque instrumentis, verum distincto ordine (2) auctoritateque divinitus instituta hominum, qui ipsi reliqui præessent omnibus, quosque in negotio religioso audire omnes tenerentur, religioni tum temporis esse consultum. Ea igitur periodo testium œconomia comitabatur constanter instrumenta. Hoc ipsum ostenditur præterea

d) argumento plane cumulato, eoque ex traditionibus seu doctrinis petito, quæ, scriptæ licet divinitus non essent, tenebantur tamen. Illas autem locum revera habuisse, tum ex iis constat, quæ doctores affirmant judæi (3) non minus quam

(1) Bifariam patebat œconomia, qua Deus hac epocha religioni prospectum voluit, nimirum tum communi et ordinario sacerdotum ordine, tum singulari et extraordinaria, ut aiunt, providentia prophetarum, qua benedictus Dominus Deus Israel religiosam Judæorum rem administrabat.

(2) Huc spectant ab initio epochæ Deuteron. XVII. 8. sqq. XXXIII. 8., Exod. XXVIII. 30., Levit. VIII. 8. post medium, II. Paral. XIX. 11. versus finem, Malach. II. 7., quibus exprimitur munus officiumque sacerdoti ac levitico ordini commissum. His confer, quæ eodem spectantia cum Numer. XXVII. 15. sqq. leguntur, tum I. Esdr. II. 63. I. Reg. XXIII. 9. sq. XXVIII. 6. XXX. 7. sq. coll. Ecclesiastic. XXXIII. 3., quibus sacerdotum illa auctoritas ac prærogativa, jus et officium, utriusque exercitium ac functio haud obscure enarrantur. A quibus ea sejungi non debent, quibus externa per sacerdotalis officii indumenta distinctio describitur sacerdotum, atque immediata Dei per Urim et Thumim interpellatio significatur.

(3) Præter divina instrumenta, aiunt, alia insuper exsistebat ordinata divinitus manifestatio Dei, quam imminutam quidem priori templo everso sed nunquam penitus sublatam atque per בת־קול continuatam ipsi talmudici contendunt. Sed ad rem sunt, quæ exponit Raymund. Mart. Pugion. fid. cum observatt. Jos. du Voisin ad procem. § 6. ubi plures afferuntur e

christiani (1), ratum habentes, in synagoga obtinuisse traditionem oralem eanque non inhærentem modo sive exegeticam, sed etiam non inhærentem scripturis sive συστατικήν, cum nominatim constat ex fide synagogæ circa ipsa in-

judæorum legisperitis, qui a) successionem texuerunt judicum seu prophetarum seu sacerdotum magnorum, quos iidem b) veluti legis oralis patres authenticos, traditionum oralium testes, doctrinæque columnas habebant, unde in omnes Israelitas statuta prodiissent et judicia, quibusque credendum parendumque lex ipsa jussisset secundum Deuteron. XVII. 11. col. Exod. XXIV. 12.; quique c) argumentum potissimum sinceritatis oralium traditionum in continua reposuerunt summorum pontificum successione : ad quam pariter ipse quoque Josephus con. Apion. l. I. col. Antiq. jud. l. XIII. 6. X. 11. provocavit : docent illi porro, d) sacerdotes suis circundatos consistoriis fuisse, in quibus summus quidem sacerdos loco Aaronis, alius vero, quem nomine, princeps, distinguerent, loco Moysis functus sit. Quibus illorum sententia de oralis traditionis exsistentia aperte proponitur.

(1) Cf. Becan. man. controvers. l. I. c. II. nn. 2. sqq. Ad rem. du Perron, réplique à la réponse du roi de la Grande-Bretagne l. III. c. II. « Quis ignorat, veteres hebræos credidisse doctrinam de immortalitate animæ, de extremo judicio, de paradiso, articulum de inferno, de resurrectione corporum, ut patet ex libro Sapientiæ (Sap. VI.) et ex traditione prophetiæ Enoch (Judæ comm. 14.) et ex Paulo (Hebr. XI.). Et nihilominus ex hisce articulis, qui erant tamen omnes verbum Dei et doctrina fidei, ne unum quidem credebant virtute verbi Dei scripti, sed verbi Dei non scripti, i. e., traditione patriarchali ac mosaica, quæ ipsis proinde erat instar fidei principii verbique Dei, et cui non secus adhibebant fidem quam verbo Dei scripto. » Quibus utpote dogmaticis v. e. paulo post traditiones addit tum cæremoniales tum historicas sive typicas. Et quod ad priores attinet, prætermissis aliis plurimis, huc refert, quæ apud Paulum leguntur II. Timoth. III. Hebr. XII. Gal. III. Hebr. IX.; ad posteriores vero, quæ habentur ep. Judæ, Joan. V., Matth. XVII. coll. Marc. XV., Luc. XXIII., Joan. XIII. XVIII. et Matth. XXVI. coll. Marc. XIV., Luc. XXII., quibus, ut alia, quæ adduci possent, omittamus, verba et facta ad veteres traditiones expressa perhibentur. Ille utitur præterea vel ipso auctore Calvino, secundum quem V. T. patres sacramentorum nostrorum figuris utebantur; nominatim vero ait, sub figuris mannæ et aquæ e petra in eremo eductæ manducasse illos et bibisse corpus et sanguinem Christi per fidem, atque fidem hanc illis fuisse necessariam ad salutem. Cujus rei gratia præter alios veteres allegat Justinum M. in dial. c. Tryph., qui de agno paschali loquens scribit : « Et dixit Esdras populo, hoc pascha Salvator noster. » Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ, τοῦτο πάσχα ὁ Σωτὴρ ἡμῶν : quæ in scripturis nuspiam inveniuntur. Ad quæ confirmanda cum ritus conducunt sacrificales, tum alia plurima, inter quæ illud non est postremum, quod ad medium salutis feminarum attinet, quas loco circumcisionis abluendas aqua fuisse, ut salutis redderentur participes, non scriptum sed traditum erat. Atqui hæc et ejusmodi ad traditiones non rabbinicas, sed patriarchales, mosaicas propheticasque spectare dicenda sunt. De quibus cf. etiam Baron. c. Piccin., qui plura hac de re, ut animadversum est, nullatenus spernenda sapienter animadvertit.

strumenta, quandoquidem Judæi præter illa alia, quæ credebant, tenuerint etiam hoc, quod ad instrumentorum seu Bibliorum inspirationem una et numerum attinet, quin idipsum in Bibliis legissent scriptum. Tandem, quæ est præclara Baronii contra Piccininium (1) animadversio, ostendit idem

e) vel ipsa Hebræorum in babylonica captivitate conditio : licet enim illi summa laborarent sacrorum jactura librorum, qui vel absconditi vel disperditi essent; nullam tamen, quod ad rei caput ac summam attinet, synagogæ fides passa est jacturam. Non aliter ergo eam servabat, quam œconomia testium. Quæ si simul riteque spectentur, profecto extra omne dubium collocare dicenda sunt, epocha legis mosaicæ, cum instrumentis junctam una perstitisse propositionem probationemque fidei per testes; adeoque universim constare, tota illa periodo, quæ Christum Dominum prævertit, revelatorem Deum usum esse testium œconomia. Hinc pronum est ad ipsam periodum accedere christianam.

§ II. — De usu testium in œconomia christiana instituenda.

THESIS IV. *In beata temporis plenitudine misit Deus Pater Unigenitum suum tanquam testem, qui partes testis fidelis cumulatissime explevit.*

29. — DEMONSTRATIO. Quam certum est, revelationem exsistere christianam, tam est certum, plenissime semet Deum Patrem manifestasse, tum quum non purum ac simplicem aliquem hominem aliamve quampiam creaturam, sed eum mitteret in mundum, quem ipse, ut S. Anselmus loquitur, de corde suo genuit. Porro 29. Demonstratio.

I. quod misit illum Pater æternus, absque dubio constat Joanne auctore (2), qui non semel id ῥητῶς edixit; idemque virtute constat auctoribus Matthæo (3), Luca (4), atque I. Deus Pater Unigenitum suum misit.

(1) Cap. II. n. 5.
(2) Joann. III. 16. v. 36. sqq. VIII. 16 sqq. x. 36. I. ep. IV. 14.
(3) Matth. III. 16. sq. coll. VIII. 29.
(4) Luc. IX. 35. sq.

Joanne (1), apud quos contestantur de Christo cœlestes, terrestres infernique testes, esse illum æterni Filium Patris, qui ut suum Unigenitum ab omni æternitate generavit, ita eundem in tempore misit. Jamvero

II. Misit tanquam testem.

II. misit Unigenitum Pater æternus tanquam testem. Hoc enim charactere insignem eum futurum prædixit Isaias (2), jam præsentem annunciavit (3) Joannes Baptista adesse, semet ipse (4), Christus inquam Dominus, testem prædicavit,

(1) Joann. I. 7, sqq. 29. sqq. I. ep. v. 9. sqq.

(2) Is. LV. 4. הן עד לאמים נתתיו נגיד ומצוה לאמים, ἰδοὺ μαρτύριον (al. μάρτυρα) ἐν ἔθνεσιν δέδωκα αὐτὸν, ἄρχοντα καὶ προστάσσοντα ἔθνεσιν: « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. » De quo observamus, a) verba hæc, ad Messiam pertinere, ex christologia constare; nunc sumi, perque orthodoxos judæorum æque ac christianorum doctores constare; hinc b) verbum נתתיו, posui eum, ad Deum Patrem uti subjectum referri, qui Filium suum misit in mundum; sed c) nemo non videt, declarari qualitatem sive personam, qua præditum quaque fungentem Pater cœlestis Unigenitum missum voluit; atqui d) hanc non aliam esse liquet præter qualitatem personamque testis fidelis: distinguitur enim nomine μάρτυρος, עד. Testis autem e) etiam dux, antecessor seu princeps, atque præceptor seu institutor prædicatur, quod utrumque veluti ἓν διὰ δυοῖν acceptum significat institutorem principem, summum inter omnes, qui aliquando fuissent ac futuri essent, qui neque, uti fuerat Moyses, unius populi Israel, sed qui omnium gentium testis foret, institutor ac legislator, atque adeo tanquam testis prænuntiatur missus divinitus, qui uti princeps emineret et rex, cujus auctoritas testandi, instituendi jubendique foret suprema, missionis amplitudo foret universalis, institutio foret perfecta et plena, ita ut præcedentium testium seriem ad fastigium ipse adduceret, compleret institutionem, revelationem consummaret. Quod ex usu dictionum נגיד et מוצוה nonnihil juverit illustrasse, ideoque non abs re sunt, quæ habet in Iad Chazakah tractatu sanhedrin c. I. R. Moses Maiemonides: « Sapientissimum omnium sibi caput præficiebant; ille erat caput synagogæ, illum sapientes ubique principem vocant; locum ille tenebat Mosis doctoris nostri; maximum vero e septuaginta secundum ab eo collocabant, sedebatque a dextera principis vocaturque pater consistorii. » Quum vero iisdem rabbinis auctoribus apud consistorium, de quo superius dictum est, legalis transmissio erat receptæ a Moyse traditionis, profecto נגיד in testando, docendo jubendoque erat princeps. Quæ si ad Isaiæ oraculum aptantur, prædicitur Christus non modo testis, עד simpliciter, sed testis cum prærogativa supremi ducis et principis, atque מוצוה, testis cum suprema ac universali auctoritate constituendi, ordinandi, præcipiendi, ut Moysi quidem similis secundum Deut. XVIII. 18. sit, simul vero eum uti typum ipse antitypus, ἀντίτυπος compleat.

(3) Joann. III. 32. coll. v. 33. Ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ: « Quod vidit et audivit, hoc testatur. »

(4) Joann. III. 11. sqq. coll. VIII. 26. XVIII. 37. « Amen, amen dico tibi, quia, quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur. »

adfuisse retulerunt Apostoli Joannes (1) et Paulus (2), æternum esse revelavit Joannes (3). Sed enimvero

III. Testis erat fidelis.

III. testis erat fidelis. Nam quidquid ad testium munus partesque spectat, id Filius Dei et hominis perfectissime explevit, omnibusque absolutum numeris præstitit. Id ab illo præstitum fuisse, superiora ostendunt; ostendit quem descripsimus, suffragante cœlo, terra, inferno, illius character, quod est χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ, character substantiæ ejus, scilicet Patris, adeoque ipsa scientia et veritas visibiliter exsistens et personam testis præferens, testis fide digni et prorsus authentici, testis porro veracis atque fidelis, qui quod testandum a Patre acceperat, id profecto testatus est, quum operi, ad quod missus erat, deesse non posset; erat autem missus ad opus explendum testis fidelis; idemque ostendit universa, quam subiit, œconomia, qua missi divinitus rerum cœlestium testis non tantum egit personam, sed partes explevit docendo (4), doctrinamque operibus ac signis confirmando (5), ita ut ipse haberi veluti testis cœlestis voluerit continuo (6), cujus dictis et factis divina adhiberetur fides, itemque ipse declaraverit omnino di-

(1) Joann. I. 18. « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός; phrasis εἶναι εἰς τὸν κόλπον adhiberi de conjugibus solet, de infantibus præ genitoribus, de amicis aliisque hisce geminis, atque intimum exprimit conjunctionis modum, qui respective, ut aiunt, locum inter conjunctos habere potest; hinc sententia incisi præcedentis, θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε, hæc est, neminem cum Deo tam familiariter esse conversatum, tam intime vixisse, ut quæ Dei sunt, suis oculis immediate occuparit. Sed ejusmodi perceptio, qua generatim immediata rei cognitio significatur, expressio est certissimæ exploratæque cognitionis eo loquendi usu, quo species (oculis usurpare aliquid) pro genere (certissime nosse) adhibetur. Huc ergo redeunt verba Joannis : « Nemo plenam perfectamque Dei habuit unquam cognitionem nisi Unigenitus. » Est ergo Christus testis de immediato, ut loquuntur, visu et auditu, Joann. III. 11-32. sq., testisque certissimæ exploratæque scientiæ.

(2) Hebr. III. 1. sqq. coll. I. Tim. VI. 13. Fidelis prædicatur ut Moyses.

(3) Apocal. I. 5. coll. III. 14. « Qui es testis fidelis. »

(4) Cf. Marc. XIV. 49., Joann. XVIII. 20. XVII. 8. sqq., Matth. VII. 29 : Quotidie docens eram in templo : Ego palam locutus sum mundo : Ego semper docui in synagoga et in templo : Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis : Ego dedi eis sermonem tuum. Docuit ut potestatem habens.

(5) Cf. Joan. V. 36.

(6) Joan. VIII. 13.

serte, tum quum terrestri suæ œconomiæ finem imponeret, missionis suæ opus expletum esse ac consummatum (1); sed opus, ad quod missus fuit, erat opus testis fidelis; hoc ergo opus Christus Salvator consummatissime explevit. Ordo igitur providentiæ, quo Deus rei religiosæ ab originibus generis humani per testes consultum voluit, non fuit per Christum Dominum sublatus, sed collabente veteris legis œconomia multo instauratus nobilius, ad fastigium divinitus præordinatum provectus, suisque numeris plane absolutus. Scilicet Christus tanquam ille propheta κατ' ἐξοχήν apparuit, quem similem sui Moyses (2) futurum prædixerat, quem uti testem omnes audire, uti ducem sequi omnes deberent.

30. Œconomia testium post Christum continuanda fuit.

30. — Sed quemadmodum cum Moyse teste, itidemque duce ac mediatore V. T., ratio proponendi fidem per testes prohandique non desiit; ita N. T. auctor et mediator quam ipse testium omnium princeps et caput testandi œconomiam incepit, eandem post se propagandam atque continuandam (3) instituit. Ad hoc suadendum valent inprimis rationes congruentiæ sive convenientiæ, quibus œconomia testandi credendique cum generatim tum in ordine religioso speciatim ostenditur; valet deinde ratio ducta ex analogia ac inductione aliorum ordinum, physici, ethici, logici, in quibus Deus legem ab origine statutam voluit conservatam ac stabilem; id quod ex conservata in V. T. testium lege validius etiam confirmatur. Sed res non probabilis tantum, sed certissima est, neque suadetur tantum, sed persuadetur.

THESIS V[a]. *Christus Jesus, qui uti testis enarravit quæ vidit in sinu Patris, voluit effecitque ut divina religio per testes porro probaretur ac propagaretur.*

31. Demonstratio.

31. — DEMONSTRATIO. Profecto

I. Probatur negative.

I. negative inprimis contra receptam a novatoribus scripturarum œconomiam uti solam totius revelationis re-

(1) Joan. XVII. 4. sqq.

(2) Deuteron. XVIII. 15.

(3) Cf. fratres Wallemburg. l. III. de perpet. probat. fid. per testes, et quæ hac de re cum socio aliquando nostro et per idem maternum religionis vinculum fratre, cujus nunc sortem vehementer deploramus, communi opere disputavimus de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. XX.

gulam et arbitram, illa valet exceptio vulgaris (1), Deum non misisse sive librum scriptum sive Filium suum ad scribendum ; tum vero

II. positive, quod ad hunc ipsum Dei legatum attinet, certe consilium decretumque suum continuandi porro testium ordinis, quo plenitudo revelationis ab ipso profectæ ad omnes illuminandos sanctificandosque propagaretur, tum ante tum post expletam passionis suæ œconomiam Christus Dominus luculenter patefecit. Sane consilium decretumque illud, quod facto et opere exsecutioni mandavit, Christus Dominus II. Positive.

1) patefecit ante passiònem suam, quemadmodum referunt Matthæus (2), Marcus (3) Lucas (4) et Joannes (5), quibus auctoribus constat, plures a Christo selectos legatos fuisse verbique præcones, eosdem ad testium œconomiam subeundam rite institutos, ad prædicandum testandumve emissos, atque suos suæque doctrinæ fideles reapse futuros testes declaratos esse : nimirum constat ex illis, certum mittendorum testium numerum a Christo fuisse (6) selectum, ad munus testandi præparatum (7), testium dotibus instructum (8), cum mandato missos esse, et prænuntiatum, semet extensuram ad omnes populos missionem (9), itemque 1) E dictis factisque Christi ante passionem.

(1) Ita Thom. Münzer, ut est apud Neandrum hist. dogmat. tom. II. 224., dixit, Deum, si voluisset homines docere per librum, cœlitus decidere biblia jubere potuisse.

(2) Matth. x. 1. sq. xxiv. 14.

(3) Marc. iii. 13. sqq. vi. 7. sqq.

(4) Luc. ix. 1. sqq.

(5) Joann. xv. 26. sq.

(6) Coll. Matth. x., Marc. iii. vi., Luc. ix. II. cc., ubi docetur a) inprimis electio duodecim Apostolorum; b) deinde electionis finis, scilicet missio illorum ad prædicandum sive testandum; c) docetur ipsorum legatorum ad munus suum institutio, ut iidem verbi scientiam testandique rationem ac normam haberent; tum d) docetur collatio dotum potestatisque, ut iidem suo testimonio fidem conciliarent; tandem e) narratur muneris exsecutio, et experientia, quam illi in sua explenda missione fecerunt.

(7) Cf. II. s. cc. quibus sermo de vocatione Apostolorum ac missione. Hac porro missione, quam a Christo acceperunt Apostoli, futuram, quam suscipere œconomiam debebant, præformarunt seseque ad illam præsente ac moderante Magistro exercuerunt atque præpararunt.

(8) Ibidem.

(9) Matth. xxiv. 14. sq.

prædictum esse insuper (1), testium munus a selectis (2) expletum iri fideliter. Sed idipsum

2) Ex institutione Christi post resurrectionem.

2) patefecit Dominus Jesus postquam exaltatus fuit, quemadmodum auctores exsistunt Matthæus (3), Marcus (4), Lucas in evangelio (5) et in Actibus Apostolorum (6) unanimi suffragio tradentes, selectorum testium, quibus omnes credere deberent, legem et ordinationem Christi auctoris fidei christianæ institutam esse; ergo in christiana œconomia obtinet lex testandi et credendi. Et sane, institutam illam a Christo Salvatore esse vi ordinationis ac legis, significant (7) verba cum suprema potestate jubentis : « Euntes, docete omnes..... usque ad consummationem sæculi... Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. Prædicari (scilicet pœnitentiam oportet)... in omnes gentes... Vos autem testes estis... Et eritis mihi testes usque ad ultimum terræ. » Quibus continetur præceptum superioris in bonum universale illudque durans, ordinatio pro bono communi et ea permanens cum obligatione universali et communi semet ordinationi subjiciendi; proindeque statuitur lex socialis, nimirum societatis christianæ lex testandi, cui lex respondet credendi : Qui crediderit, salvus erit... Qui vero non crediderit, condemnabitur. Et reapse, hanc institutam a generis nostri redemptore œconomiam legemve esse,

3) E doctrina principum Apostolorum.

3) docent Apostolorum principes, beatus Petrus in Actibus (8) et sanctus Paulus tum in Actibus (9), tum, ut alia

(1) Matth. l. c., Joan. xv. 26. sq. Prædicit Salvator futuram in orbe sui evangelii prædicationem, quæ alia a testificatione non est; prædicit ergo, institutam a se prius testium œconomiam perennem fore, ut omnes gentes salutarem ejus fructum consequantur.

(2) Joan. xv. 26. sq.

(3) Matth. xxviii. 19. sq.

(4) Marc. xvi. 15. sqq.

(5) Luc. xxiv. 47. 48.

(6) Act. i. 8.

(7) Matth. xxviii. coll. Marc. xvi. Luc. xxiv. Act. i. 8., quibus Christus mandantis legemque ferentis voluntate Apostolis, quos a testium prærogativis communierat, munus testandi universale atque perpetuum commisit.

(8) Act. x. 41. sqq.

(9) Ibid. xx. 24. xxii. 14. 15. xxiii. 11. xxvi. 15. sq

prætermittantur, ad Timoth. (1), quibus concors perhibent suffragium, auctorem salutis Christum voluisse (2) seu præcepisse atque instituisse hanc œconomiam ac legem (3), qua augustissima sua religio per testes eosque præordinatos per orbem ubivis docendo prædicandoque propagaretur.

(1) Ep. I. II. 7. Ex his Pauli verbis collatis cum Act. XX. XXII. XXIII. XXVI. consequitur, idem esse apostolicum ministerium, testimonium, prædicationem, et eundem itidem esse prædicatorem authenticum atque doctorem; sed Act. X. 41. idem est prædicator et testis; sibi ergo æquipollent authenticus testis, prædicator et doctor : id quod ex verbis quoque missionis apostolicæ apud Matthæum et Marcum apte infertur collatis cum iis, quæ de eadem missione Lucas habet, quæque Paulus ll. supra adductis de munere suo ut teste, prædicatore atque doctore affirmat.

(2) Act. X. 40. sqq. Ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι, τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Καὶ παρήγγειλεν ἡμῖν, κηρύξαι τῷ λαῷ καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι οὗτος ἐστὶν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν : « Dedit (Deus Pater, ὁ θεὸς, secundum legem τῆς θεολογίας, qua Pater θεολογίζεται, et κυριολογίας, qua Filius κυριολογεῖται) eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. » Quo testimonio nullum desiderari aptius potest ad asserendam œconomiam testium in N. T. : docet enim Apostolorum caput et princeps a) benefactum divinæ per Christum et in Christo revelationis; b) negat diserte, illud factum esse omnibus et singulis immediate; affirmat autem diserte, c) factum illud esse immediate certis definitisque hominibus, et quidem d) his illud factum esse ut testibus; tum e) declarat qualitates testium, qui essent divinitus selecti deque immediato visu et auditu; porro f) indicat testium munus, prædicandi testificandique de visis et auditis; et g) significat, munus ejusmodi institutum ordinatumque esse tanquam legem christiani populi, societatisve christianæ. Quibus cf. Act. XXIII. 11. : Oportet te testificari, Act. XXVI. 16. : Constituam te ministrum et testem.

(3) Id cum superioribus docet Paulus Act. XX. 24. : Ὡς τελειῶσαι .. τὴν διακονίαν, ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ διαμαρτύρασθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ : « Dummodo consummem... ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei. » Sed ministerium verbi aliud non est a munere testandi testisque œconomia; ejusmodi igitur œconomia ac munus a Christo Jesu institutum ipsique doctori gentium fuit impositum, ut Paulus auctor est, iterum scribens l. c. ad dilectum discipulum Timotheum : Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ Ἀπόστολος (ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι), διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ : « In quo (ad quod μαρτύριον, sc. tuendum, propagandum, testimonium veritatis revelatæ consummatum temporibus suis, id est, in plenitudine temporum) positus sum ego prædicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior, me scilicet immediatam a Christo legationem accepisse), doctor gentium in fide et veritate

32. Officium testium obierunt Apostoli.

32. — Verum quod Christus voluit atque ordinavit, quod instituit jugiterque futurum prædixit, id locum deinde reapse habuisse, nemo dubitabit. Nulli porro, uti præstituimus, ad testandum de rebus ad Christum pertinentibus, aptiores (1) erant illis, qui nuncupantur Apostoli, id est, legati κατ' ἐξοχήν, quosque ad testium munus, uti par erat, subeundum θεωρητικῶς instruxerat ac πρακτικῶς præparaverat, quosque suos fideles fore testes Salvator ipse prænuntiaverat. Ii autem testium officium perfectissime obierunt.

THESIS VI. *Pro constituta a Christo œconomia probandæ propagandæque fidei per testes Apostoli munus partesque testium cumulate expleverunt.*

33. Demonstratio.

33. — DEMONSTRATIO. Hoc colligitur

I. Evincitur thesis illatione.

I. illatione ex dictis : prædixit enim Christus Dominus, fore apostolos sui testes verbique prædicatores in universo mundo. Infertur idipsum

II. E charactere scientifico et morali.

II. e charactere, quem scientificum vocant et moralem, quique ejusmodi est, ut Apostoli partium suarum officiique sui fideles administratores haberi debeant. Et re sane vera

III. Ex biographia Apostolorum.

III. huc spectat universa ipsorum Apostolorum biographia. Sed

IV. Rationes aliæ afferuntur.

IV. ut propriis idem ac specialibus rationum momentis demonstretur, conferantur invicem, quibus Apostoli uti fideles muneris exsecutores se manifestant, dum testes sibi adlegunt, dum se ut testes proclamant, dum actu et opere testantur, dum testimonio suo fidem vindicant, illudque uti fidei normam declarant. Sane, fuisse illos in exsequenda testium œconomia fideles, nominatim colligitur, quibus

a) præordinatum testium numerum complent sollicite (2) :

(ἐν διὰ δυοῖν, in seu ad fidem veritatis apud gentes probandam ac propagandam). » Quibus cf. Act. XXII. 14. sqq. aliosque ll. cc.

(1) Sive morum sive scientiæ eorum characterem spectaveris. Huc autem facit descriptio qualitatum, quibus Apostolorum princeps selectos testes excelluisse l. s. c. docet.

(2) Act. I. 17. sqq. Petri loquendi agendique ratio hanc manifesto persuasionem supponit, a) ecclesiam sine ministerio esse non posse : ut enim dicit : Oportet impleri scripturam, ita subdit : Oportet testem fieri, episcopatum ejus accipiat alter ; b) quotquot ad apostolicum ministerium, ad episcopatum ad-

ita enim impositi muneris ac institutæ œconomiæ conservationi prospiciunt; colligitur

b) iis, quibus semet illi ad testandum electos, constitutos præparatosque declarant (1) : quum ad officium testis inprimis spectet, suam aperire ac patefacere missionem; necnon

c) iis, quibus iidem semet ipsi (2) tanquam testes eorum, quæ viderunt et audierunt, sistunt, seseque adeo uti dignos fide testesque legitimos perhibent, constanter repetentes : Nos Christi Jesu, et eorum, quæ idem dixit et fecit, testes sumus; porro iis illud constat, quibus iidem

d) personam testium egisse testiumque partes docendo, prædicando, evangelizando, disputando, testificando, ut ipsi loquuntur, explesse (3), sive relatione aliena, sive propria

sumuntur, λαβεῖν τὸν τόπον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, eos singulari modo testes fidei constitui; c) primos testes, quos Apostolos vocavit Salvator, de immediato visu audituque esse oportuisse; d) per testes continuatos continuandam esse fidei prædicationem; adeoque e) probationem per testes non minus esse necessariam quam continuam. Quæ iis Pauli confessionibus firmantur, quas edidit ipse Act. xxii. 14. xxvi. 16.

(1) Act. xxii. 14. xxvi. 15. 16., ubi Paulus narrat, Deum sibi per os Ananiæ declarasse, esse se divinitus præordinatum prænuntiatumque : « Quia eris testis illius ad omnes homines eorum, quæ vidisti et audisti »; et iterum : « Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Sed exurge, et sta super pedes tuos : ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum, quæ vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi. »

(2) Ita beatus Petrus Act. ii. 32. iii. 15.; ita idem Petrus cum Apostolis Act. v. 29. 32.; ita rursus princeps Apostolorum Act. x. 39.; atque ita ipse iterum in I. ep. v. 1. Porro collatis I. Pet. v. 1. et I. Joan. i. 2. patet, a) eundem esse, qui testando communicat, atque annuntiando testatur; tum quod ad Petri sermonem attinet, animadvertatur, b) Petrum alloqui eos, qui ut ipse, erant πρεσβύτεροι distinctique a reliquis, illos nimirum, qui erant ποιμένες, adeoque ecclesiæ rectores ac προεστῶτες, qui erant ἐπίσκοποι officiumque ἐπισκοπῆς habentes; atqui c) juxta Act. i. 21. ἡ ἐπισκοπὴ erat officium testis; ergo ab Apostolis testibus constituti erant alii testes, pastores populique doctores. Quæ illustrari inde possunt d) quod apud Hebræos זְקֵנִים, πρεσβύτεροι, seniores κατ' ἐξοχὴν appellarentur non tam senio confecti quam viri sapientia illustres, quique proinde selecti essent in synedria et consistoria ad judicium exercendum, ut colligunt coll. Exod. iii. 16. 18. iv. 21. 29. xii. xviii. 5. 6., ad obeunda officia ac ministeria, ad regendum ac gubernandum, ut inferunt cum Thangum hierosol. coll. Gen. xxiv. 2., Gen. l. 7. et Levit. xix. 32., quique promoveri manuum impositione solerent, teste R. Mose Maiemonide tract. sanhedrin c. iv. Cf. Selden. de synedriis hebræor.

(3) Cf. Marc. xvi. 20., Act. iv. 2. sqq. v. 20. sq. xi. 26. xv. 35. xviii. 5. sqq. xx. 20. sq.

perhibentur : cujus rei testimonium perhibent evangelistæ et in Apostolorum historia tam judæi quam Apostoli, jubente ipso cœlo : apostolicorum ad munus illud gestorum explendum historiam (1) liber universus, qui Actus Apostolorum inscriptus est, suppeditat, necnon litteræ apostolicæ, quibus de adhibitis ab Apostolis sollicitudinibus laboribusque exantlatis luculentissime constat, ut (2) vel ipsæ inscriptiones palam faciunt; sed hæc confirmantur,

e) quibus sibi Apostoli ut testibus revelatæ veritatis adhibendam fidem (3) postularunt, et quibus

f) credendorum normam testium esse doctrinam (4) statuunt. His autem cœptam a Christo Domino testium œconomiam, ac institutam per ipsum testandi credendique legem Apostoli sancte custodiunt, et veluti legem societatis christianæ docent ac confirmant, continuant atque propagant.

§ III. — De testium in œconomia christiana perpetuitate.

34. An œconomia testium debuerit esse perpetua.

34. — Jamvero quæritur, num œconomia hæc perpetuari debuerit? Id nexum est cum præstitutis atque e multis dictorum clarissime sequitur : scilicet, Apostolos, sicuti a summo omnium teste Deoque ipso revelatore ad testandum missi

(1) Consulesis nominatim, quæ prioribus 10 capitibus Actuum leguntur de gestis a Petro, tum hæc de Paulo Act. XIII. 31. sqq. : Οἵτινες νῦν (al. codd. legunt cum vulg. ἕως τοῦ νῦν) εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν : « Qui (hi scilicet, quibus visus est per multos dies) usque nunc sunt testes ejus ad plebem ; » et Act. XXVI. 20., ubi confitetur Paulus coram rege Agrippa, quod τοῖς ἐν Δαμασκῷ πρῶτόν τε καὶ ἐν Ἱεροσολύμοις, εἰς πᾶσάν τε τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας, καὶ τοῖς ἔθνεσιν, ἀπήγγειλον μετανοεῖν, κ. τ. λ. : « His, qui sunt Damasci primum, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent » et q. s.

(2) Cf. inscriptiones beati Pauli Apostoli et I. Petri I.

(3) I. Cor. II. 17. sqq. XV. 1. sqq., Gal. I. 11. I. Thess. IV. 1. sqq. alibi, I. Joan. I. 1. sqq., Apoc. I. 2. coll. Joan. XXI. 24. : quibus munus christiani doctoris præclare describitur : ejus videlicet est, primo quidem a testibus præordinatis accipere, quod tenendum ; deinde vero quod accepit, non quod ipse inveniendo excogitavit, summa fidelitate auditoribus tradere.

(4) Philipp. IV. 9. Gal. I. 8. 9. et alibi, I. Pet. I. 12. 25., I. Joan. II. 24. : damnantur, auctore Paulo, atque anathema iis dicitur, qui ab annuntiato evangelio deflectunt ; atque Petro auctore fides, quæ uti salutis conditio proponitur, non alia est, quam quæ revelata fuit, et annuntiata a ministris, id est, testibus præordinatis.

erant, ita non ultimos fuisse testes, sed post ipsos testium seriem (1) jugiter porro continuari debuisse. Sane

THESIS VII. *Ratio probandæ propagandæque fidei per testes divinitus instituta ex dignis fide authenticisve instrumentis seu documentis judicari perpetua debet.*

35. — DEMONSTRATIO. Ad quod probandum explicandumque ita ex ordine ac per gradus disserimus : 35. Demonstratio.

I. Et primo quidem nullus post ea, quæ superius non semel animadversa fuerunt, dubitabit, probationem per testes, quam Christus instituit, ex sese suaque spectata natura perpetuam esse posse. Probatio namque per testes, ut expositum est, nullo jure suaque natura nullatenus aliquo certo tempore adstringitur, ita ut quod a principio probatum per testes propagatumque est, hoc deinceps per testes probari propagarique non possit; retinet enim vero illa exse suaque natura suum valorem : neque tempus est, a quo vis ejus pendeat, quo amittat quidpiam vel acquirat, non secus ac scientia testium et veritas, auctoritas scilicet nullo tempore circumscribuntur. Potest ergo probatio per testes divinitus instituta esse perennis. Deinde vero 1. Probatio per test ex se perpetua esse potest.

II. accedit præterea, quod spectata vi inductionis et analogiæ, vero videtur simillimum, conservatam illam perpetuamque voluisse. Sane, II. Argumentum inductionis et analogiæ.

a) quæ generatim superius adducta sunt (2), ut testium œconomia in negotio religioso non possibilis tantum, sed omnino probabilis ostenderetur, iisdem suadetur pariter, auctorem fidei in N. quoque T. voluisse testibus semper uti. Idemque gravissime

b) confirmatur iis, quæ superius de selecta divinitus eaque perpetua testium lege in prævertente fidei œconomia probata sunt, maxime si animadvertatur, eam fuisse rationis typicæ

(1) Cf. quæ de his disputavimus in commentario de eo, utrum fides imperari possit, tum de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. XXI,, necnon fratres Wallemburg. l. c. cc. VII. sq.

(2) Videsis analogias inductionesque allatas superius, easque tum ex aliis rerum ordinibus petitas, tum ex constantia legum, quibus Deus varios visibilis universitatis ordines regere ab initio voluit.

præformantisque futura, ea nimirum, quæ in plenitudine temporis obtinere deberent. Sed

III. Demonstratio ex spectato ordine historico, jure auctoris ac legislatoris.

III. spectato ordine historico, jure auctoris ac legislatoris christianæ societatis persuadetur, eam perpetuam esse. Id probatur

1) Adhibetur lex præscriptionis.

1) adhibita etiam vi præjudicii ac lege præscriptionis ex dictis factisque Christi et Apostolorum, quæ collata superius fuere. Sunt enim illorum dicta et facta inprimis, e quibus ferendum judicium est de ratione et œconomia, qua Christus in fundato a semet religionis ordine fidem probatam propagatamque voluit. Sed expensis, quæ, ut expositum prius est, dixit et fecit Christus ipse, quæque, ut vidimus, dixerunt et fecerunt Apostoli, decretorio præjudicio legeque præscriptionis statuitur, in historico fidei christianæ ordine stabilitam testium œconomiam esse perpetuam, seu institutam primitus declaratamque a nobis probandæ propagandæque fidei rationem, quæ perennis sua natura esse potest, censeri perennem debere. Quod quidem modo negante juxta ac affirmante sic conficitur : etenim

a) nihil dixit Christus nihilque Apostoli dixerunt, quo probatio fidei per testes negaretur;

b) nihil ille nihilque isti fecerunt, quo instituta probatio tolleretur vel excluderetur; contra vero

c) ea dixit Christus eaque dixerunt Apostoli, quibus fidei per testes propositio ac propagatio cum existens, tum futura (1) et necessaria (2) affirmatur; et iterum

d) ea fecit ille eaque isti fecerunt, quibus testium series reipsa cœpta continuataque fuit. Quum ergo

e) in controversia, quid in religioso providentiæ ordine adesse quidque abesse ab eodem censendum sit, norma jure petatur ex dictis factisque Christi et Apostolorum : perspicue patet, testium œconomiam in christiana religione omnino

(1) Matth. xxiv. 14. Καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πάσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος : « Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio. »

(2) Cf. explicata superius verba Christi et Apostolorum, quibus mandatur et dicitur : Ite, et prædicate; et vos eritis testes; et oportet docere ac testari.

admittendam ideoque post Christum et Apostolos existimandam esse perennem. Præsertim quod

f) de institutione agatur ab origine sua legali, id est, quæ tota ab auctoris pendeat voluntate : quod si igitur certo constet de ordinatione ac dispositione quadam ab illo facta, quæ insuper usu post illum invaluit, quin deinceps unquam fuerit ab eodem sive immediate sive mediate revocata, sublata, exclusa, abolita; concludi profecto vi præjudicii præscriptionisque legitimæ debet, mentem voluntatemque illius fuisse, ut ea legitima porro et quidem perennis persisteret. Verum his accedunt

2) explorata inprimis Pauli testimonia ad dilectum sibi discipulum (1) Timotheum, quibus effertur, cum Apostolis testium seriem non desiisse, verum

2) Affernuntur testimonia Pauli ad Timotheum.

a) demandatam sibi docendi prædicandique provinciam Apostolos demandasse ex ordine et juxta ordinem Christi auctoris rursum aliis, iis vero non ἀδιαφόρως, promiscue vel indifferenter; sed

b) selectis ad hoc officium viris idoneis; qui

c) vicissim ex mandato jussuque Apostolorum secundum institutionem legemque itidem Christi, fidei auctoris, id sibi injunctum haberent, ut depositum fidei, auditam scilicet a præordinatis testibus doctrinam salutis, sartum tectum custodirent, eoque fideles populos imbuerent; ideoque

d) testium seriem et propagatam esse et propagandam

(1) II. Timoth. I. 6. 8. II. 1. sqq. coll. I. Tim. VI. 12. sqq. Primum admonendo declarat Apostolus, constitutum a se Timotheum esse testem ritu particulari ac solemni : διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου, ad hoc nimirum ut testimonium ederet auctoris fidei : μὴ οὖν ἐπαισχύνῃς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν ; tum præcipit : Σὺ οὖν τέκνον μου, ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, (fortis esto in exsequendo ordine gratiæ, qui a Christo, per Christum, in Christo institutus ac constitutus est : et quis est iste ordo gratiæ? Subditur :) καὶ (et, sicut) ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται, καὶ ἑτέρους διδάξαι : « Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti a me per multos testes (id est, secundum multos prophetas testes de futuro et concurrentibus ministris, ut patet coll. I. Tim. I. 18. IV. 14. VI. 12.), hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. » Erat igitur Timotheus testis et doctor legalis. De quibus cf. disputata de eccl. Christi l. III. c. XXI. p. 232.

porro fuisse, ad hoc ut instituta a Christo fidei œconomia credendique lex perduraret. Ad quæ accedunt

3) Accedunt quæ idem scribit ad Titum.

3) quæ idem gentium doctor ad Titum scribit (1), quibus idem declarat

a) finem missionis Titi, eunque non alium, quam ut ab eo in Creta insula presbyteri, qui erant primi gradus ordinisve sacerdotes (2), constituerentur; docet Titum

b) modum, quo illos constituere debet, et hunc non alium ab illo, quo ipsi fuerat a Paulo dispositum; et

c) characterem explicat qualitatesque, quibus eos, qui constituendi essent, insignes esse oporteret. E quibus perspicuum est, ab Apostolis œconomiam testium sedulo diligenterque actu factoque propagatam esse, ipsos alios sibi subrogasse, et iis, qui in officio testificandi ipsos Apostolos excipiebant, injunxisse, ut alios vicissim, qui in idem munus succederent, pro necessitate opportunitateque diligenter deligerent. Unde plane constat, ab auctore fidei christianæ legem latam esse continuandæ porro perpetuandæque testium œconomiæ. De qua lege ne dubitetur, facit tum canon sive regula juris, qua in dubio de mente voluntateque legislatoris ac institutoris interrogandus præcipitur usus et consulenda immediate sequentium πρᾶξις : atqui immediate sequentium in instituta a Christo œconomia ministrorum usus et πρᾶξις secundum præmissa nequit esse luculentior; tum respondens œconomiæ testium lex credendi, quæ auctore eodem gentium Apostolo in instituto fidei ordine stabilis ac porro immutabilis est. Sane

(1) Tit. I. 5. sqq. Τούτου χάριν απέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃς, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην : « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego tibi disposui. »

(2) Cf. animadversa superius de verbis principis Apostolorum. Hinc Ephes. IV. 11-15. a Christo in opus ministerii varios quidem variis charismatibus ornatos viros, eos tamen omnes testes vocatos esse, Apostolus docet, qui necessario ad corpus Christi ædificandum, augendum consummandumque sint. E quibus apparet, 1) non internam sed externam institutam fuisse fidei œconomiam : 2) eam affirmando reponi in œconomia testium : 3) eanque ad supremum consequendum divinæ ac christianæ revelationis finem plane necessariam et perpetuam.

4) eodem auctore Paulo (1) lex fidei hæc est : fides ex auditu, auditus vero fidei a prædicantibus verbum legitime missis pendet; atqui fides eadem perpetuo atque immutabilis permanet beato Petro doctore; nihil ergo esse manifestius potest, quam perpetuam ac immutabilem esse fidei legem, ideoque fidei perpetuitati oportere perpetuitatem testium respondere, ideoque voluntatem auctoris fidei ab Apostolis promulgatam et exsecutioni mandatam fuisse, ut ex ordine præscriptaque ratione decedentibus aliis testium munere functis alii subrogarentur, qui antecessorum, ut par est, vices officiumque jugiter explerent. Atque hanc οἰκονομίαν reapse esse, quam christianæ fidei auctor, priusquam in cœlum rediret, instituit, evidenter omnino demonstrant

4) Declaratur lex fidei auctore Paulo.

5) gravissima Christi loquentis summaque potestate mittentis verba (2), quibus docentium, prædicantium, testium munus universale et perpetuum instituitur atque perenne futurum divina promissione prædictioneque jubetur. In celebri hoc testimonio duæ partes accurate distinguuntur, quæ expendi seorsim merentur.

5) Expenduntur verba Christi. Matt. xxviii. 18. sqq.

a) Quod ad priorem attinet, per eam

α) Apostolis ab eo, qui hac potestate pollebat, legitima confertur missio testiumque munus committitur; utrumque vero

β) nullo sive loci sive temporis sive revelatæ rei limite circumscribitur, sed amplitudine universali distinguitur :

(1) Rom. x. 14. sqq. Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται, εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; Πῶς δὲ πιστεύσουσιν, οὗ οὐκ ἤκουσαν; Πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; Πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; « Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? »

(2) Matth. xxviii. 18. sqq. Ἐδόθη μοὶ πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς... διδάσκοντες αὐτοὺς... Καὶ ἰδοῦ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος : « Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. » Quibus cf. allata superius Matth. xxiv. 14. et Marc. xvi. 15.

Docete omnes gentes, ubique; docete usque ad consummationem sæculi, semper; docete omnia; hinc

γ) non secus perennis confertur legitima mittendi testes constituendique auctoritas, ac ipsa missio testiumque œconomia perpetua est; sed

δ) perennitas sive perpetuitas illa non potuit tribui Apostolis ut personis sui nominis seu personaliter, qui tempori obnoxii et spatio erant adstricti; tributa ergo iisdem dici debet

ε) quatenus iidem subjectum erant instituti officii, collatæ propter idem officium auctoritatis potestatisve, sive officialiter, si ita loqui fas est, scilicet quatenus Apostoli ut tales legatione fungebantur pro Christo et in testandi ministerium erant vocati, quæ utraque eos ad continuos derivare successores oporteret; quare consequitur,

ζ) ab Apostolis ad successores continuos ex ordine missos ordinatosque itidem testes transiisse jugiter munus quoque, authenticam alios rursus mittendi verbi ministros testesque constituendi facultatem atque potestatem. Quæ quidem ordinata dispositio ea est, quam Paulus præcipit (1), quaque universa traditionis catholicæ ratio et firmitas innititur.

b) Quod jam ad alterum idque postremum incisum spectat, animadverti debet,

α) ex usu biblico (2) phrasi : « Ego tecum, ego vobiscum sum », ubi Deus subjectum est, significari præsentissimum Dei numen certissimumque rei, qua de agitur, exitum; jamvero

β) promittit Christus θεάνθρωπος, futurum semet cum docentibus ubique et omnia, quæ Christus dixerat, usque ad consummationem sæculi; docentes porro

γ) sunt testes; ergo

δ) usque ad consummationem sæculi cum testibus universalibus erit Christus; adeoque

ε) eo pariter usque testium universalium durabit successio et œconomia, indefectibile munus eorum ac testimonium,

(1) II Tim. II. 2. sqq.

(2) Vide appendicis instar adjectam huic commentario dissertationem.

illudque adeo stabit immobile et inconcussum, sartum tectumque divinitus, et sortietur certissime suos semper effectus, pro divinæ providentiæ ordine ac consilio altissimo vincet errorem, disjiciet tenebras, profligabit superstitionem, convertetque novissime natos ad salutarem Crucifixi fidem : ipse enim est, cui subjecta sunt omnia, qui suos elegit testes (1), ut eant et fructum afferant eunque manentem.

36. Scholion in quo objectiones diluuntur.

36. — SCHOLION. Quemadmodum tota probationis hucusque adductæ vis innititur auctoritate librorum, qui scripturæ per excellentiam vocantur, quibusque usi sumus non quidem prout inspirata eadem sunt, sed quatenus sunt monumenta historiæ digna fide sive authentica : ita necessarium est, ut removeantur dissolvanturque ea, quæ ex iisdem ducta fontibus in contrarium opponi vulgo solent. Et ex V. quidem T. opponuntur inprimis Isaiæ (2) atque Jeremiæ (3) vaticinia ad christianam œconomiam spectantia, quibus divinam revelationem omnibus ac singulis faciendam fore prædictum esse volunt ; ex N. vero T. iis excipitur, quæ habent Matthæus et Marcus (4), Joannes (5), Lucas in Actibus (6) et Paulus (7) non semel in epistolis, quibus œconomiam testium rejectam eique scriptorum œconomiam subrogatam dicunt. Sed quisquis testimonia ejusmodi obiter tantum inspexerit, is

I. Observantur aliqua generatim.

I. generatim observabit,

1) in plerisque omnibus nullum omnino de testibus sermonem institui ; hinc

2) iisdem probandæ propagandæque fidei per testes œconomiam nullatenus excludi ; adeoque

3) sicuti in illis probandæ propagandæque fidei ratio testibus exclusis in scriptis instrumentis nequaquam statuitur,

(1) Joann. xv. 16.
(2) Is. LIV. 13.
(3) Jerem. XXXI. 34.
(4) Matth. xv. 2. coll. Marc. VII. 5.
(5) Joann. v. 39. xx. 31. I. ep. II. 20. sqq.
(6) Act. I. 1. XVII. 11.
(7) I Cor. IV. 16. Coloss. II. 8. sq. necnon II. Tim. III. 14. sq.

ita eandem reponi nullatenus in revelatione, quæ fieret singulis immediate et omnibus. Jam vero quod

II. Respondetur speciatim.

II. speciatim ad singula attinet, de variis varia animadvertenda occurrunt. Et

1) Objicitur e prophetis V. T. A) Ex Isaiæ, LIV. 13

1) e prophetis V. T.

A) quod ad Isaiæ sententiam (1) spectat,

a) dicitur quidem, in plenitudine temporis Deum fore doctorem universorum, non particularis populi tantum, sed omnium gentium; at vero

b) quod ad modum divinæ institutionis attinet, is diserte non effertur; ideoque

c) qui hoc Isaiæ effatum objiciunt, ii rem confundunt cum modo : quodque de re ex se dicitur, id de modo accipiunt, qui esse potest externa ac mediata per testes institutio, et interna per illuminationem, et utraque simul, ita ut quod externa testium institutione communicatur, interna Spiritus gratia credatur; sed

d) siquidem judicium ferri de modo divinæ institutionis in nova œconomia debeat, is ex scripturarum harmonia colligendus, inprimis vero dispiciendus ex ipsa vaticiniorum impletione veritateque constitutæ novæ œconomiæ; atqui ex probatis liquido patet, Deum reapse in N. T. revelationisque ordine doctorem esse universorum omniumque gentium per testium œconomiam, ita quidem ut omnium ac singulorum, qui morigeras testibus aures præbuerint, sit doctor itidem internus, Spiritu suo illuminans omnes ut per salutarem fidem salutem consequantur sempiternam; atque adeo heic aptari canon hermeneuticæ interpretationis debet, quo constat (2) in scripturis frequenter effectus causæ principi, ac si causa eorum esset unica, tribui : id quod fit non ad excludendum simpliciter et infinite causam instrumentalem, sed ad asserendas causæ principis proprias partes : ita scilicet doctrina, fides christianæ œconomiæ tribuitur Deo non ut

(1) L. s. c. וכל־בניך לבודי יהוה : Καὶ πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς Θεοῦ (θήσω) : « Et ponam omnes filios tuos doctos a Deo. »

(2) Cf. Salom. Glassii logicam sacram, quam tamen virus hæreticum inficit non semel.

causæ unicæ, exclusis testibus veluti intrumentis et organis externis, sed tanquam causæ principi seu principali, quatenus fructus neque seminantis est, ut ait Paulus, neque rigantis, sed qui incrementum dat, Dei. E quibus præconcipitur prope ac intelligitur

B) quid de Jeremiæ vaticinio (1) animadverti similiter debeat : videlicet, opponi manifeste veterem novamque œconomiam ; sed B) Ex Jerem. xxxi. 34.

a) non opponi V. ac N. Testamentum propterea, quod illud

(1) L. c. ולא ילמדו עוד איש את־רעהו ואיש את־אחיו לאמר דעו את־יהוה כי כולם ידעו אותי למקטנם ועד־גדולם נאם־יהוה : Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἔτι ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ λέγων· γνῶθι τὸν Κύριον· ὅτι πάντες εἰδήσουσίν με ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν, φησὶν ὁ Κύριος. Circa quæ ἑρμηνευτικῶς hæc animadvertisse juverit, ut de exegetica porro sententia constet : nemo autem non videt, ex com. 31. sq. a) sermonem hic esse reapse de novo pangendo fœdere ; com. 31. b) utriusque fœderis indicari discrimen ; idque c) in eo reponi ex com. 32., quod lapideis illud inscriptum tabulis, interque externa divinæ fortitudinis portenta institutum, externis potissimum insigne favoribus esset ; sed d) quum ex com. 32. violatum porro fœdus esset, propterea idem auferendum faciendumque irritum esse ; denique e) particulare ex com. 33. esse, viri ad proximum, id est, ip[illegible]dæos tantum ; quare spectat ad rem tum hermeneutica dictionis hebraicæ, ... proximum seu fratrem, ἀδελφὸν, id est, cognatum, contribulem, popularem, in oppositione ad τοὺς ἀλλοτρίους, alienigenas, explicatio, tum grammatica de hoc Jeremiæ textu animadversio Salomonis Glassii, viri heterodoxi, philolog. sac. l. III. coll. 996. not. : « Quod, non, ἐλλειπτικῶς, pro, non solum, frequenter accipitur : et in altero, quod per adversativam opponitur, quædam præeminentia præ priori intelligitur, ac si subintelligendum esset, cum primis vel potissimum. » Id quod et aliis V. et N. T. testimoniis cum verbis Jeremiæ aptans, subdit : « Non docebunt amplius, scilicet solum. Est enim oppositio inter tempus fœderis legalis, quo quisque fratrem in vera doctrina instituebat, israelita scilicet israelitam, et inter tempus fœderis novi evangelici, quo non solum judæi, sed omnes etiam gentes cognitione veræ salutis imbuendæ sunt. In quo autem cognitio illa consistat (nimirum potissimum ac finaliter), statim subjicitur : כִּי, quod condonaturus sim iniquitates eorum, et peccati ipsorum non recordaturus sim amplius. Hæc est cognitio salutis, in remissionem peccatorum, Luc. I. 77., et notitia solius Jesu crucifixi, I. Cor. II. 2., in quo remissio peccatorum credentibus obtingit, Col. I. 14., Act. X. 43. » Sic ille non male. Quid porro in oppositione ad tale testamentum vel talem V. T. œconomiam de nova Christi Salvatoris œconomia significatur? Scilicet, f) quod ista contra internis illustris donis ; quod g) constans sibi et perennis atque universalis futura sit. De quibus conferri merentur tum Chrysostomus, qui discrimen N. a V. T. in majori minorique facilitate esse situm existimat, qua divina homines revelatione imbuerentur ; tum Augustinus et Theodoretus, qui plenam verborum sententiam ad futurum triumphi stadium referunt.

testibus regeretur et hoc instrumentis administrandum sit; neque eo etiam,

b) quod illud objectiva externaque tantum, hoc subjectiva duntaxat internaque unicuique facta revelatione contineatur; sed eo

c) opponi, quod

α) illius lex digito Dei tabulis inscripta lapideis esset, hujus vero lex imprimeretur cordibus : quod quidem discrimen ad illud refertur, quo distingui legis testamentum a testamento gratiæ solet; quod adeo

β) illud, veteris, inquam, Testamenti œconomiam Deus administrarit externis maxime rationibus, visibilibus adhibitis mediis, instrumentis atque signis; in hoc autem, in nova, inquam, œconomia internis intellectus voluntatisque gratiis maxime diffusis adfuturum se suo numine et adstiturum esse promiserit; quod

γ) illud inconstans ac temporarium, hoc firmum et perenne, illud stadio terrestri comprehensum, hoc usque ad cœleste stadium semet porrecturum sit; quodque

δ) illud particulare, hoc universale foret; atqui

d) hisce continetur quidem œconomiæ exclusio particularis testiumque popularium ac nationalium, sed ne verbum quidem de exclusis testibus universalibus continetur; et

e) denique exclusivam ejusmodi sententiam ab prophetæ verbis omnino depellendam esse, exigit declaratio Apostoli (1), qui vaticinium per Christum perque Christi œconomiam impletum esse, docet Hebræos diserte; sed docet idem Apostolus, institutam a Christo Domino testium perpetuam œconomiam; nihil ergo a verbis Jeremiæ alienum magis est, quam interpretatio, qua a christiana œconomia censeretur exclusa demonstrata œconomia testium. Sed neque exclusa censeri hæc eadem testium œconomia debet per ea, quæ

2) Objicitur e litteris N. T.

2) ex litteris N. T. depromuntur :

(1) Hebr. VIII. 11. Legitur in textu recepto loco πλησίον, ut est apud Jeremiam, πολίτην : sed in aliis instrumentis legitur apud Paulum uti est apud prophetam. Cf. Goldhag. ed. N. T. ad h. l.

A) Ex Matthæo (1) et Marco (2). Quæ ex ipsis adducuntur, ea propterea eaque mente opponi communiter consueverunt, ac si Christi discipulis, ipso annuente Magistro, nullæ traditionum habitæ habendæque fuissent curæ, ita ut testium ratio per eosdem exclusa penitus esset. Sed talis est exceptio hæc, quæ vix digna commemoratione videatur. Ipse namque divinus Magister (3) declarat, de his se traditionibus sermonem fecisse, quæ præceptis hominum continebantur non Dei, de mandatis, quæ ab hominibus profecta humanæ essent traditiones non divinæ, quæque tandem a pharisæis observatæ pharisaice tenebantur ita, ut præter et contra mandata divina iis inhærerent. Verum ut per hæc a pharisæis non excludebantur, sed asserebantur testes traditionum humanarum: ita a Christo testes missi divinitus divinorum mandatorum nullatenus rejiciebantur, sed potius adsignificabantur. Admissos sane tam in V. quam in N. T. divinorum testes reapse fuisse, ex harmonica utriusque T. interpretatione satis colligitur ac demonstratum est.

A) Ex Mat. xv. 2. et Marc. vii. 5.

B) Ex Joannis scriptis.

a) Ex evangelii v. 39.

B) Ex Joannis scriptis.

a) ad excludendam testium et ad asserendam unicam instrumentorum œconomiam, quam Christus mandato uti legalem instituisset, verbis Domini (4) inest apud Joannem : « Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. » Etenim spectata

(1) Matth. xv. 2. Γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι λέγοντες· Διὰ τί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων; Οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὅταν ἄρτον ἐσθίωσιν : « Scribæ et pharisæi dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem majorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. »

(2) Marc. vii. 5. Καὶ ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς· Διὰ τί οἱ μαθηταί σου οὐ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, ἀλλὰ κοιναῖς χερσὶν ἐσθίουσι τὸν ἄρτον; « Et interrogabant eum pharisæi et scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? »

(3) Matth. xv. 3. 6., ubi traditio, de qua sermo est, uti vestra, scilicet scribarum et pharisæorum, mandato Dei opponitur; et Marc. vii. 7. 8. præceptum ac traditio hominum vocatur.

(4) Joann. v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ.

α) propositionis, quam logici vocant, qualitate, verba Christi Domini sunt affirmantia, non negantia neque excludentia; sed nonnisi præpostere ex instrumentorum assertione infertur exclusio vel negatio testium ac testimonii eorum; spectata

β) logica seu dialectica verborum Domini indole, ea continent argumentum, quod ad hominem vocant, quemadmodum incisum causale patefacit, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; spectato

γ) objecto sermonis dominici, verba sunt ad certam quandam causam vel controversiam restricta, sed ex sese nequaquam ad totum revelationis ambitum extensa, uti patet ex inciso ἀμέσως sequenti, et illæ sunt, quæ de me testimonium perhibent: hoc enim inciso præcedens explicatur manifeste ac determinatur; ex eo porro, quod Christo Domino auctore scriptis instrumentis quæstio de divina ipsius Christi Salvatoris missione deque Messia plenissime solvitur, nullatenus consequitur, eodem auctore Christo per scripta instrumenta sola exclusisque testibus omnem universe quæstionem de tota revelatione divina resolvi; spectato præterea

δ) subjecto, ad quod sermo Christi factus est, illa ipsa non ad omnes promiscue homines vel fideles, verum, ut docet contextus, directa sunt ad judæos calumniatores, qui alii non erant, quam scribæ inprimis et pharisæi, quibus sicut scripturæ debebant esse et dicebantur exploratissimæ, ita eædem opponebantur decretorie etiam solæ per se, quin propterea sive testium œconomia sive eorundem vis et auctoritas simpliciter ac indefinite excluderetur; spectata

ε) forma verbi, sententia neque per textum neque per contextum præceptiva potius quam historica est; sed aliud est factum a Christo Domino historice significatum, aliud est impositum ab ipso officium vel statuta lex; sed tandem spectatis

ζ) rerum naturis, ipsa œconomia vel ratio scripturarum tam probantes quam proponentes testes supponit et exigit. Perperam ergo verbis illis utuntur ad excludendam testium œconomiam et vim. Neque validiora ad excludendos testes

asserendamque exclusivam scripturarum œconomiam sunt,

b) quæ idem sanctus Joannes in evangelio suo iterum scribit (1) : « Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. » His enim b) Ex evang. xx 31.

α) declaratur quidem per affirmationem finis, cur Joannes suum scripserit evangelium, sed non tollitur per exclusionem sive finis sive necessitas testium; nimirum

β) affirmatur ac declaratur quidem definite, ὁριστικῶς, finem, ob quem sanctus Joannes scripsit evangelium, fuisse probationem divinitatis Christi, sed declaratione hac non negatur indefinite, ἀορίστως, sive istam ipsam sive insuper alias veritates revelatas per testes tradi potuisse vel debuisse, vel etiam tradita reapse fuisse; immo

γ) indicatur satis (2) in ipso contextu, non omnia a Joanne litteris consignata fuisse; quare

δ) licet significetur certa quædam scripturarum sufficientia, quatenus iisdem certa quædam capita revelationis continentur, itemque clare : ea tamen sufficientia nullatenus docetur veluti omnigena seu generalis quoad objectum revelatum, neque ut absoluta seu citra proponentes illud atque docentes, multoque adeo minus proponitur eadem tanquam necessaria unice et exclusiva testium œconomiæ. Sed tandem neque iis hæc eadem excluditur,

c) quæ ab Apostolo Joanne excipiunt ad demonstrandum, institutam a Christo œconomiam non esse testium, sed revelationis universalis itemque immediatæ. Hoc autem, inquiunt, Joannes in priori epistola scripsit, dicens (3) : « Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. » Verum his, quæ in sua epistola dilectus discipulus expressit, c) Ex I. epist. II. 20.

(1) Joann. xx. 31. Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

(2) Ibid. 30. tum commatis præcedentibus, quibus quemadmodum reprehenditur Thomas, quod testibus resurrectionis noluerit credere : ita prædicantur beati, qui non viderunt et crediderunt.

(3) Joann. 1. ep. II. 20. sqq. Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα.

α) affirmatur quidem, fideles, ad quos litteras illas dedit, nosse, id est, scire, intelligere (posse, accepto actu, ut fit in scripturis, pro potentia eaque desuper data) revelatum objectum, notitia scilicet, scientia intelligentiaque salutari fidei; sed non negatur his verbis, fidei objectum innotuisse per testes, neque innotuisse affirmatur illud sive per sola instrumenta sive per revelationem immediatam factam singulis; neque

β) affirmatur infinite, fideles, ad quos scribit, nosse omnia, quæ ad fidem pertinent, sed illud dicitur tantum in subjecta, uti aiunt, materia (1), scilicet omnia, quæ ad impostores vitandos sunt necessaria: eodemque sensu dixerat superius, non habere fideles necesse, ut quis eos doceat, scilicet, aliquis ex pseudo-doctoribus; accedit vero,

γ) quod indicatur in contextu aperte, eosdem omnia nosse lumine quidem interiori, sed illa eos edoctos fuisse exterius, ut collatis, quæ in eodem capite leguntur (2), manifestissimum est, quum Joannes diserte declaret, habuisse fideles mandatum vetus, id est, mandatum, quod ab initio acceperint, et quidem verbo non scripto sed prædicato, scilicet acceptum illud cognitumque habere per auditum, moneatque instantissime, ut in eo, quod audiverant ab initio, permaneant atque firmiter persistant. Tantum ergo abest, ut per documenta a dilecto discipulo relicta adducatur testium œconomia in discrimen, ut per eadem confirmetur et asseratur.

C) Ex Luca evangelista Act. I. 1. XVII. 11.

C) Ex Luca evangelista. Neque porro ea ad conficiendum contrarium facta sunt, quæ a sancto Luca evangelista narrata leguntur (3), quasi tota N. T. revelatio bibliis comprehensa foret. Etenim

(1) Ita vel ipse Grotius ad h. l.

(2) I. Joann. II. 7. 18. 24. Ἀγαπητοί, οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ' ἐντολὴν παλαιὰν, ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς· ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος, ὃν ἠκούσατε.

(3) Act. I. 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ὦ Θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere. » Tum XVII. 11. Ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρινόντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως: « Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. »

a) data hypothesi, ex eo quod Lucas omnia scripsit, non sequitur, nullos pariter institutos omnium testes fuisse; neque hisce Lucæ verbis exclusio testium omnino, ut liquet, postulatur; sed e contrario

b) aliis Lucæ sententiis supra expositis postulatur omnino, ne verba illa de testium exclusione accipiantur: nihil enim ex Actibus manifestius, quam institutam esse ac viguisse inde a christianis originibus testium œconomiam; postulat igitur canon interpretationis harmonicæ, ut cum instrumentis amice concilietur testimonium testium; at vero

c) permitti nullatenus potest vel debet hypothesis: nam

α) Lucas minime dicit, se omnia scripsisse, sed tantum dicit, se scripsisse de omnibus; sed hæc phrasis pro vi ac potestate sua rite intelligitur de genere, ut aiunt, singulorum, non de singulis generibus; quinimo

β) de singulis et omnibus illam neque posse neque accipi debere, ex ipsa re constat: quum Lucæ evangelio, ad quod in hoc Actuum loco respicitur, nullatenus omnia et singula Christi Domini sive facta sive dicta contineantur; sed insuper

γ) non dixit Lucas, se scripsisse de omnibus simpliciter et absolute, verum secundum quid, ut loqui solent in schola, ac relative, nimirum, quæ cœpit facere, id est, ab initio, usque ad diem qua assumptus est, videlicet, usque ad finem visibilis suæ in terris œconomiæ, quibus Lucas dictionem, de omnibus quæ cœpit Jesus facere, definit, eanque determinat ac refert ad summam temporis rationemque χρονολογίας, non ad summam rerum et vim πραγματολογίας, ita ut vox, omnia, dicatur κατὰ χρόνον, non κατὰ πράγματα, de plenitudine narrationis quoad stadia vitæ vel tempus, non autem quoad revelationis rerumque capita, unde Christi biographia exsistat tota extensive, non intensive totalis, uti loquuntur; atqui

δ) hoc est, quod reapse confirmatur asseriturque tum ipso evangelii Lucæ instituto examine, quod complectitur quidem Christi biographiam historice seu chronologice plenam, sed nullatenus catechesin institutionemve religiosam theologice sive dogmatice plenam; tum confirmatur asseriturque insti-

tuta collatione cum ipso evangelii Lucæ principio (1), quod et parallelismum præfert apertum cum initio Actuum apostolicorum, et consilium continet propositumque declarat (2), quod sanctus ille evangelista in evangelio scribendo habebat, scribendi scilicet de rebus ad Christum spectantibus, secus ac fecerant alii aliisque facere conantibus successerat, omnia, non quidem omnia absolute et simpliciter, sed quæ referrentur ad evangelicam Jesu historiam per alios jam vulgatam firmaque fide receptam, quæque ipse perfecte habebat explorata, ut ea plenius, id est, ducto ab ipsis originibus initio, accuratiusque ad eum, quo gesta sunt vel contigere, ordinem revocaret. Sed enim vero aliud omnino est, scribere infinite omnia et singula per partes, τὰ πάντα κατὰ πρᾶγμα et καθ' ἕκαστα, quæ Christus Dominus gessit et docuit, et aliud, scribere omnia, quæcunque de Jesu vitaque ejus ab initio usque ad finem scribuntur, κατὰ τάξιν sive καθεξῆς. Hoc, non vero illud sibi Lucas in texendo evangelio proposuit; hoc idem igitur, non autem aliud, fecisse dicendus est; itidemque hoc ipsum, non illud, in Actibus Apostolorum significasse dici omnino debet evangelistarum accuratissimus ceterisque T. N. exactior in usu græcitatis atque scriptor perpolitior. Ipso ergo auctore hypothesis excluditur, qua innixi christianæ testium œconomiæ hostes unicum totius christianæ revelationis fontem in instrumentis reponendum esse inferunt.

D) Ex Pauli epistolis.

D) Ex Pauli epistolis. Ex his denique excipiunt, unicam credendi normam esse scripturam,

a) Ex I. ep. ad Corinth. IV. 6.

a) scribente (3) Apostolo : « Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. » Verum

(1) Luc. I. 1. 3. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων... ἔδοξε κἀμοί, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε.

(2) Cf. de hoc argumento immortale opus Francisci Xaverii Patritii e S. J., de evangeliis, l. III. dissert. 1. de proœm. evangel. Luc. pp. 3. sqq.

(3) I. Corinth. IV. 6 Ταῦτα δὲ, ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ (al. ὃ ap. Griesb. et Goldhag.) γέγραπται (φρονεῖν), ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε (al. φυσιοῦσθω, al. ἵνα μὴ ἕνα... φυσιοῦσθαι, ap. Goldhag. et Griesb.) κατὰ τοῦ ἑτέρου.

α) animadvertendum est in primis critice, quod non integra neque certa lectione versioneque utuntur, qui verba Pauli, τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται, ita objiciunt, ac si iis significaretur, nihil præter id, quod scriptum est, credi oportere : mutilant enim dicta ab Apostolo, dum omittunt verbum, φρονεῖν, non credere, sed cogitare, existimare; sed nemo non videt, quam sit ab illo diversum; maxime si animadvertatur

β) grammatice ac philologice, perperam ab iisdem accipi phrasin, ὑπὲρ ἃ sive ὃ, qua nullatenus significatur, præter quam quod seu præter quod, quum propria præpositionis, ὑπὲρ, significatio non sit præter, sed supra; et perperam avelli ab iisdem præpositionem, ὑπὲρ, a verbo, φρονεῖν, quocum copulanda; sed ὑπερφρονεῖν idem est ac insuperbire (1), efferri super alios, qui textus omnino præfertur; profecto

γ) animadvertendum theologice ac historice, quod tum cum hæc scriberet Paulus, scripturæ omnes nondum exsistebant, et adeo neque erant neque esse poterant tota et unica credendi norma; sed accedit

δ) exegetice, quod præpostera est tota istorum interpretatio exegetica, quum verba, supra quam scriptum est, indefinite de fide, et quidem de universa fide accipiunt : quod et communi aliorum interpretationi et orationis ductui manifesto adversatur. Licet enim verbum, scriptum est, γέγραπται ab aliis (2) ad id, quod paulo ante Paulus scripserat, referatur; ab aliis (3) ad nullam scripturam, sed generatim et infinite ad normam præscriptam, ut valeat idem ac, ut oportet; ab aliis vero, non quidem cum ipsis opponentibus ad omnes

(1) Hinc vulgatus interpres reddens incisum hoc pacto, « ne unus adversus alterum inflетur », vim verbi compositi ὑπερφρονεῖν, expressisse omnino dicendus est; ipsaque versione vicissim confirmat tam hermeneuticam quam exegeticam explicationem, quæ proposita est.

(2) Cf. Rosenmüller schol. in N. T. ad h. l., ubi verbis, ἵνα ἐν ἡμῖν γέγραπται φρονεῖν, hunc subjicit commentarium : « Ut nostro exemplo discatis, non arrogantius de se sentiendum esse, quam modo (v. 1. 2.) significavi. Verba, ὑπὲρ ὃ γέγραπται, non videntur esse referenda ad s. scripturam V. T., sed ad hanc epistolam, quam (modo) scriptum est in his litteris a me. »

(3) Ita ap. Rosenmüller l. c. Schulzius, qui phrasin, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, « explicat, ita, ut decet, modestum esse, non ultra normam præscriptam de se sentire. »

libros inspiratos totamque christianæ fidei revelationem, sed ad libros generatim V. T. (1); et denique ab aliis (2) cum sapientibus orthodoxisque non paucis interpretibus referatur nominatim ad certum locum V. T. (3) : omnes tamen in eo conveniunt, eo sententiam Pauli pertinere, ut modestia commendetur, neve alter supra alterum semet efferat. Atque hoc est, quod hujus cum universo capite præcedente connexio contextusque confirmat et exigit, quo Paulus oborta a mutua aliorum supra alios elatione dissidia vehementer reprehendit, modestiæ caritatisque regulam exponit et formam proponit. Quæ cum ita sint, nihil profecto ex dicto Pauli contra testes potest vel debet inferri. Sed tandem

ε) logice nec quidquam inferri contra testium œconomiam posset ac deberet, si vera foret hypothesis, phrasi paulina, ἃ γέγραπται, heic significari, totam christianam revelationem scriptam esse : tum quod spectata tota verborum complexione, ὑπὲρ ἃ γέγραπται... φρονεῖν, idem potius esset ac, sive contra scriptam revelationem cogitare, sive semet supra scripturas efferendo revelationem despicere; sed ex eo, quod scripturæ non sunt contemnendæ, non sequitur, contemnendos esse testes : tum quod, uti plus semel expositum est, instrumentis testium ratio non excluditur. E quibus liquet, repetitam ex allato Pauli testimonio exceptionem laborare hypothesi, quum illud nequaquam faciat ad rem, dataque ipsa hypothesi tam hermeneutice quam logice spectatam omnino perperam esse. Quare ejusmodi paulina sententia nonnisi præpostere opponitur ad testium œconomiam ab ordine christianæ fidei excludendam. Atque idem plane repeti debet,

b) Ex ep. ad Col. II. 8.

b) spectatis vel obiter his, quæ idem Apostolus gentium scribit (4) de traditionibus ad Colossenses dicens : « Videte,

(1) Id significatur a Rosenmüller l. c.

(2) Ita Hugo Grotius annott. ad epp. Pauli.

(3) Deuter. XVII. 20. לבלתי רום־לבבו מאחיו : « Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos. »

(4) Coloss. II. 8. Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ χριστόν.

ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum : »q uum Paulus, similiter ac superius apud Matthæum et Marcum Christus ipse Dominus, non ad testium divinitus missorum traditiones, quæ revelationem Dei continerent, verum ad inanes falsasque opiniones ab hominibus profectas et per homines propagatas respiciat. Atque idem censeri repetique denique debet,

c) consideratis iis, quæ iterum habet Paulus scribens (1) ad fidelem discipulum Timotheum de sacris litteris, quibus is erat institutus ab infantia : « Tu vero permane in iis, quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris ; et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. » Sunt ea namque, c) Ex II. ep. ad Timoth. III. 14. sqq.

α) spectata propositionis qualitate, affirmantia rursum, non autem negantia;

β) spectato objecto, quo de sermo fit, sunt manifestissime restricta ad solum V. T. ;

γ) spectato subjecto, ad quod sermo dirigitur, est ad docendum a Paulo institutus ;

δ) spectata affirmatione, ipsa verba non prædicant scripturæ ad salutem sive necessitatem sive sufficientiam, sed efferunt tantum utilitatem atque insitam iisdem vim adducendi, si quis iis, ut oportet, utatur, ad salutem, sed ad salutem, quæ est per fidem eanque in Christum auctorem N. T. ;

ε) quemadmodum illæ ad christianam œconomiam cognoscendam utiles dicuntur, et in primis christianæ fidei doctori, ad eam judæis ac infidelibus persuadendam : ita de ipsa christiana œconomia regenda administrandaque sive per testes sive per instrumenta ne verbum quidem a Paulo hoc testimonio edicitur ; sed

ζ) quod heic de instituta perpetuaque testium œconomia

(1) II. Tim. III. 14. sq. Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης, εἰδὼς, παρὰ τίνων ἔμαθες, καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους (τὰ) ἱερὰ γράμματα οἶδας, τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, κ. τ. λ.

non dicitur, id alibi luculentissime, ita ut illa compertissima vel ex ipsis ad Timotheum litteris exploratæque asseratur et sit. — Sed gravior res est, quam quæ uno duntaxat genere argumentorum probata satis existimari debeat. Hinc

THESIS VIII. *Eidem perpetuitati stabiliendæ egregie conducit universalis christianæ societatis persuasio, quæ certis monumentis perspicuisque factis manifesto expressa est.*

37. Demonstratio.

37. — DEMONSTRATIO. Si de quæstione vel dubio, quid patres voluerint quidque instituerint, exploranda sit sententia ac persuasio filiorum; et de lege deque norma ab auctore societatis statuta ac lata judicium ferendum sit tum ex constanti et universali sentiendi ac loquendi, tum ex continua, publica solemnique gerendi semet et agendi ratione perdurantis ipsius societatis, et maxime eorum, qui sapientia in eadem et auctoritate excellunt : profecto nihil ad perpetuam testium œconomiam demonstrandam afferri illustrius potest, quam quod hac de re constat ex mente ac persuasione antiquissimæ, antiquæ sequiorisque societatis christianæ. Quod quidem non ex iis modo colligitur, quæ sapientissimi quique omni ætate θεωρητικῶς dixerunt ac docuerunt, sed ex iis etiam, quæ ab iis, qui in illa insignes erant potestate, pro adjunctis quavis ætate πρακτικῶς gesta factaque sunt. Et quod

I. Ex monumentis ecclesiasticis.

I. ad ea attinet, quæ inde ab antiquissimis ætatibus dicta et repetita constanter fuerunt : universalem constantemque persuasionem de jugi probandæ fidei per testes œconomia christianæ societati alte inhæsisse, ostendunt

1) Ex disertis veterum effatis.

1) diserte quotquot inter veteres de christiana demonstratione quidpiam litteris consignarunt. Unanimi namque consensione iidem statuunt necessitatem credendi fideique testibus adhibendæ. Eo in primis spectant Clemens alexandrinus libris Stromatum (1), Origenes in suis contra Celsum dis-

(1) Affirmat Clemens præter alia, 1) generatim legem credendi esse necessariam, idque ex ipsis philosophorum scholis colligi (l. V.); tum vero 2) speciatim necessarium plane esse, ut fides adhibeatur Verbo Dei unctisque divinitus viris (l. V. 13.); 3) veram philosophiam supernamque Verbi religionem per catecheticas institutiones incrementa accipere, adeoque probari

putationibus (1), Augustinus toto libello de utilitate credendi, et in sua de curandis gentilium affectionibus oratione Theodoretus (2), qui omnes una voce legem necessitatemque aliis credendi generatim ostendunt, deinde vero nominatim in re religiosa veritatem recipiendam ab iis esse docent, quos divina Sapientia ac Veritas ad instituendos in salutari fidei doctrina omnes populos ipsa ab initio primum miserit jugiterque porro mittendos audiendosque præceperit. Ostendunt,

2) quæ de fidei regula, eaque ad probandam veritatem christianam necessaria ac sufficiente præstituta sunt cum ab aliis passim patribus (3) tum ab Irenæo (4), Tertul-

2) Ex iis, quæ statuunt de fidei regula necessaria ac sufficiente.

propagarique per testes (l. VI. 3.); hanc autem institutionem 4) ab ipso Magistro omnis rationalis creaturæ, a Dei Sapientia profectam esse (l. VI. 7.); propagatam vero 5) ab electis missisque Apostolis (l. VI. 6.), ad quos Verbi prædicatio primum pervenit, qui fuerunt dominicæ adoptionis hæredes, quique firma atque immobili notitia mysteria cœlestia cognoverunt (l. VI. 6-8.); ab iis deinde 6) ad posteros salutis doctrinam propagatam fuisse, idque per homines intelligentes, imbutos et electos, perfectos gnosticos, quorum officium sit ac munus, docere, ita ut ab eorundem doctrina recedere, adulterium sit ac hæresis (l. VI. 8. 17. VII. 9. sqq.).

(1) Contra Celsum, cum alibi, tum I. I. 10. sqq. I. VI. 10. Cum Clemente ostendit similiter Origenes 1) credendi generatim necessitatem (l. I. 10.); tum 2) necessitatem credendi nominatim Christo, Veritati ipsi, quæ in mundum missa sit, ut homines ab idololatria revocaret salutarique Dei cognitione imbueret; 3) ab Christo fuisse rursum speciatim discipulos ad prædicandum missos (l. I. 38.), iisque ut fundamentis inniti nostram fidem (l. I. 42-47.); 4) voluisse Christum, ut in universo mundo evangelium prædicaretur (l. I. 62-68. l. II. 13. 42. sqq.); porro 5) modum rationemque declarat, quo christianæ societati adjungi solebant, quicunque Christo nomen dare cupiebant, eunque orali fidei propositione institutioneque constitisse docet: proindeque auctore Origene patet, magistros doctoresque fidei requiri, ut omnes omni tempore per Christum consequi salutem valeant.

(2) Oratione I. therapeutica. Hoc uterque, cum Augustinus tum Theodoretus, probandum sibi proponit, 1) universim sine fide nihil sciri: quum 2) universalis sit discendi lex et necessitas; hinc 3) universalem legem esse audiendi alios, a quibus discatur; proinde 4) necessarium esse magisterium, necessarios doctores atque magistros; tandem 5) speciatim potissimumque necessarios illos esse in re omnium gravissima, difficillima, sublimissima qualis est religio juxta supernam revelationis œconomiam.

(3) Cf. commentar. de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. xxvi. n. 278., et de unitate romana I. I. nn. 107. sqq. pp. 78. sqq. de methodo orthodoxæ fidei probandæ.

(4) Adv. hæres. l. I. c. x. 1. 2. l. III. c. iii. sq. l. IV. c. xxxvi. Duplici forma doctrinam testium Irenæus ut regulam fidei proponit, negante altera et altera

liano (1) et Origene (2), qui non aliam credendi normam sequuntur et statuunt, quam testimonium eorum, qui continuato jugiter ordine Apostolis succedunt; sed profecto immutabilis credendæ veritatis, immobilis fidei norma constans sit oportet, immutabilis atque perpetua; perpetua ergo erit esseque debet series atque successio testium, qui ab Apostolis descendunt. Eandem præterea persuasionem societatis christianæ de perpetuitate œconomiæ testium ostendunt præclare,

affirmante: negante quidem, quando docet, non alios ad veritatem cognoscendam audiendos esse, quam qui ordinata successionis serie ad Apostolos revocantur; affirmante vero, quando declarat, eam esse veritatem christianam, quæ cum doctrina et prædicatione eorundem illorum apprime consentit. Unde postremo l. c. concludit: «Quapropter eis, qui sunt in ecclesia, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. » Quibus addit : « Reliquos, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt, suspectos habendos vel quasi hæreticos et malæ sententiæ, vel quasi scindentes, aut rursus ut hypocritas quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate. »

(1) De præscriptionibus cc. XXXII. XXXVI. Is similiter ac Irenæus a veritate alienos habet, qui doctorum suorum ab Apostolis derivationem ostendere non valent, et eam habet sanam christianamque doctrinam, quæ a viris profi-ciscitur, qui cum Apostolis et eorum continuis successoribus externa vinculi et interna sententiæ communione cohærent.

(2) In procemio ad opus περὶ ἀρχῶν. Postquam Origenes ab initio προλόγου luminosum hoc doctrinæ caput præstituit, quicunque unquam credidissent, eosdem nonnisi per Christum, qui est ipsa Veritas, credidisse, atque adeo Christum fuisse, qui in Moyse, eundemque pariter, qui in prophetis locutus sit, n. 2. sic præclare pergit : « Quoniam ergo multi ex his, qui Christo se credere profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis, id est, vel de Deo vel de Domino Jesu Christo vel de Spiritu sancto, non solum autem de his, sed etiam de aliis, quæ creaturæ sunt, id est, vel de dominationibus vel de sanctis virtutibus: propter hoc necessarium videtur, prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere, tum etiam deinde de ceteris quærere. Sicut enim multis apud græcos et barbaros veritatem pollicentibus, desivimus apud eos omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus filium Dei esse Christum et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus : ita quum multi sint, qui se putant sentire, quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad præsens in ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. » Quibus simillima repetit l. I. 2. l. IV. 9., fideique perennis normam perennem, perenne scilicet testium suffragium asserit.

3) quæ de ipsa speciatim perenni testium serie post romanum Clementem (1) tradunt quotquot veterum antistitum catalogos texunt (2) diligenterque percensent, cui qui-

3) Ex diligentia, qua veterum antistitum catalogos texunt.

(1) In I. ad Corinthios epistola, cc. XLII. sqq. Οἱ Ἀπόστολοι ἡμῖν εὐηγγελίσθησαν ἀπὸ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς οὖν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ· ἐγένοντο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος Θεοῦ. Παραγγελίας οὖν λαβόντες, καὶ πληροφορηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πιστωθέντες ἐν τῷ Λόγῳ τοῦ Θεοῦ, μετὰ πληροφορίας Πνεύματος ἁγίου ἐξῆλθον εὐαγγελιζόμενοι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι. Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθέστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ Πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Καὶ τοῦτο οὐ καινῶς· ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων. Οὕτως γὰρ που λέγει (Is. LX. 17.) ἡ γραφή· καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει. A quibus avelli non debent, quæ idem Apostolorum principis discipulus et successor iterum declarat cap. XLIV. de perpetua successionis lege scribens : Καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἔγνωσαν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. Διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι, δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. K. τ. λ. : « Et Apostoli nostri cognoverunt per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de nomine (honore scilicet et dignitate) episcopatus; ob eam ergo causam, perfectam præcognitionem adepti constituerunt prædictos (nimirum per certa loca definitasque civitates), et deinceps (μεταξὺ, porro, pro tempore sequenti) futuræ successionis regulam dederunt; ut cum illi decessissent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent. » Et q. s. : quibus nihil evidentius. Etenim revocat S. M., cujus nomen scriptum erat in libro vitæ, ex ordine missionem episcoporum ad Apostolos, missionem Apostolorum ad Christum missionemque Christi ad Deum, scilicet Patrem ipsum. Hanc porro addit ordinatam ex Dei voluntate constitutionem multo prius a propheta esse prædictam, ejusdem exsecutionem deinde divinitus præscriptam, atque regulam porro seu normam, viam rationemque determinatam esse, qua ad posteros eadem jugiter derivata jugiter identidem ipsa duraret. A quo sancto martyre Clemente sejungi sanctus Ignatius martyr non debet, quo nemo illustrius inter antiquiores ecclesiæ scriptores episcoporum in societate christiana vim enarravit. Potissima ad probandum ecclesiasticum ministerium commentariis de eccles. Chr. deque unit. rom. ll. cc. complexa leguntur.

(2) Qua mente quoque σκοπῷ veteres ad successiones pastorum ecclesiæ provocarint, ex iis abunde constat, quæ in occidente litteris consignarunt Iren. adv. h. l. III. c. III. 2. 4., Tertull. de præsc. c. XXXII., Optat. adv. Parmen. Ll. I. II., Pacian. ep. 3. c. Novat., Aug. ad Generos. ep. 53. al. 165. con. Faust. ll. XI. I. XXVIII. II. XXXIII. VI., Fulgent. de trin. ad Felic. notar. c. I., qui omnium occidentalium nomine ita : « Illam itaque fidem crede sincerissimæ menti tuæ nos velle notescere, per quam justificati sunt patriarchæ, prophetæ, Apostoli, martyres coronati; quam hactenus

dem diligentiæ et operæ non alius erat propositus finis, quam christianæ communionis genealogiam et per hanc ejusdem genuinitatem et in fide veritatem vi ac charactere legitimorum authenticorumque testium ostendere (1) : quare illius perpetuitas ex fidelium mente horum perennitatem perspicue (2) flagitat. Quam mentem persuasionemque ostendunt insuper

4) Ex monumentis liturgicis.

4) monumenta liturgica, quibus tum ritus præscribitur externus isque gratiæ efficax, quo ex norma a Paulo declarata ii a communi fidelium cœtu segregabantur, quorum

per totum orbem sancta tenet ecclesia, cujus splendor credentium mentes illustrans æternæ vitæ facit esse participes. Quæ usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Apostoli Romæ vel Antiochiæ, in cathedra Marci evangelistæ Alexandriæ, in cathedra Joannis evangelistæ Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymæ ab episcopis ipsarum urbium prædicatur. Coge ergo arianos, donatistas, nestorianos, eutychianos, manichæos, et reliquas hæreseon pestes hisce communicare ecclesiis, quibus Apostoli præsederunt; non consentiunt, quia per pravitatem fidei ab ecclesiæ unitate divisi in parte esse voluerunt. » Idem deinde constat ex iis, quæ in oriente posteritati transmiserunt Eusebius h. e. III. XXXIX. IV. XXII. de Papia et Hegesippo veritatem traditionemque antiquam apud ecclesias apostolicas conquirentibus, deque Apostolorum successoribus in variis ecclesiarum cathedris, quos l. III. cc. IV. XI. XIII. XIV. XV. XXI. XXII. XXXIV. XXXV. et alibi accurate enarrat, Cyril. hieros. cat. IV. 35., Cyril. al. ep. 1. ad monach. Ægypti, Basil. ep. 64. al. 210. c. Sabell., qua recenset episcopos in cathedra Gregorii thaumaturgi successione continua usque ad b. Musonium, et Nyssen. or. 3. con. Eunom. opp. t. II. p. 126., ubi hæc : Ἀρκεῖ γὰρ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν οἷόν τινα κλῆρον διί ἀκολουθίας ἐκ τῶν Ἀποστόλων διὰ τῶν ἐφεξῆς ἁγίων παραπεμφθέντα : « Sufficit enim ad verbi nostri demonstrationem, habere nos traditionem a patribus venientem velut hæreditatem aliquam per successionem ab Apostolis per sanctos ordinatim transmissam. » Hinc concludit : « Qui novitatem inducunt, hi devii ab Apostolis, evangelistis, et ecclesiæ doctoribus; » ac si diceret, ubi nulla testium successio, ibi nulla traditionis veritatisque antiquitas. Id quod præter alios tandem universales pastores Cœlestinus ep. ad Nestor., qua ad romanam et alexandrinam successionem appellat, et Agatho ep. dogmat. lecta in synodo VI. act. IV. luculenter confirmant. Habentur ergo testes ab antiquis descendentes veluti conditio, tessera et argumentum veritatis descendentis ab antiquitate; atque ideo testes ex fidelium persuasione communi non minus necessarii quam perpetui sint oportet.

(1) Considerari debet in ejusmodi veterum relationibus tam factum, quod narrant, quam jus, quod significant. Factum continetur serie pastorum, quam texunt; jus vero colligitur vel ex causis vel ex fine et σκοπῷ, quem illius perhibent, quæ non alia sunt a Dei voluntate et instituta divinitus œconomia conservandæ tuendæque veritatis.

(2) Singularum pariter ecclesiarum historia idem confirmat, quarum origines et explicationes per episcopos maxime locum habuere.

officium ac munus erat, docere alios sanctæque revelationis depositum custodire jugiter (1); tum usitata legitur, dum sacra facerent, episcoporum, quos legitimos authenticosque habebant e diptychis (2), commemoratio. Sed nemo est qui non intelligat, duo inde pro re nostra inferri : constitisse nimirum in societate christiana de jure divino, quo in ipsa esse doctores atque testes jugiter deberent; necnon de facto, quo juri nimirum illi reapse in singulis fidelium communionibus exsistentia legitimi authenticique testis responderet. Nihil ergo manifestius, quam christiani nominis persuasionem fuisse, seriem ejusmodi testium ex auctoritate voluntateque Christi fidei nostræ auctoris interpolandam nunquam et nunquam abrumpendam esse, verum perpetuo continuandam. Et hanc persuasionem tandem ostendunt

5) commentarii, quibus illustrissimi fidelium doctores sacrarum litterarum testimonia illustrantes atque effata Spiritus sancti enarrantes (3) docent, prædicationem institutionemque ab ordinatis divinitus testibus profectam necessariam esse, ut veritas ac fides christiana, quemadmo-

5) Ex commentariis, quibus illustrant doctores testimonia scripturarum.

(1) Addi his debent utriusque juris canonici et civilis collectiones, quibus plura de pastorum muneribus et facultatibus occurrunt.

(2) Digna quæ legantur, hæc sunt Theodori andidens. in comment. liturg. ap. em. Mai in n. pp. b. t. VI. p. II. n. 33. p. 578., ubi de commemoratione episcoporum in sacra actione : Εἶτα ἡ ἐκφώνησις· ἐν πρώτοις μνήσθητι, Κύριε, τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν· ἀφ' ἧς δείκνυται ὑποταγὴ ἡ πρὸς τὸ ὑπερέχον· καὶ ὅτι τούτου μνημονευομένου ἀρχιερέως κοινωνός ἐστι καὶ ὁ προσφέρων τῆς πίστεως καὶ τῆς παραδόσεως τῶν μυστηρίων διάδοχος, ἀλλ' οὐχὶ καινός τις μύστης, ἢ εὑρετὴς τῶν παρ' αὐτοῦ προσφερομένων συμβόλων· μετὰ δὲ τὰς τοιαύτας ἐκφωνήσεις τὰ δίπτυχα τῶν ζώντων, οἷον ἀρχιερέων, βασιλέων καὶ λοιπῶν ἐκφωνοῦντος τοῦτο τοῦ διακόνου λέγονται. « Deinde inclamatio : in primis memento, Domine, archiepiscopi nostri; unde ostenditur subordinatio erga auctoritatem superiorem, quodque hac commemoratione archiepiscopi offerens etiam est particeps fidei et traditionis mysteriorum successor, non autem novus aliquis mystes vel inventor oblatorum donorum; post has vero inclamationes diptycha viventium, uti, archiepiscoporum, regum et aliorum, inclamante id diacono, leguntur. » Cf. de diptychis Habert. pontific. eccles. græc. ad par. VIII. liturg. ordin. observat. 13. pp. 157. sqq.

(3) Huc præter reliquos spectant Iren. l. IV. c. XXVI., Basil. de Sp. s. c. XIII. 29., Theodoret. in II. Tim. II. 2., Theophil. in Matth. XXVIII. 20. De quibus et aliis cf. commentar. de ecclesia Christi t. II. l. III. cc. XXI. sqq. nn. 231. sqq.

dum oportet, proponatur ac cognoscatur, omnique ætate ad salvandas omnes gentes propagetur. Persuasio ergo fidelium verbo ipso Dei innixa erat et est, continuam ab originibus fuisse et perpetuam fore testium œconomiam. Sed si hæc erat constans ratio sentiendi, respondere eidem debebat

II. Ex constanti Ecclesiæ ratione agendi.

II. constans ecclesiæ ratio agendi. De qua quidem ecclesiæ agendi ratione nullus dubitabit, qui sive gesta publica et solemnia, necnon episcopis simul collectis communia spectaverit, sive πρᾶξιν singulorum seorsum factaque particularibus propria considerarit. Scilicet, regulæ fidei, quam in ecclesia Dei θεωρητικῶς constitutam exploratamque fuisse superius diximus, Majores collectim seorsimque πρακτικῶς jugiter constanterque institerunt. Et sane testibus fidei, per quos revelata veritas atque fides contra errores, mendacia atque hæreses probaretur et confirmaretur, institerunt

1) Ex ratione agendi conciliorum.

1) concilia, inter quæ eminent nicænum, de quo præter historiæ ecclesiasticæ scriptores consulantur Athanasius (1) et Cyrillus alexandrinus (2) affirmantes, fidem, quam synodus scripto confessa est, ipsam sententiam esse, quam ab initio tradidere testes oculati, quæque a patribus deinde ad patres transiit; ephesinum, de quo operæ pretium fuerit consuluisse Vincentium lirinensem (3); tum chalcedonense, quod

(1) De decretis nicænæ synodi nn. 25–27. Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδείκνυμεν· ὑμεῖς δὲ, ὦ νέοι Ἰουδαῖοι καὶ τοῦ Καϊφὰ μαθηταὶ, τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι πατέρας;... Γεγράφασιν, ἅπερ οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπερέται τοῦ λόγου γενόμενοι παραδεδώκασιν· ἣν γὰρ ἡ σύνοδος ἐγγραφῶς ὡμολόγησε πίστιν, αὕτη τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐστίν. « En igitur nos quidem hanc sententiam a patribus ad patres transisse demonstramus : Vos vero, o novi judæi et Caiphæ discipuli, quos patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis?... Illa definierunt, quæ ab initio tradidere testes oculati, qui et ministri verbi fuerunt. Nam fides, quam synodus scripto confessa est, ipsa vere est catholicæ ecclesiæ. » Quibus cf. quæ leguntur in opere de synodis nn. 3-5.

(2) In apologia adversus orientales ad anathematismum III. et VIII. videsis commentar. de eccl. Ch. l. s. c. nn. 233. sq., ubi hæc præter alia et rite afferuntur et accurate ad rem enarrantur.

(3) In commonitorio suo cc. XXI–XLII : « Quod (concilium) ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est... Ubi quum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero

testibus institisse, tam ex ejusdem actis quam ex ipsa confessione (1), quæ a patrum sequela exordium ducit, atque ex epistola ad Marcianum imperatorem plenissime constat; et sequentia porro (2) usque ad tridentinum atque præsens œcumenicum concilium vaticanum. Eandem viam rationemque veritatis catholicæ asserendæ

2) ab orthodoxis pastoribus et doctoribus seorsum contra heterodoxos semper usitatam fuisse atque diligentissime adhibitam (3), videre licet apud Irenæum (4), apud S. Hilarium (5), apud Augustinum (6) hæc confessione eximia declarantem : « In ecclesia catholica me tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopa-

2) Ex ratione agendi pastorum et doctorum seorsum.

convenerant, hoc catholicissimum, felicissimum atque optimum factu visum est, ut in medio sanctorum patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret : ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur. Sunt ergo ii viri, quorum in illo concilio vel tanquam judicum vel tanquam testium scripta recitata sunt, S. Petrus alex. episcopus. » Et r.

(1) Videsis H. Denzing. enchirid. n. 134. ed. 4. p. 44.

(2) Eundem fidei tuendæ modum servasse synodum lateranensem sub Martino I., constat ex sess V.; et synodum VI., patet ex act. IV. ejusdem; et synodum VII., ex act. ejus VI.; et eundem custodivisse alias sequentes, ex earum historia compertum est, usque ad tridentinum, quod sessione IV. in decreto de canon. scripturis, et usque ad vaticanum, quod sessione III. de fide catholica, illius usum verbis, uti fidei sanciendæ regulam ac normam se dicit secuturum esse traditiones, « quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt. »

(3) Cf. Moehler de unit. eccl. c. II. § 2. Jos. Fessler patrolog. t. I. p. 12.

(4) Coll. procem. ad l. VII. cum l. III. c. III. Ut enim in prologo sibi propositum esse declarat, certa norma veritatis profligare errores et hæreses : ita, quando deinceps rem exsequitur, ipsam, potissimum testibus utitur, qui continenti ab Apostolis serie descenderent. A quo ne lato quidem ungue discedit Tertull. de præscriptt. c. XXXVI. De quibus aliisque cf. comm. de ecclesia Christi I. c. nn. 236 sqq. et de unitate romana I. s c.

(5) Ad. Constantium Augustinum I. II. nn. 4. sq.

(6) Con. ep. fundamenti cc. IV. sq. Quibus cf. quæ disputat idem cont. Julian. I. I. cc. V. sq. I. VI. nn. 11-39., de prædestinat. sanctorum cc. XLVII-LI. de pecatorum meritis et remissione l. III. cc. I-X. sq., de utilit. credendi c. XVII., con. litt. Potil. I. II. c. LI., et alibi.

tum successio sacerdotum. » His porro ea suffragantur, quæ leguntur apud sanctum Hieronymum (1), apud Joannem Cassianum (2) et apud alios occidentales scriptores. Quibus orientales prorsus consentiunt cum Origene (3), qui hæreticis, inquit, sive secretas (ἀπόκρυφα) sive vulgo receptas (ὁμολογούμενα) proferant scripturas, « credere nos non debere neque exire a prima et ecclesiastica traditione, neque aliter credere, nisi quemadmodum per successionem ecclesiæ Dei nobis tradiderunt »; cum Epiphanio (4), cum S. Basilio (5), cum Theodoreto (6) ac Leontio bysantino (7) aliisque plurimis, qui licet singuli argumentis variis varios errores evertere satagant : in eo tamen omnes conveniunt, ut diversissimas

(1) Ep. 126. al. 73. ad evangelium, et in dial. adv. luciferianos nn. 8. 20. sqq.

(2) De incarnatione, l. I.

(3) Tom. XXIX. in Matthæum.

(4) Hæresi LXXIII. Vel ipsa pseudosynodus ancyrana, cujus epistolam heic n. 2. affert Epiphanius, non aliam fidem veram orthodoxamque voluit receptam, quam illam, quæ velut hæreditas ab apostolicis inde temporibus continuata ad patres nostros usque successione transmissa erat; declaravitque ab ecclesia proscribendum esse, qui in improbitate persistens ab illa deflecteret : Ὅτι καθάπερ κλῆρόν τινα τὴν ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χρόνων διὰ τῶν ἐν τῷ μέσῳ ἄχρι καὶ ἡμῶν πατέρων ὑποδεξάμενοι πίστιν φυλάσσομεν. Κ. τ. λ. Quibus cf. quæ idem scribit exponens de hær. LXXV., ubi confutans Aërium, qui episcopos æquabat presbyteris, n. 4. in eo reponit distinctionem, quod illi gignant ecclesiæ patres, ita ut ordo episcoporum constituat τὴν πατέρων γεννητικὴν τάξιν· πατέρας γὰρ γεννᾶ τῇ ἐκκλησίᾳ; hos vero, nimirum presbyteros sive sacerdotes secundi ordinis, ecclesiæ gigneré duntaxat filios : ἡ δὲ (sacerdotum τάξις) πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾶν διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας ἢ διδασκάλους· Tum post alios, quos exposuit, errores, quærit n. 7., utri peritiores sint? an errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit et hodiedum superstes sit, ἢ οἱ πρὸ ἡμῶν μάρτυρες γεγονότες, ἔχοντες πρὸ ἡμῶν τὴν παράδοσιν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας, καὶ οὗτοι παρειληφότες παρὰ τῶν αὐτῶν πατέρων, τῶντε αὐτῶν πατέρων πάλιν μεμαθηκότων πρὸ αὐτῶν γεγονότων, πῶς ἡ ἐκκλησία παραλαβοῦσα παρὰ τῶν πρὸ αὐτῆς πατέρων ἄχρι καὶ τῆς δεῦρο κατέχει τὴν ἀληθινὴν πίστιν καὶ τὰς παραδόσεις· Atque n. tandem 8. traditione ut irrefragabili norma, qua hæresis convincatur, iterum commendata, aërianæ hæresis confutationem absolvit. His similia et alibi et potissimum hæres. LXXVII. Epiphanius repetit.

(5) Contra Eunomium l. I. nn. 1. sqq., et de Spiritu sancto c. XXIX. Cum orthodoxo convenit in eo hæreticus, quod tradita a patribus jugiter sibi succedentibus doctrina γνώμων est καὶ κανὼν τῆς πίστεως.

(6) Ad calcem trium dialogorum de immutabili, de inconfuso, de impatibili.

(7) Cont. Nestor. II. I. et II.

controversias doctrina testium continua serie Apostolis succedentium diremerint, eademque lydio veluti lapide ab errore veritatem distinxerint. Nihil ergo evidentius, quam christiano nomini universo eam constanter inhæsisse persuasionem, stabilis perpetuæque fidei stabiles perpetuosque testes exsistere debere et exsistere divino institutionis jure. Atque ad hanc persuasionem comprobandam egregie tandem confert

3) historia tam originis quam propagationis ecclesiarum. Utramque enim ex testibus iisque legitime missis repetendam esse, exploratissimum est. Quare nisi immutata sint explorata ab origine ac deinceps christianæ societatis ordo ac facies, et ipsa adeo christianæ fidei œconomia, continuo immutata testium ordo et œconomia persistant est necesse.

3) Ex historia originis et propagationis ecclesiarum.

38. — SCHOLION. Vix merentur alicujus difficultatis nomen, quæ sive ex Irenæo (1) excipiuntur, qui scripturas fundamentum appellat fidei nostræ, sive ex Tertulliano, qui contra Hermogenem (2) asserit scripturis plenitudinem, et de resurrectione carnis (3) luculentius modo solis illis vim tribuit profligandi hæreticos, modo vero easdem lucis instar habet, quæ fuget disjiciatque hæreticorum tenebras. Etenim quod

38. Scholion : exceptionibus occurritur.

I. ad Irenæum (4) spectat :

1) nihil ejus verbis, quæ sunt mere affirmantia, edicitur, quo evangelii doctores et prædicatores excluderentur ; immo

I. Solvitur objectio ex Irenæo desumpta.

(1) Advers. hær. l. III. c. I.
(2) Adv. Hermog. c. XXII.
(3) De carn. resurr. cc. III. XLVII.
(4) L. s. c. Absolvit Irenæus præfationem his verbis : « Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem evangelii, per quos et veritatem, hoc est, Dei filii doctrinam cognovimus, quibus et dixit Dominus : Qui vos audit, me audit, et qui vos contemnit, me contemnit, et eum qui me misit. » Tum vero c. I. n. 1. pergit : « Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos : quod quidem tunc præconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse

2) plura in toto sermonis contextu occurrunt, quibus evangelii prædicatores et testes asseruntur;

3) id, quod fundamentum et columna fidei ab Irenæo dici tur, est evangelium, quod ad nos ab Apostolis sola primum testificatione, traditione orali, id est, præconatione, deinde vero simul etiam scriptione pervenit, per quam tamen prædicatio non tolleretur, neque tolli omnino deberet, ut Irenæus declarat alibi, et inde patet, quod idem heic ad quatuor evangelia tantum respiciat, quin propterea reliquas N. T. scripturas excluserit vel exclusisse dicatur; sed hinc est quod animadverti sedulo debet, videlicet,

4) fundamentum et columnam fidei dici a sancto martyre evangelium nostrum, non quia scriptum esset, sed evangelium quod scriptum erat, neque ita vocari illud spectata forma ac ratione qua seu quatenus scriptum, sed potius spectata re ac materia, qua seu quatenus continet salutiferam historiam eamque juxta prædicationem Apostolorum certissimam fide tenendam illius, inquam, qui vere et realiter solus est totius fidei nostræ ac spei ontologicum fundamentum et columna. Sed neque potiora sunt, quæ

II. Solvitur objectio ex Tertulliano accepta.

II. ex Tertulliano promuntur. Quum enim (1) scripturæ laudat plenitudinem, hanc

Apostolorum. » Quibus eo Irenæus, cui propositum erat, christianam veritatem ab humanis commentis distinguere, manifestissime spectat, ut a) veritatem christianam revocet ad doctrinam Christi; non alio autem pacto revocet, quam b) revocando eam ad doctrinam Apostolorum; sed doctrina Apostolorum c) alia non erat a prædicata dispensatione salutis nec alia ab prædicato per eosdem evangelio; hinc in eo apprime est, ut ostendat, d) non antea Apostolos prædicasse, quam confirmati in gratia totam prædicandam veritatem Dei Filii novissent; propterea autem credendum, e) veritatem ab iisdem prædicatam immobilem esse atque immutabilem; quum porro prædicatio ipsorum, quatenus ea nominatim faustissimo de Messia Salvatore hominum ejusque regno continebatur nuntio, postea Deo volente litteris consignata fuerit : apparet, f) has quoque, quæ κατ' ἐξοχὴν evangelium idque scriptum nuncupantur, irrefragabilem complecti doctrinam; adeo ut g) christiana veritas duplici contineatur fonte, altero, qui scriptum, et altero, qui verbum exhibet traditum, ad quos quidem fontes illico c. II. provocat. Sed hac sententiarum serie nihil effertur, quod testes, eorum testimonium ac necessitatem excludat.

(1) Adv. Hermogenem demonstrat Tertullianus pluribus continenter capitibus, Deum non ex præexsistente materia, sed ex nihilo rerum universita-

1) accipit de plenitudine in subjecta, de qua agebatur, materia;

2) plenitudinem respicit logicam dictionis sententiæve exprimentis plene quod ad efferendam creationem ex nihilo exigitur, causam scilicet et effectum, nullatenus vero plenitudinem spectat ontologicam totius revelatæ veritatis. Quare mirum plane est, potuisse unquam verba Tertulliani: « Adoro plenitudinem scripturarum, » a suo textu æque ac toto suo contextu avulsam serio a quopiam in medium adduci ad testes cum suo testimonio excludendos, vel ad scripturas veluti unicam supremamque fidei normam commendandas. At vero nihil amplius valent illa, quæ ex ejusdem scriptoris libro de resurrectione carnis (1) repetita objiciuntur. Eo enim in utroque loco Tertullianus spectat, non ut infinite et in quavis materia solis utendum scripturis præcipiat, sed ut scripturas etiam solas sufficientes affirmet ad dogma de resurrectione carnis firmissime nulloque justo dubitationis relicto titulo stabiliendum. Verum quod propterea testes, qui fidem proponant, probent atque propagent, qui suis e fontibus eam depromptam tueantur ac vindicent, necessarii non sint, hoc inde ne tum quidem fas esset colligere, si tota

tem fecisse, idque ex scripturis potissimum efficere studet (de quo videsis commentarium de creatione generatim); tum c. XXII. sic inferendo concludit: « Igitur in principio fecit Deus cœlum et terram. Adoro scripturæ plenitudinem, quæ mihi et factorem manifestat et facta: » scilicet, quæ ad creationem ex nihilo probandam, efficientem ejus causam effectumque creatum cognoscendum requiruntur, ea auctore Tertulliano scriptura plenissime suppeditat.

(1) De carnis resurrectione, c. III., disputans ethnicos lumine scientiaque rationis, hæreticos lumine scientiaque revelationis profligat, tum concludit: « Adeo non erit christianus, qui eam negabit, quam confitentur christiani, et his argumentis negabit, quibus utitur non christianus. Aufer denique hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt, ut de scripturis solis quæstiones suas sistant, et stare non poterunt. » Scilicet, solæ sufficiunt scripturæ, ut hæretici negantes carnis resurrectionem convincantur erroris et mendacii. Quæ quum hæreticis comperta sint: hinc, inquit Tertullianus, scripturis stare detrectant, ideoque eos c. XLVII. lucifugas scripturarum appellat: « Age jam, ait, quod ad Thessalonicenses ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter accipient lucifugæ isti scripturarum? » Videlicet, adeo aperta et clara sunt scripturarum de resurrectione corporum testimonia, ut hæretici lucem fugere tenebrasque amare dici debeant, quando dogma hoc revelatum esse sive negent sive dubitent.

revelatio christiana litteris consignata fuisset. Concludimus ergo testium œconomiam, si authenticis scripturarum documentis standum sit et unanimi totius antiquitatis judicio ac persuasioni, omnino admittendam esse, eamque cum christianæ salutis et fidei dispositione ita perpetuo consertam esse, ut œconomia, quam Salvator generis humani instituit atque perennem voluit, constare sibi absque illa non possit.

39. — COROLLARIUM. Unde hæc exsistunt manifestissima consectaria :

39. Deducuntur corollaria.

I. institutioni ordinationique auctoris fidei christianæ resistere ac refragari, quicunque perennem testium œconomiam impugnant vel respuunt;

II. a veritate christianæ œconomiæ ac fidei alienam esse, neque vere ac proprie nomen christianæ religionis mereri religionem omnem, quæ testium œconomia suffragioque nec innititur neque probatur vel propagatur (1) ad alios.

§ IV. — De testium ordine.

40. Ulterius inquiritur, an circum scripta fuerit testium fidei series ?

40. — Quum itaque tanti in societate christiana fieri testes debeant : pede moto ulterius inquirere oportet sedulo, sint necne quilibet indiscriminatim ac promiscue fideles fidei testes : et siquidem hoc admittendum non sit, inquirendum omnino, quinam illi post Apostolos qualesque sint. Et quod ad primum attinet, affirmamus :

(1) Ita non aliena modo a christiana fidei propagatione est ratio ejusdem fidei propagandæ per biblia, a qua societates biblicæ denominantur; sed illa quoque, quam in sua « relatione de rebus ecclesiæ orthodoxæ russicæ ad S. M. imperatorem Russiæ pro anno 1870. » (facta germanice vulgataque in civitate Wiesbaden 1872.) comes D. Tolstoy, procurator supremus sacræ synodi, significat : « in sinum scilicet orthodoxæ itemque salutiferæ ecclesiæ (Russorum) ingressos esse fideles, qui neque per prædicationes de doctrina orthodoxa essent allecti, neque alia ulla humana opera, sed sola interna vi et divina veritate insita illius doctrinæ persuaderentur. » Sed neque hæc est via colligendi fideles ab Salvatore constituta, neque etiam, si adhuc historica veritas datur, vis illa alia ab ea est, qua trahuntur qui, ut est apud Judam Apostolum (vv. 16. sqq.), « in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa », vel qua suis temporibus tot Christi fidelibus persuasum est de veritate Alcorani.

THESIS IX. *Voluntate Christi Domini, Apostolorum auctoritate christianique nominis doctrina atque historia constat, determinatam esse planeque circumscriptam seriem testium, quibus ministerium probandæ propagandæque fidei commissum est.*

41. — DEMONSTRATIO. Ad hæc probanda, nihil requiritur aliud, nisi examini rursum ea subjicere testimonia christianæ antiquitatis, quibus usi superius (1) sumus, ad demonstrandam testium et institutionem et perpetuitatem. Quod si fiat, docemur

41. Demonstratur thesis ex christianæ antiquitatis testimoniis sup. allatis.

I. de voluntate Christi : ab ipso scilicet non modo constitutam eam fuisse œconomiam, qua fides probaretur ac propagaretur per testes; verum definitos quoque testes fuisse (2), quorum authentica testificatione id fieret. Docemur

I. De voluntate Christi.

II. de Apostolorum auctoritate : prorogatam quidem ab ipsis testium œconomiam fuisse, sed non ad universos promiscue fideles, verum ad certos quosdam idoneos (3) eosque fixo determinatoque ordine comprehensos. Docemur

II. De apostolorum auctoritate.

(1) Cf. thess. V. sqq. Videsis, quæ habet ad rem Moehler de unit. eccles. pp. 187. sqq.

(2) Christi Jesu de fidei suæ testibus voluntas innotuit a) ex dictis ejusdem ante expletam passionis œconomiam, Matth. x. 18., Joann. xv. 27.; atqui dicta hæc pertinent ad Apostolos tantum; b) ex dictis post expletam passionis œconomiam, Matth. xxviii. 19., Marc. xvi. 15., Luc xxiv. 48.; atqui hæc dixit Salvator duntaxat ad undecim; c) ex historia Lucæ, Act. i. 1. sqq.; atqui hæc respiciunt selectum Apostolorum chorum; d) ex Petri Paulique prædicatione, Act. x. 41. xx. 24. xxii. 14. xxiii. 11. xxvi. 15. etc., I. Tim. ii. 7., alibi; atqui illi modo totidem verbis negant, omnes indiscriminatim esse testes, modo diserte affirmant, testes esse prærordinatos divinitus, ideo legitime missos, adeoque definitos et circumscriptos, modo profitentur, singulari semet distinctione fuisse in censum testium divinitus adlectos. Voluit ergo Christus quidem obsequentibus Apostolis fidei suæ testes, sed voluit distinctos, definitos, secretos.

(3) Apostolorum auctoritate certum est : a) testium classem κατ' ἐξοχὴν apostolicorum, quos ipse vocavit Christus Jesus, restrictam fuisse ad testes immediatos deque continuo visu et auditu, Act. i. 21., I. Joann. i. 1., alibi; b) in numero testium, qui ad illos primum accesserunt, non fuisse alios præter selectos, positos a Spiritu sancto missosque ab ipsis, II. Tim. i. ii., Tit. i., Act. xx.; neque alios c) præter constitutos secretosque solemni χειροτονίας ritu, II. Tim. i.; et d) in testium censum et ordinem adlectum neminem nisi per constitutos jam testes, neque adlectum nisi eadem illa communique dispositione, II. Tim. i., Tit. i., I. Petr. v.

III. De christiani nominis persuasione.

III. de christiani nominis persuasione : tam dictis (1) quam factis (2) christianæ antiquitatis constare, non omnibus indiscriminatim fidelibus, sed certo fidelium virorum cœtui munus ac prærogativam testandi fuisse adscriptum, neque provocatum in controversiis fidei ad quemcunque tandem e plebe populoque credentium, sed ad eminentem illam, stabilem ac firmam, nunquam interpolatam nec unquam interpolandam (3) πατέρων γεννητικὴν τάξιν. Infinite ergo non patet authenticæ testificationis subjectum, sed ambitu definito, certo ordine determinatoque cœtu coercetur.

42. Quonam ordine fidei testes comprehendantur.

42. — Propterea autem multo quærendum investigandumque sollicitius est, quinam ambitu illo illoque ordine ac cœtu comprehensi dicantur et sint. Hinc affirmamus :

THESIS X. *Testium series, de qua sermo nobis est, iis comprehenditur, qui in monumentis christianis cum aliis nominibus tum potissimum appellatione Apostolorum, episcoporum, præpositorum, pastorum doctorumque insigniri solent.*

43. — DEMONSTRATIO. Profecto

43. Demonstratio. I. Ex dictis.

I. uti hæc merito habentur tanquam corollarium cum superioribus nexum ac penitissime devinctum : ita expoliri eo nomine possunt, quod ii duntaxat, quos commemoravimus, illorum efficiunt seriem catenamque repræsentant, quos una cum Apostolis et post Apostolos ad testandum divinitus missos legitime comperimus. His enim potissimum no-

(1) Credendi regula, quam e communi veterum persuasione θεωρητικῇ proposuimus atque in testium doctrina reponendam comperimus, ea quærenda non apud alios præcipitur, quam qui in ministerium Apostolorum vocati successores eorum habebantur.

(2) Norma, qua πρακτικῶς lites ac controversias in prævalente ecclesia diremptas vidimus, non petebatur aliunde, quam ab iis, qui succedebant continua serie Apostolis testibus; neque ab aliis illæ dirimebantur, quam rursum ab testibus.

(3) Huc faciunt conciliorum latercula seriem continentia successionesque episcoporum, totaque dirimendarum in cœtu catholico controversiarum historia. Ita Epiphan. hom. 77. l. s. c. Nominatim vero lectu digna sunt, quæ Clemens habet alexandrin. Strom. l. VI. VII. sqq. VII. IX. sqq., ubi et ad paucos ab Apostolis propagatam τὴν γνῶσιν, et eam vicissim a γνωστικοῖς tantum ad alios derivari significat.

minibus in allatis hucusque christianæ antiquitatis sententiis (1) distinguuntur missi primum a Christo testes, tum selecti ab Apostolis idonei homines quique deinceps post Apostolorum ætates illorum ministerio fungebantur. Quum ergo Christus non alios nominis sui testes fecerit, quam vocatos in scripturis Apostolos, et in horum locum non alii successerint ut testes, quam qui in christianis monumentis potissimum episcopi, præsides, pastores atque doctores nuncupantur : nihil evidentius est, quam illorum ordine ambitum testium coerceri. Sane

II. E scripturis.

II. e scripturis præter allata superius sat est, consuluisse quæ Paulus scribit (2) : Καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν Ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας (per hos, Apostolos nimirum atque prophetas, secundum præstantiores interpretes ii veniunt, qui potestate donisque extraordinariis, quæ vocant, instructi erant ad œconomiam christianam fidemque ab originibus maxime per orbem fundandam propagandamque), τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς (hi sunt secundum eosdem interpretes prædicatores evangelii nulli addicti fixo loco (3), εὐαγγελιζόμενοι), τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Κ. τ. λ. Nimirum pastores iidemque doctores illi sunt, qui stabilium gregum, quos veritatis doctrina pascunt, stabiles exsistunt rectores, eorumque ministerio corpus Christi mysticum, effusione Spiritus sancti conceptum, apostolica legatione auctum, propheticis Spiritus donis agnitum, dilatatum evangelica prædicatione perficitur jugiter, absolvitur consummaturque, donec occurramus omnes in unitatem fidei et ἐπιγνώσεως τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ad perfectam Dei in termino agnitionem : eo igitur usque testium illorum durabit œconomia, munus et officium. Ita scripturæ.

III. E patribus.

III. E patribus vero sat est contulisse Irenæum (4),

(1) Loco sup. cit.
(2) Ephes. IV. 11. sqq.
(3) Act. XIV. 6., Rom. X. 15.
(4) Adv. h. l. I. c. X. l. V. c. XX.

Chrysostomum (1), Theodoretum (2), Augustinum (3). Solus, inquiunt, Christus missus (4) fuit a Patre testium priorum omnium sequentiumque supremum exemplar, complementum et consummatio; soli Apostoli missi (5) fuerunt a Christo; soli episcopi opere ministerii Apostolorum positi a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei; itidemque vicissim ab his ponendi soli idonei et apti ad instituendos in fide alios, id est, ad fidem docendam, custodiendam, tuendam, vel, uti hucusque diximus, probandam propagandamque; hinc ipsi soli pastores doctoresque singulari episcopalium manuum impositione ab reliquis vulgo fidelibus secernuntur; hi omnes ac soli sunt, ad quos Domini Jesu verba spectant: « Ecce ego vobiscum sum. » Et hæc est ratio, ob quam

IV. E synodis.

IV. ad eos potissimum provocant synodi et concilia; ad eos appellant quicunque fidem probant, ad eos quicunque

(1) In I. Cor. hom. 29. sqq. ed. Mign. tom. X. coll. 143. sqq., in Ephes. hom. 2. ibid. tom. XI. coll. 80. sqq.

(2) Com. in Eph. IV. 11. col. dialog. de immutabili.

(3) Cont. Faust. l. XI. I. l. XVI. XI. l. XXXIII. VI–IX., cont. Julian. op. imp. l. IV. CXXXV.

(4) Cf. script. ll. cc. coll. Clem. rom. ad Cor. ep. I. c. XLII.

(5) Ad hujus necessitatem missionis comprobandam præter explicata superius conducunt, quæ leguntur apud Paulum ad Rom. X. 15. coll. Jerem. XXIII. 21., Act. I. 24. XIII. 4., Hebr. V. 4., quæque habet Ambrosius interpretans verba Pauli ad Rom. X. 15.: « Neque, ait, istud recipit quæstionem, quia non erunt veri Apostoli, nisi a Christo mittantur, nec poterunt prædicare sine auctore: nulla enim his signa virtutum perhibent testimonium. » Quibus conferri merentur, quæ Chrysostomus ad h. l. commentatur hom. 18. in epist. ad Rom., qui ideo missos mittendosque perhibet verbi prædicatores, ut quæ Dei sunt annuntiari appareat. Quocum Theodoretus consentit in I. Thessal. II. 4. ad verba: « Sicut probati sumus » subdens: « Non ipsi a nobis electi doctores sumus constituti, sed a Deo creditum est nobis evangelium. » Tandem universali ipsa inductione idem infertur: nam missus fuit Christus, isque etiam ad suam missionem, qua testis legitimus esset, provocavit, Matth. X. 40. XV. 24., Joann. III. 17. XX. 21., alibi; missus Spiritus sanctus testis, Joann. XIV. 26. XV. 26. XVI. 7., Gal. IV. 6.; missi dicuntur angeli, Hebr. II. 7., Luc. I. 26., Act. II. 11., Apoc. I. 1.; missus Joannes Baptista, Malach. III. 1., Matth. XI. 10., Joann. I. 6.; missi prophetæ, Exod. IV. 11., Jerem. I. 7., VII. 25., alibi; et missi Apostoli, Luc. IX. 2., Matth. X. 5., Joann. XX. 21., alibi. Scilicet voluit Deus communicare hominibus salutaria sua decreta voluntatemque suæ benignitatis ac misericordiæ erga genus humanum per interjectas causas, nuntios legatosve, quos per intervalla temporis variisque stadiis misit, et quorum nunc in temporis plenitudine constantem ordinem instituit.

fidem tuentur ac vindicant; eorum denique præ cæteris exstant accuratissimi census atque catalogi.

44. — SCHOLION I. Corollarium, quod inde pendet nexumque est, nemo est qui non videat : nimirum, proprios ex sese necessariosque testes non esse nisi illos, quos suis nominibus recensuimus. Hinc facile est exceptioni occurrere, quam testium fidemque probantium varietas gignere posset. Scilicet, inquiunt quidam, nonne testantur, fidem probant ac propagant et alii e censu sacerdotum? Nonne ad alios quoque doctos viros, qui ne quidem in sacerdotum numero habentur, plus semel in re religiosa provocatur? Certe, obtinet utrumque; et tamen

44. Scholion 1. Fit satis objectioni.

I. nec illi nec isti sunt testes ex sese proprii itemque necessarii, missi positique a Spiritu sancto in hoc ministerii opere; non sunt authentici, quibus citra salutis discrimen detrectari fides nequeat; non sunt auctoritate potestateque præditi, qua sint testes simul doctores et judices fidei. Hinc quod

I. Alieni ab ordine supra dictorum quo sensu dicuntur testes?

II. ad sacerdotum attinet discrimen : oportet distinguantur uti sacerdotes sic testes in primi ordinis, qui sunt episcopi, et ordinis secundi, qui sunt simplices sacerdotes : illi sunt testes missione ac positione Spiritus sancti, suique ratione muneris ex sese, hi autem nonnisi missione ac facta quadam participatione per hos ipsos, quos posuit Spiritus sanctus; illi audiendi immediate directeque, ἀμέσως ex sese, isti ἐμμέσως propter illos non respuendi; sunt illi potestate pollentes non testes tantum, sed authentici etiam doctores et judices fidei, sunt isti pro declarato modulo in auxilium testium et doctorum, sed non authentici multoque minus fidei judices; tandem sunt illi regula fidei constituuntque normam credendi ex se sive per se, isti per illos propterque illos, ex se autem perque sese nullatenus. Quod

II. Speciatim de sacerdotibus.

III. ad alios generatim testes probandique auctores attinet : hæc pro ratione vel proportione aptentur, tum distinguatur inter hæc alia : scilicet, inter testes theologice spectatos seu κατὰ θεολογίαν, interque testes consideratos philosophice sive κατὰ φιλοσοφίαν; inter testes speciatim sive specifice theologicos, et inter testes generatim communive ratione histori-

III. De aliis auctoribus.

cos; inter testes ex theologico suo charactere et ordine, officio ac munere, interque testes ex titulis humanis, ob scientiam ac veracitatem; porro inter testem authenticum theologice cuique adhibenda est fides ex officio et titulo supernæ religionis, interque testem authenticum philosophice cui credi non debet nisi titulo naturalis rationis. Unde intelligitur, illos quidem in negotio religionis christianæ testes esse genuinos, proprios ac necessarios; hos vero improprios tantum et adscititios, utiles maxime in controversiis apologeticis ac polemicis cumque agitur contra abutent humana auctoritate sanaque ratione. Ad præmissas distinctiones confirmandas omnino facit inter propositiones synodi pistoriensis damnatas a Pio P. VI. in constitutione « Auctorem fidei » propositio decima : « Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto : falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum ecclesiæ, ad minus erronea. »

45. Scholion II. Quo sensu Episcopi sint Apostolorum successores.

45. — SCHOLION II. Diximus plus semel episcopos Apostolorum successores. Sint autem necne, a Pearsonio hinc et inde a Basnagio opposita plane sententiæ et σκόπου ratione discutitur (1). Videtur autem ita expediri res posse :

I. quod ad usum attinet loquendi, dici episcopi Apostolorum successores consueverunt; quod vero

II. ad rem spectat, episcopi Apostolorum successores non sunt simpliciter, considerato apostolatu infinite præ omnibus suis prærogativis (2), scilicet etiam iis, quæ exsortes erant, extraordinariæ et singulares; sunt tamen

III. episcopi Apostolorum successores considerato apostolatu præ iis prærogativis, quas hic complectebatur (3)

(1) Cf. hac de re commentar. de ecclesia Christi t. II. c. xxv. nn. 285. sqq.

(2) Apostolis singulis præter immediatam a Christo profectam missionem universalis pascendi docendique potestas cum impeccantiæ inerrantiæque dotibus tribuitur.

(3) Cujusmodi erat suprema et universalis regendi et infallibilis docendi auctoritas.

communes atque permanentes; et his consideratis rursum

IV. episcopi Apostolorum successores sunt in sua unitate, in solidum, ut aiunt, omnes, una ac simul; nullatenus vero

V. iidem singuli seorsum præ illis prærogativis successores Apostolorum sunt, excepto (1) uno, qui est hæres muneris perpetui apostolici Petro collati collatæque itidem Petro supremæ ac universalis potestatis in totum Christi ovile. Quare

VI. reliqui pastores et doctores eatenus participes evadunt apostolicæ potestatis, quatenus unum cum illo uno pastorum doctorumque corpus efficiunt atque pars sunt, ut secundum Cyprianum (2) loquamur, ejus unitatis, quæ est sola hæres apostolicarum Petri, quæ perpetuandæ sunt, prærogativarum.

§. 5. De testium dotibus seu prærogativis.

46. — Sed illud, quod his adsignificando præsumpsimus, inquirendum jam est stabiliendumque, utrum videlicet testes, qui propriis distinctisque appellationibus vocantur quique a fidelium vulgo per certum ritum secreti ad eminentem evocantur ordinem ac censum, certis etiam distinctisque ad munus testandi dotibus ac prærogativis excellant. Jam vero id extra omne dubium positum est.

46. An fidei testes propriis dotibus excellant?

(1) De quo consule sis commentar. de unitate romana. Nostrum autem modo non tam est, singula quæque accuratius prosequi, quam institutam a Christo fidei œconomiam generatim describere; adeoque universim quid testibus conveniat, spectamus; non autem quid et utrum cuipiam ex illis aliquid insuper singulare tribuendum sit, inquirimus.

(2) De unit. eccles. ed. Baluz. p. 195., ubi unitatem tenendam sibi vindicandamque esse docet maxime episcopis, « qui in ecclesia, ait, præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque individuum probemus » : cujus rei causam celebri hoc epiphonemate subdit : « Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. » De quo videsis in commentar. de unitate romana ll. I. II.

THESIS XI. *Testibus jam definitis simulque spectatis dos et prærogativa competit, ut in fide probanda propagandaque authentice atque infallibiliter* (1) *contestentur.*

47. Pars prior theseos.

47. — PARS PRIOR. Ubi quæritur in primis, quid sit αὐθεντία? Jam vero

I. Quid sit αὐθεντία?

I. αὐθεντία, ab αὐθέντης (2), qui potestatem dominiumque præfert in alium, denotat in ordine logico ac intellectuali, in quo dominium exercetur in intellectum rationemve, vim auctoritatis, cui ille ac ista cedit vel subjicitur. Quare

II. Αὐθεντία testis in quo sita sit.

II. αὐθεντία testis in auctoritate sita est, quam testans facit quamque non licet respuere. Hæc autem testis auctoritas quemadmodum in ordine naturali rationis atque logico veritatis humanæ inest manifesto dicenti veritatem ordinis humani : ita eadem in ordine supernaturali revelationis ac theologico divinæ fidei inest explorate manifestant veritatem ordinis divini; atqui hanc explorate non manifestat testaturve, nisi qui sit divinitus missus ; ergo auctoritas testis in ordine superno, theologico, revelationis, christianæ œconomiæ sequitur legitimam, id est, divinam missionem. Id ex eo sequitur, quod superius juxta verba Domini (3), Apostolorum auctoritatem christianæque antiquitatis suffragium dictum est, ex eoque similiter, quod legitur (4) apud Joannem : « Sicut tu me misisti in mundum, et ego eos misi in mundum » ; et iterum (5) : « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis. » Unde porro

III. Demonstratur testes fidei esse authenticos.

III. sic disserere licet :

1) Testes authentici ii habentur et sunt, qui ex auctoritate cumque auctoritate testantur; jamvero fidei testandæ auctoritas ab auctoris fidei voluntate dependet; non alii ergo

(1) Cf. de his quæ scripsimus de unit. rom. l. II., Moehler, de unit. eccles. p. II. c. I. p. 184.

(2) Ab αὐτὸς et ἔντεα, ut legitur apud Passow, Woerterbuch der griech. sprache ad h. l.

(3) Cf. Matth. XXVIII. 18. sqq. : de quibus vide supra exposita.

(4) Joann. XVII. Καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον.

(5) Ibidem 22. Κἀγὼ τὴν δόξαν, ἣν ἔδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς, ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν.

authentici sunt fidei testes, quam quos Christus voluit, elegit, constituit, declaravit legavitque testes; hi autem Apostoli fuerunt quique eos deinceps in testandi munere exceperunt; his ergo solis convenit iisque simul omnibus detrahi in testanda fide αὐθεντία non potest. Quod proponi quoque sic potest :

2) Testis authenticus is est, qui ab eo, cujus est testis cujusque sententiam aliis communicat, acceptam præfert auctoritatem, qua audiri et mereatur et oporteat quaque legitimus illius interpres censeatur; atqui tali ornatos auctoritate Dominus misit Apostolos eosque omnes et solos, qui illis in officio testium successerunt; hi autem sunt ii ipsi, quos suis superius appellationibus definivimus.

48. — PARS POSTERIOR. Jam vero sic authentici illi sunt in negotio christianæ fidei testes, ut iidem testes infallibiles pariter sint dicique debeant. Quod ut patefiat, hæc ex ordine animadvertisse juverit : 48. Pars posterior theseos.

I. Infallibilitas seu inerrantia, ἡ ἀναμαρτησία, ἡ ἀσφάλεια (1) dos est ac perfectio, qua quis a periculo erroris solutus est ac immunis. Porro I. Quid sit infallibilitas.

II. ea vel incommunicata est atque originalis : et hæc quidem ita est uni ac soli Deo propria, ontologico (2) et logico omnis veritatis fundamento, fonti atque principio, ut incommunicabilis sit atque convenire nulli testi creato possit; vel derivata est et aliqua communicatione seu participatione quadam collata : et sic eam non quidem in ordine mere naturali et physico, in ordine tamen supernaturali et theologico creaturis quoque tributam divinitus novimus. Atqui II. Infallibilitas duplex : originalis et derivata.

III. hæc est, quam in ordine christianæ fidei præordinato III. Quænam testibus asseratur?

(1) Cf. de his quæ scripsimus de unit. rom. l. II.

(2) Respondet ordini ontologico essentiæ ethicus morum et logicus veritatis ita, ut subjectum in ordine priori incircumscriptum natura sua in altero sit impeccabile et in tertio infallibile; et e contrario subjectum in ordine ontologico limitatum essentia itidem sit limitatum in altero tertioque quoad morum honestatem veritatisque assecutionem, id est, et peccabile sit e errabile seu fallibile.

testium cœtui asserendam esse contendimus. Quod priusquam probetur, animadvertisse juverit præterea :

IV. Infallibilitas testium consideratur :

IV) Infallibilitas hæc, quæ communicata est, considerari potest

1) Præ sua causa efficiente.

1) præ sua efficiente causa : et ea est Dei voluntas seu decretum, ordinatio ejus et providentia superna ita externe interneque omnia disponentis agentisque, ut ab eo subjecto, quod ita divinitus habetur, error removeatur omnis atque fallacia;

2) Præ suo subjecto.

2) præ suo subjecto : et hoc est et dicitur quicunque ita præditus est, id est, circa quem ita, ut est expositum, Deus versatur : in casu, quo de agitur, conspirantium est testium cœtus, quem Deus in probanda propagandaque fide ab errore immunem asserit; spectari infallibilitas potest

3) Præ objecto.

3) præ objecto : et hoc est illud omne ac solum, ad quod semet eadem prærogativa extendit, sive præ quo et in ordine ad quod Deus immune ab errore subjectum vult assertum; porro

4) Præ executione.

4) præ exsecutione : et hanc obtinet Deus per media partim ab ipso adhibita solo, eaque in peculiari divinæ providentiæ interno externoque ordine sita, quibus caveatur ne testium cœtus in errorem delabatur in falsitatemve conspiret, partim numine dirigente divino adhibenda ab ipso testium cœtu, ut omnes in veritatem conveniant;

5) Præ suo effectu.

5) præ suo effectu : et hic est veritas a cœtu probata ac propagata, vel proposita ac pronunciata, cui probationi propositionive nemo fidelium assensionem denegare citra piaculum potest. Ita porro spectatam spectandamque infallibilitatem convenire perpetuæ testium œconomiæ in instituto per Christum fidei ordine, jure affirmatur. Nam catena testium, qua de agimus, spectari potest philosophice, theologice atque historice. Sed hisce omnibus spectata modis asserenda eidem perspicue est prærogativa non authentice modo sed etiam infallibiter contestandi.

49. Demonstratur testes fidei esse infallibiles.

49. — DEMONSTRATIO. Spectetur

I. philosophice : id est, spectentur testes in se uti tales, quales eos descripsimus secundum suam originem, qua missi

sunt; secundum suum munus, in quo positi sunt; secundum finem effectumque, ad quem consequendum mittuntur, scilicet ut obedientia intellectus præstetur objecto fidei revelatæve veritati; secundum medium modumve, quo id consequi satagunt, videlicet non scientia persuasioneque petita ex inspecta veritatis doctrina, sed auctoritate inspecta ob suæ missionis characterem, flagitando fidem, postulando ut credatur eo vel solo quod missi sunt divinitus. Quo posito res nequit esse patentior. Etenim nemo non intelligit,

1. Testium series philosophice spectatur.

1) eam testibus fidei, quos descripsimus, vindicandam esse prærogativam, qua iidem idonei sint ad christianam fidem gignendam atque tuendam. Sed quandoquidem non aliter fidem christianam gignere tuerique ut testes valent, quam auctoritate suæ testificationis : profecto liquet, non aliam testificationem huic effectui edendo parem esse, nisi quæ ab errore errorisque periculo immunis exsistat, hoc est, nisi quæ cum authentica tum infallibilis sit. Nemo non intelligit,

2) testium seriem ac cœtum, quem qualemque proposuimus, medium esse organumve de se objective sufficiens et plenum ad credendum. Atqui tale medium ipse nullatenus esset, si in testando destitueretur inerrantia seu infallibilitate. Medium enim fidei objective sufficiens ac plenum non est, nisi quod ex sese etiam solum pariat gignatque fidem, quoque etiam solo posito certissimum sit, exclusum errorem mendaciumque esse remotum : secus fides neque exigi, ut a testium cœtu exigitur, decretorie posset, neque adhiberi, uti oportet, citra formidinem. Jamvero in hypothesi, testium seriem infallibilitate destitutam esse, requireretur examen, inquisitio in doctrinæ veritatem, proptereaque medium aliud, per quod de veritate constaret; series ergo testium non esset medium fidei de se plenum ac sufficiens. Rursum

3) testes, quos simul spectamus, sunt authentici, et quidem ita, ut ipsorum auctoritati quilibet stare et acquiescere debeat (1); sed si periculum erroris atque mendacii ab eorum

(1) Joann. XIII. 20. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὁ λαμβάνων, ἐάν τινα πέμψω, ἐμὲ λαμβάνει, ὁ δὲ ἐμὲ λαμβάνων λαμβάνει τὸν πέμψαντα με : « Amen, amen

testificatione exclusum non esset, stare eorum auctoritati nemo teneretur, immo fieri posset aliquando, ut quis teneretur vel suspendere judicium vel etiam adhæsionem intellectus denegare ; consequitur ergo, eosdem ita esse authenticos, ut itidem infallibiles sint : brevi, quos testes novimus, fidem gignunt auctoritate, a qua recedere ducitur nefas ; sed nisi illi infallibiles essent, profecto recedere ab iis liceret et quandoque etiam oporteret. Sed hæc

4) sequenti complexione apte sic proponi posse videntur : testes, quos authenticos probavimus, fidem pariunt sola vi auctoritatis, non vi scientiæ ; nec eo quod instituto de doctrina examine constet, errorem falsitatemque ab iis, quæ testantur, abesse, fidem flagitant ; verum propterea quod constat, eosdem esse missos ab eo, cujus summa est in cœlo et in terra potestas. Hinc non exigunt ut sibi credatur eo quod res, quam proponunt, sit spectata in se evidenter intelligibilis ac vera ; sed eo quod illa ipsis testibus spectatis sit evidenter credibilis atque credenda. Aliis verbis : exclusa evidentia scientiæ, qua doctrina aliqua (1) cum certitudine teneatur vera, non remanet nisi infallibilitas auctoritatis, qua eadem teneatur cum certitudine ut evidenter credibilis vel etiam credenda. Ut ergo quovis excluso doctrinæ a fidei testibus communicatæ examine nequeat ullum eidem propositæ rei subesse sive mendacium sive error, testibus tribuatur oportet ea dos ac perfectio, qua ab ipsis contestantibus quodvis mentiendi errandique periculum absit. Atque hoc ex omnium theologorum sapientumque consensione (2) exigit denique

5) ratio perfectæ ordinatæque societatis, qualis christianorum cœtus existimari debet. Talis enim societatis est, ut

dico vobis : Qui accipit (morigere præbendo aures fideique obsequium præstando), si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. » Et Marc. xvi. 16. Ὁ δὲ ἀπιστήσας καταχριθήσεται : « Qui vero non crediderit, condemnabitur. »

(1) De veritate agitur doctrinæ, seu de edito testimonio propterea tantum ut vero habendo, quod a testibus idem editum propositumve est.

(2) Cf. commentar. de eccles. Ch. t. II. c. xxiii. n. 247., de unit. rom . I. ; col. Dobmayr l. c. t. III. p. 544.

in ea adsit supremum aliquod decisionis tribunal sive forum, quo lites atque natæ controversiæ ultimo peremptorieque dirimantur et finiantur. Porro is est ejusmodi tribunalis character eaque lati ab eo judicii ratio et qualitas, ut irreformabile tandem habeatur. Jamvero in hominum societate naturali ac civili, quæ stat justitia et æquitate morali proptereaque prudentia regitur humana, ad hoc satis est, ut tribunal inappellabile sit; verum in societate sacra et christiana, quæ fide stat adeoque veritate regitur, tale supremum tribunal nequit inappellabile tantum haberi vel irreformabile, quin infallibile sit sive inerrabile. Atqui tribunal christianæ ac societatis cujusvis supremum penes instrumenta neque est, uti ostendimus, neque esse etiam potest; verum est esseque debet penes certos quosdam definitosque homines, qui alii apud cœtum christianum non sunt, quam quos appellavimus testes. Testes ergo in christiano fidelium cœtu societateve christiana infallibilitatis dote excellant oportet. Sed præterea spectentur iidem testes

II. Testes spectantur theologice.

II. theologice, id est, juxta characterem theologicum, quem vel ex se præferunt, vel secundum collatas iisdem dotes, secundum adhærentia iisdem superna charismata, quæ ex dictis promissisque divinis conveniunt testium in testando docendove consensioni. Testium catena sive series constat

1) Christo Jesu, teste Deo-Homine; constat

2) Apostolis, testibus humano-divinis seu divino numine per singularem donorum plenitudinem suffultis (1) plane et eminentibus; atque

3) legitimis Apostolorum successoribus constat, ad quos in unitate consideratos manifesto pertinent allata (2): « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, » et: « Spiritus manebit vobiscum in æternum, ipse docebit (3)

(1) Huc pertinent Joann. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7. 14.

(2) Matth. XXVIII. 20.

(3) Cf. iterum Joann. XVI. 13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος (ergo τὸ Πνεῦμα est persona, eaque veritatis Spiritus) τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν: « Deducet vos in omnem veritatem »: ita ἐμφατικοτερῶς dicitur, quam docebit: exhibetur enim institutio Apostolorum per Spiritum sanctum veluti secura in veritatis via per magisterium manuductio; hinc

vos omnem veritatem, » per quæ ad eosdem in unitate (1) pertinet divini numinis adsistentia. Sed enimvero

a) Expenditur ipsis facta promissio præsentiæ Christi.

a) catena hæc testium naturalis non est, sed est supernaturalis; neque est humana, sed vel simpliciter vel participatione divina. Eidem ergo in testando pro variæ subjecti excellentiæ proportione asserenda est prærogativa divina, quæ complectitur tum supremam αὐθεντίαν tum insigne infallibilitatis charisma. Id profecto negabit nemo de teste primo, in cœlo fideli, qui est ὁ Θεάνθρωπος, Jesus; nec quisquam id negabit de institutæ œconomiæ testium primitiis, Apostolis, inquam, considerata præsentia, qua Christus semetipsum sanctumque Spiritum jugiter adfuturum esse promisit. Sed ob eandem hanc promissionem nemo idipsum inficias ibit de successoribus Apostolorum, universalibus fidei testibus, quales sunt pastores et doctores una contestantes. Sane cum docentibus omnes gentes adeoque cum doctoribus universalibus semet futurum promittit Christus usque ad sæculi consummationem; sed docentes ejusmodi post Apostolos sunt testes, qui contestantur in unum; cum testibus ergo sic contestantibus est Christus jugiter atque singulis ætatibus, hoc est, omnibus diebus donec sæcula consummabuntur. Verum ubi ἡ αὐτοαλήθεια, ipsa est hypostatica Veritas, ibi nullum falsitatis errrorisque adesse potest periculum. Idque eo vel magis exclusum apparet, quo penitius vis phraseos : « Ego vobiscum sum », inspiciatur (2). Præterea

Joann. XIV. 26. additur : « Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia. » Sed hæc Spiritus sancti promissi ac missi operatio duratura prædicitur εἰς τὸν αἰῶνα, quousque in mundo habebuntur, qui credere debent salutaremque consequi notitiam, quod Christus Salvator mundi missus fuit a Patre, Joann. XVII. 20. sqq. Porro verba εἰς τὸν αἰῶνα, Joann. XIV. 16., in æternum, æquivalent phrasi : Ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, Matth. x. 23. XXVIII. 20., adeoque non pertinent, ut de his quoque dictum est, ad Apostolos uti mortales personas, sed uti testes universales permanente munere testandi officioque universali fungentes; pertinent igitur ad perpetuum hujus muneris officiique universalis subjectum, quod sunt illorum successores episcopi in unum contestantes.

(1) Licet singuli Apostoli seorsum quoque infallibiles essent, successores tamen nonnisi conjunctim, excepto successore Petri utpote universali pastore et doctore. De singulorum autem illorum infallibilitate cf. conc. constantin. II. col. VIII. apud Mansi t. IX. p. 369.

(2) De qua supra. His autem quod ad permanentem Apostolorum succes-

b) declaravit Christus ulterius (1), daturum se Apostolis, qui testimonium de se perhibituri sint, Paracletum, tertiam sanctissimæ trinitatis personam, quæ κατ' οἰκονομίαν atque κόλλησιν (2) est formale propemodum veritatis sanctitatisque principium ac proxima ipsius veritatis sanctitatisque efficiens causa, suum nimirum ipsius, quippe qui Veritas est, Spiritum veritatis, qui cum eis et in eis et apud eos mansurus sit. Sed enimvero qui tali gubernatur ac regitur Spiritu, Spiritu veritatis sanctitatisque errori oppositæ ac mendacio, luminis atque fortitudinis, ab eo profecto removetur periculum falsitatis et erroris, discrimen tenebrarum atque

b) Declaratur promissio Paracleti cum ipsis mansuri.

sionem attinet cf. quæ habet Paulus coll. I. Cor. xi. 26. de morte Domini annuncianda donec veniat et Ephes. iv. 11. sqq. de consummatione sanctorum per pastores et doctores. Sed circa hæc merentur conferri, quæ præclare exponuntur a Bessarione in orat dogmat. coram pp. florentinis apud Harduinum t. XI. p. 326., itemque enarrantur in commentar. de ecclesia Christi t. II. lib. III. c. xxiv. nn. 256. sqq.

(1) Cf. Joann. xiv. 16. 26. xvi. 7. et xv. 26., ubi hæc leguntur: « Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος (hoc pronomine personali indicatur iterum, τὸ Πνεῦμα non esse ἀνυπόστατον, sed ὑπόστασιν) μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ : « Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam (temporaria Spiritus a Filio missio secundum patrum doctrinam, de qua videsis card. Bessarionem in orat. coram pp. florentinis habita l. s. c., argumentum est æternæ Spiritus a Filio processionis) vobis a Patre (a quo ipse Filius æterna generatione activæ spirationis vim accepit, ita ut Spiritus a Patre per Filium, ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ procedat), ille testimonium perhibebit de me»; non tamen citra testium œconomiam, sed cum testibus, et in testibus, et apud testes, uti dixerat Joannes xiv. 16. sq. « Paracletum dabit (Pater) vobis, ut maneat vobiscum in æternum... apud vos manebit, et in vobis erit », atque per testes ita ut fidei christianæ causa adæquata sit Spiritus sanctus veluti causa princeps, ipse testis et doctor internus; causa vero secunda, subjugis ac instrumentalis sint testes et doctores externi verbum revelatum, quod interna Spiritus gratia fœcundatur, exterius proponendo, de quibus subdit Joannes com. 27. Καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστέ : « Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis »; ad quæ respicientes Apostoli declararunt, ut est in Act. v. 32. : Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων, καὶ τὸ Πνεῦμα (δὲ) τὸ ἅγιον, ὃ ἔδωκεν ὁ Θεὸς τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ : « Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi ; » omnibus dicit interpres latinus, ad sensum dictionis infinitæ textus græci, sed profecto in primis Apostolis, ut virtute Spiritus sancti roborati munus testium fideliter explerent et verbo veritatis in virtute ejusdem Spiritus fidem conciliarent.

(2) Cf. comment. de theologia generatim, ac thess. ser. I. de Deo κατ' οὐσίαν et καθ' ὑπόστασιν.

mendacii, ob quæ veritas nunc ignoratur, nunc pervertitur, nunc proditur. Atqui Spiritus ille ita promissus datusque fuit Apostolis, ut cum eorum in universali magisterio successoribus permaneat. Id esse retinendum firmiter

α) harmonia flagitat superiorum ac legitima ex iis consequentia : cum enim Christus sic se cum Apostolis mansurum pollicitus sit, ut cum illorum successoribus semper futurus credatur : aperte colligitur, suum quoque Spiritum ita promissum datumque fuisse Apostolis, ut cum successoribus quoque ipsorum semper permansurus sit. Id

β) diserta exigunt testimonia (1), quæ ita ad Apostolos pertinent, ut, quemadmodum expositum est, ad successores etiam spectent. Idem

γ) character ipsorum ac titulus postulat, quo sunt missi perpetui testes atque doctores, prædicantes in nomine Christi pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ; de his porro dicitur (2) : « Et ego mitto promissum Patris mei in vos. » Idipsum tandem

δ) flagitat finis, ob quem suum veritatis Spiritum hypostatica Veritas adfuturum semper iisdem voluit : nam (3) datus est Spiritus in opus ministerii, quod est manifestatio nominis Dei, sermonis Dei, verbi Dei, veritatis Dei revelatæ, datusque idem est, ut mundus crederet; sed ministerii opus ante consummationem sæculi non cessabit, et eo usque erunt

(1) Joann. XIV. 16. sqq. coll. Matth. x. 23. XXVIII. 20., de quibus cf. explicata prius.

(2) Luc. XXIV. 47. sqq. Ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν καὶ ἀναστῆναι... καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα ἔθνη (Matth. XXVIII. 18. sqq.) ἀρξάμενοι ἀπὸ Ἰερουσαλήμ. Ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων. Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς. Dedit igitur promisitque Christus Spiritum Sanctum iis, quos misit; sed hæc missio semper durabit. Rursum dedit Apostolis Spiritum suum ut testibus, ut ex his liquet et Joannis xv. 26. 27., quemadmodum pariter explicatum superius est; sed hi erunt perpetui. Et dedit Christus Spiritum docentibus ll. cc. Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; sed hi erunt perennes, suntque ipsi successores Apostolorum; cum his igitur et apud eos perpetuo futurus est sanctus Christi Spiritus, qui est Spiritus veritatis sanctitatisque, negative falli ac fallere nescius, positive in utramque illam inducens.

(3) Joann. XVII. 6. sqq.

qui credere debent; ergo eo usque Spiritus sanctus manebit cum testibus eosque in veritate sanctificabit (1). Hinc

c) Adduntur alia Christi dicta eodem pertinentia.

c) dictum illud (2) Salvatoris ad eos, quos ipse misit quique futuri erunt usque ad alterum ipsius adventum : « Quicunque non receperit vos, neque audierit vestros sermones, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati »; et iterum : « Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. » Quibus probe inspectis colligitur,

α) apostolicæ missioni officium respondere apud audientes credendi; et quidem

β) id audientibus injunctum esse sub pœna perdendæ salutis; eo quod

γ) apostolici testes, quippe divinitus missi, haberi ita audirique debeant, ac si ipse adesset et loqueretur Christus; quodque iidem proinde

δ) sperni nequeant, quin ipse Christus spernatur : colliguntur scilicet statuta lex, adjecta sanctio, rationumque ejus momenta. Verum hæc sive omnia sive singula spectata perspicue flagitant, ut prædicatio apostolica sic authentica dicatur et sit, ut ab erroris falsitatisque periculo alienissima semper semperque itidem cum veritate omnium quæ Christus mandavit, conjunctissima exsistat. Hæc autem dispositio perpetua est perenniterque duratura. Nam perpetuam

(1) Hæc illustrari iis possunt, quæ habentur in conc. nic. II. act. VII. ap. Mansi tom. XIII. pp. 376. 408., apud S. Cœlestin. ad syn. eph. ep. 18. n. 1., apud auctorem libelli de Spiritu sancto adv. Eunom. n. 2. inter Basil. opp. tom. I. 1. V. ad calcem p. 321., apud Theodoret. in dialogis l. s. c., et apud S. Iren. l. III. c. IV. n. 1. l. IV. c. XXVI. n. 2. Cf. J. Fessler patrol. tom. I. p. 13.

(2) Matth. x. 14. sqq. 40 : Ὅς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν, ἐξερχόμενοι ἔξω τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται γῇ Σοδόμων καὶ Γομόρρων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς... Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς ἐμὲ δέχεται, καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. Quibus parallela sunt Joann. XIII. 20. : Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ λαμβάνων, ἐάν τινα πέμψω, ἐμὲ λαμβάνει, ὁ δὲ ἐμὲ λαμβάνων λαμβάνει τὸν πέμψαντά με.

perennemque probavimus apostolicam missionem, verbique revelati per testes legitima ab Apostolis et universali missione descendentes probationem ac propagationem. Perennem sane non minus ac universalem (1) illam institutor voluit atque prædixit. Ut enim evangelium suum in universo mundo prædicandum præcepit : ita duraturam prædicationem prænuntiavit (2), donec ipse veniret Filius hominis ac consummatio. Atque duraturam eam flagitat instituta salutis providentia, quousque nimirum credere homines oportet, ut salventur. Atque hinc institutam semel ab initio credendi œconomiam per testes authenticos æque et infallibiles perpetuam perennemque flagitat tum harmonia atque concentus totius ordinis providentiæ salutaris, qui ut a misericordia et justitia proficiscitur, ita constantiam dicit certamque in administratione sua æqualitatem conformitatemve, qua fiat, ne primi sæculi fideles alia via ac ratione credidisse putentur atque salvati, quam fideles sequiorum ætatum, neve iidem primi sæculi credentes in felicitate facilitateque credendi existimentur superasse credentes sæculi postremi, sed de omnibus illud (3) valeat : « Beati qui non viderunt, et crediderunt, » videlicet, crediderunt fidelibus testibus atque securis. Spectetur tandem eadem testium catena

III. Testium catena spectatur historice.

III. historice. Historice autem spectatur, si factum universaque πρᾶξις, id est, ratio modusque agendi consideretur, quo inde ab initio et porro sequentibus sæculis ætatibusque usi sunt testes, ut injunctum sibi fidei probandæ propagandæque, proponendæ ac vindicandæ munus fideliter exsequerentur. Porro liquet

1) Pœna anathematis.

1) ex annalibus monumentisque cœtus fidelium, universis dictum semper fuisse anathema, qui præordinatis testibus acquiescere nollent. At sive animus advertatur ad doctrinam theoreticam, cui hæc agendi ratio innititur, sive ipsa consi-

(1) Cf. et allata superius et Matth. XXIV. 14. XXVI. 13. XXVIII. 19., Marc. XIV. 9. XVI. 15., Act. I. 8., Rom. X. 18.

(2) Matth. X. 23. XXIV. 14. XXVIII. 20., Joann. XIV. 16., de quibus cf. sup. explicata.

(3) Joann. XX. 29. Μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.

deretur anathematis gravitas : certe fas non est ambigere, concordiæ testium tributam constanter fuisse prærogativam, quæ cum vi αὐθεντίας infallibilitatem in fide probanda proponendave complecteretur. Theoretica enim sententia, ad quam πρᾶξις illa exacta est, quam supponit et cui illud potestatis exercitium innititur, consistit in eo, quod præsulibus ecclesiæ persuasum fuisse intelligitur, ipsos in stabilito ordine salutis esse et ipsos esse solos, apud quos plena perfectaque salutaris fidei veritas sit, suamque adeo doctrinam nulli erroris periculo esse posse obnoxiam, sed quidquid alienum ab ea vel devium exsistat, non posse non esse cum errore vel mendacio conjunctum. Et eandem illis insitam penitissime fuisse persuasionem, ex inflicta anathematis sententia apparet, qua immorigeri nolentesque audire ab æterna salute extorres declarantur. Id autem nemo, qui sapientia ac ratione utitur, agit, nisi persuasum sibi exploratumque sit, nomine Dei se agere et numine divino in veritate probanda proponendave ad salutem se esse firmatum. Rursum liquet

2) ex historia tam conciliorum quam etiam hæresum, prævalenti christianæ societati persuasum semper fuisse (1), ecclesiarum antistites consentientes in unum regi et protegi in suis circa fidem ac mores judiciis spiritu veritatis, et citra formidinem citraque examen dubitationis de eorum doctrina standum esse illorum sententiæ. Ad hanc persuasionem, quæ usu praxique jugiter apud cœtum fidelium manifestata est,

2) Persuasio prævalentis christianæ societatis.

(1) Hanc sibi persuasionem inhæsisse ostendit cœtus fidelium, a) quando de suis pastoribus atque doctoribus fidem probantibus eandem censuit solemnem adhibendam sententiam, qua usi testes fidei judicesque Apostoli dicebant : « Visum est Spiritui sancto et nobis »; b) quando idem ille cœtus probatæ a testibus propositæque fidei præstitit non externam modo subjectionem, sed internam quoque intellectus obedientiam, et hanc illi deberi firmiter credebat; c) quando ratum ipse habuit fixumque, postremam tandem supremamque rationem, qua doctrina aliqua vel uti hæretica vel uti orthodoxa credenda sit, aliam non esse ab irreformabili episcoporum judicio contestantium unaque sancientium, illam vel esse a salutis doctrina difformem vel esse eidem conformem. De his cf. inter card. Gerdilii opuscula ad hierarch. eccles. constitut. spectantia cp. « de ratione ineundæ concordiæ catholicos inter et heterodoxos. »

explicandam illustrandamque perspicue facit propositio synodi diœcesanæ pistoriensis (1), quam Pius P. VI. eo quod hæretico et schismatico spiritu sedi apostolicæ detraherent, quod œcumenicis conciliis dabant, hisce censuris confixit : « Sententia enuntians, veteri Majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a synodo diœcesana; falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim » : scilicet, quum janseniana exceptio mota adversus Petri sedem contra universalia concilia consensionemque pastorum omnium mota non sit, a contrario indirecteque universalem de hujus consensionis vi et auctoritate fidem vel persuasionem fidelium cœtus patefacit. Quæ confirmari ac illustrari tandem

3) Triplex modus, quo testes auctoritatem suam exercent.

3) possunt ex triplici testium habitu ad eos, apud quos missione ipsi funguntur, triplicique modo, quo testium auctoritatem potestatemque exercent pro triplici stadio vel statu, qui locum potest habere et obtinet passim, unionis, inquam, seu pacis, dissensionis atque belli. Vel enim datum est ipsis, ut pacifice tanquam testes fidem propagent et membra fidelium cœtui adlegant adlectosque doceant, et tum citra ullam formidinem sibi suæque auctoritati fidem adhibendam requirunt; vel opinionum obtinet diversitas atque dissensio, et tum ut solliciti pastores ad suam sententiam revocant errantes eosque adhortantur et admonent, ut abjecto dissensu ad concordiam secum cumque ipsorum doctrina unice salutari redire festinent; vel adsunt qui indociles sunt ac præfracte ipsis testibus doctoribusque obsistunt, et tum denique uti judices feriunt indociles, refractarios contumacesque anathemate sive damnationis sententia, a sinu illos christiani cœtus suoque ovili proturbant, a Christi

(1) Prop. XI. l. s. c. ap. H. Denzing. n 1374.

corpore resecant penitusque a sua communione rescindunt. Atqui nemo non intelligit, pro triplici hoc statu intimam fidei doctoribus persuasionem inesse, fallere se fallique in negotio religionis atque salutis non posse, tribuendamque sibi fidem salutarem docentibus a fidelium cœtu infallibilitatis præstantiam esse (1). Hæc si accurate diligenterque considerentur, non utcunque duntaxat suadent, sed persuadent omnino, ea testes fidei conspirantes in unum excellere vi ac ratione αὐθεντίας, quæ penitissime cum inerrantiæ dote vincta consertaque sit.

50. — SCHOLION. Quæ ne quidquam, sive spectentur in se, sive quoad rationum momenta, quibus asserta sunt, detrimenti capiant, juverit duas in primis exceptiones paucis expendisse, et aliquot deinceps intulisse conclusiones, quibus plenior eorum fructus totumque pretium deprehendatur. Et quod ad exceptiones attinet : negatur, censu episcoporum circumscribi prærogativas, quibus ex sese authentice ac infallibiliter contestentur; tum affirmatur, vi adhibitæ probationis, non secus ac singulis Apostolis, asserendam singulis quoque episcopis esse αὐθεντίας æque ac inerrantiæ dotem. Sed

50. Scholion.

I. licet apud Luc. x. 16. verba Christi Domini : « Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit, » ad septuaginta discipulos referantur : colligi tamen inde nullatenus potest, sive illos septuaginta factos a Christo æquales duodecim Apostolis, sive illorum successores, qui dicuntur passim sacerdotes esse ordinis secundi, easdem cum Apostolorum successoribus prærogativas habere. Illorum namque missio, ut ex ipso contextu patet et aliunde ex iis, quæ in scriptura de ipsis tacentur deque Apostolis eorumque successoribus dicuntur, neque erat ordinaria, neque perpetua, neque universalis, neque plena ex sese ac sufficiens, neque independens ac suprema; sed extraordinaria erat seu singularis, quum nuspiam alias de iis missis mittendisve mentio recurrat; erat temporaria et localis, scilicet, quo ipse (Chri-

I. Exceptio tollitur petita ex Luc. x. 16.

(1) Cf. card. Gerdil. op. c.

stus) erat venturus; erat proinde omnino dependens a sequente Christi Domini adventu ac prædicatione; erat adeo auxiliaris tantum ac præparatoria ad ipsius Christi adventum; ideoque imperfecta erat omnino ex sese et comparanda nullatenus cum missione Apostolis eorumque successoribus collata. Quod si nihilominus iisdem pro tali missione, propterea apprime quod a Domino mitterentur, αὐθεντία asseritur, qua essent audiendi, usquedum ipse adveniret, qui plene perfecteque doceret : non rationis tantum paritate, sed vi argumenti a minori ad majus inferendum, Apostolis eorumque successoribus, testibus universalibus, plenam convenire ac perfectam αὐθεντίας vim eamque adeo prærogativam, qua infallibiles dicantur et sint. Hinc autem intelligitur similiter quo pacto tollatur

II. Respondetur exceptioni alteri: quænam ex apostolicis prærogativis transierint in successores?

II. exceptio altera, quæ inde repetitur, quod iisdem Christi Domini verbis relatis nominatim a sancto Matthæo (1), quibus dotes Apostolorum innituntur, pariter asseruntur prærogativæ pastorum et doctorum illis in munere apostolico succedentium; quare, ut illis singulis, ita singulis istorum eædem dotes promissæ collatæque videntur. Sed animadvertatur,

1) verbis Domini apud sanctum Matthæum omnes Apostolorum prærogativas nullatenus efferri, uti est immediata illorum facta a Deo vocatio, revelatio, institutio;

2) conferri illis per ejusmodi verba universale magisterium, et quidem universale tum quoad locum : « Euntes in mundum universum », tum quoad subjectum : « Docete omnes gentes », tum quoad objectum : « Omnia quæcunque dixi vobis »; porro

3) idem magisterium sive docendi officium instituitur quoque ut universale quoad tempus venturum, id est, perpetuum; et

4) tali magisterio officioque fungentibus, testibus doctoribusve universalibus promittitur numen, protectio divina : « Et ecce ego vobiscum sum »; quare

(1) Matth. xxviii. 19. sqq.

5) hæc divina protectio non est nisi cum subjecto universalis itemque perpetui magisterii; atqui

6) universale magisterium non est penes singulos pastores et doctores, sive episcopos particulares, sed penes omnes tantum una simulque spectatos, uno excepto, qui successit principi Apostolorum; ergo

7) singuli quique episcopi seu pastores ac doctores suprema vi αὐθεντίας nexaque cum ea infallibilitatis prærogativa non eminent. Jam vero quum non nisi unius ex Apostolis magisterium universale continuatum perpetuumque sit in successoribus suis, alii vero singulos in apostolatu seu magisterio universali successores non habuerint: factum est, ut, ac intelligitur, cur, excepta illius unius ratione, universale reliquorum omnium Apostolorum munus officiumque apostolatus extraordinarium singulisque personale dictum sit ac vocetur. Jam de consectariis.

51. — Quod si ea, quæ præstituimus, sua veritate sibi constant: eadem plena omnino ac fœcunda sunt gravissimis (1) consectariis, quæ distincte ordinatimque subjicimus. 51. Consectaria deducuntur.

52. — COROLLARIUM I. Ex præstitutis aperte consequitur, christianos cœtus, qui pastores et doctores respuunt veluti testes revelatæ veritatis, repudiare medium a Christo ordinatum probandæ propagandæque revelatæ suæ veritatis fideique christianæ. 52. Corollarium I.

53. — COROLLARIUM II. Hinc consequitur exceptio, quam peremptoriam vocant (2), contra cœtus, qui medio destituuntur a Christo ordinato ad probandam propagandamque fidem, scilicet, destitui eos pariter integritate seu plenitudine ac sinceritate veritatis a Christo revelatæ christianæque fidei. 53. Corollarium II.

54. — COROLLARIUM III. Porro consequitur, cœtus, qui nullis utuntur fidei testibus, quos αὐθεντίας inerrantiæque 54. Corollarium III.

(1) Gemina habes in commentario de ecclesia Christi, vol. II. l. III. c. XXIII.

(2) Peremptoriæ exceptiones, ap. Ulpian. dig. 5. 1. 70. et Caium. dig. 44. 1. 2. sqq., eæ dicuntur, quæ semper locum habent, et evitari non possunt: scilicet ab eo, quod perimit et conficit, mortiferum, ἀναιρετικὸν est.

charactere præditos ostendant, medio pariter carere vel organo divinitus instituto veritatis fideique christianæ.

55 Corollarium IV. 55. — COROLLARIUM IV. Hinc consequitur, cœtus religiosos omnes, qui fidei probationem per infallibiles testes rejiciunt, itidem medium organumve excludere, quod Christus voluit, et illud quidem certum seu securum ac plenum seu objective sufficiens ad revelationem christianam probandam fideque divina credendam.

56. Corollarium V. 56. — COROLLARIUM V. Unde consequitur præterea, cœtus ejusmodi medio carere vel organo atque præsidio, quo unitas servetur fidei, finiantur controversiæ, ac cœtus societatisve christianæ universitas obtineatur et obtenta contineatur constanterque retineatur.

57. Corollarium VI. 57. — COROLLARIUM VI. Ergo præjudicium est gravissimum, cœtus ejusmodi, qui tali infallibilium testium præsidio ceu fidei probandæ certo medio destituuntur, dissidiis internis in corde, quo creditur ad justitiam, et externis in ore, quo confessio fit ad salutem (1), distrahi adeoque dilabi (2), ita ut neque fidei habere valeant unitatem, τὸ ἓν καὶ αὐτὸ, neque societatis universitatem, τὸ καθόλον, quibus cœtus christianus unus dicitur atque catholicus.

58. Corollarium VII. 58. — COROLLARIUM VII. Sed cœtus communiove christiana, quæ nomine dicitur ac re est romana, vindicat sibi fidei testes eosdemque non solum authenticos sed etiam infallibiles; eadem ergo præsidium possidet, medium organumve plenum et objective de se suffiçiens, efficax itidem ex sese et a Christo Domino ordinatum, ad habendam custodiendamque revelatam divinitus veritatem, unitatem fidei christianæ, cœtusque fidelium unitatem juxta ac catholicitatem.

59. Corollarium VIII. 59. — COROLLARIUM VIII. Ergo præjudicium decretorium

(1) Rom. x. 8. sqq.

(2) De hujus veritate rei plane disertæ sunt ac plenæ dissidentium a prævalente societate christiana generatim omnium et nominatim protestantismi historiæ, quales memoriæ tradiderunt ex antiquis, qui de hæresibus scripsere, e recentioribus autem et recentissimis mentionem merentur Bossuet., hist. des variations, et J. E. Joerg, Geschichte des Protestantismus, ap. Herder Friburgi Brisgov. 1858.

est, societatem hanc, quæ nomine, romana, distinguitur, verum esse atque genuinum a Christo fundatum fidelium cœtum, id est, ecclesiam Dei.

PARERGON.

THEOLOGICÆ RATIONIS JUDICIUM DE INSTITUTA OECONOMIA TESTIUM.

60. Parergon illud quo spectet?

60. — Qui opera Dei diligenter indagat, is postquam illorum exsistentiam atque a supremo numine profectam originem agnovit atque probavit, contempletur quoque oportet eorundem tum sapientiam, tum opportunitatem vel etiam pro rerum varietate suisque positis conditionibus necessitatem. Ad ea porro, quæ, ut ostensum est, Deus ipse decrevit opereque perfecit, instituta pertinet testium œconomia. Quapropter juverit, illam brevi præ sapientia, opportunitate necessitateque spectasse; idque eo vel magis, quod ita quæ superius indicata satius quam pertractata sunt, novo veluti lumine collustrentur magnamque contra eos, qui ob vim rationis testium œconomiam rejiciunt, probandi vim sortiantur. Quod ut manifestum fiat, sic statuendum esse censemus.

THESIS XII. *Probata testium œconomia cum sapientissima haberi, tum necessaria utraque necessitate juridica seu legali et naturali seu reali, hoc est, quæ ab hypothesi proficiscitur quæ cum ipsis rerum naturis in præsenti ordine providentiæ conserta est, existimari debet.*

61. De demonstratio partis prioris.

61. — DEMONSTRATIO PARTIS PRIORIS. Et illius quidem sapientia (1) ab externis internisque rationibus argui potest. Arguitur

I. Sapientia probatæ testium œconomiæ arguitur rationibus externis.

I. externis, scilicet :

1) ex supremo illius auctore, ex institutore et conservatore Deo (2) summa omnis sapientiæ causa, qui hanc præ cæteris viam in suæ religionis negotio selectam voluit;

(1) De hac re videsis commentar. de eccles. l. s. c. c. XXII.

(2) Voluit eam Deus Pater operum sapientiæ origo et fons, instituit incarnata Sapientia, conservat absolvitque æternæ sapientiæ Spiritus.

2) ex hujus œconomiæ ministris, catena testium, qui sapientiæ donis repleti (1), eandem fidei propagandæ viam tutissimam semper aptissimamque habebant. Arguitur

II. Arguitur rationibus internis.

II. rationibus internis, nimirum

1) ex perspicua commoditate, qua se illa rationi commendat (2) omniumque hominum conditioni respondet;

2) ex emolumentis, quæ hæc probandæ fidei ratio hominibus affert collectis in societatem (3) atque colligendis;

3) ex consectariis absurdis, quæ illa penitus rejecta immediate mediateque consequerentur (4), et consequuntur reapse apud eos omnes, qui testium œconomiam aspernantur: tum a parte rei, quum credi in nullo rerum humanarum ordine amplius posset; tum a parte Dei, qui vel teneretur ad immediatam itemque universalem ac continuam revelationem

(1) Apostoli, episcopi, pastores doctoresque ecclesiæ, qui continua semet exceperunt et excipiunt serie, neque ab humana neque a divina sapientia sive laborarunt sive laborant.

(2) Recolantur dicta superius n. 13. de rationibus, quibus a priori probavimus, esse conveniens, congruum, probabile, testibus Deum in hominum genere religiose instituendo uti voluisse; considerentur quæ docet S. Augustinus enchir. c. IV. n. 1., tum hæc: medium humanæ institutionis, quod etiam in aliis humanarum rerum ordinibus obtineat sapienterque usitetur, ipsum in se plane externum sensibusque obnoxium, obvium ex sese ac facile, commune et universale, id est, omni hominum conditioni, ævo omni omnique loco attemperatum, divino porro numine securum ac tutum, tale profecto est, quod humanæ rationi apprime commendabile aptissimumque ad finem propositum appareat; atqui tale nec aliud est medium probandæ vindicandæque fidei, quod nostris in religionis negotio testibus continetur.

(3) Hæc ex modo dictis adnotatione superiori haud ægre colliguntur, tum iis constant, quæ n. 27. præstituimus, maxime si consideretur profecta a testium œconomia et effecta unitas ac concentus, universalitas seu catholicitas, securitas ac firmitas, pax et tranquillitas, subjectio et ordo, commodum et otium ad alia subeunda in humanis opportuna non minus ac necessaria negotia, et tamen sufficiens prorsus, quæ omnibus ad salutem præsto est, rei religiosæ cognitio.

(4) Hæc conserta sunt cum iis, quæ superius indicata explicataque sunt, de quibus scite vel ipse Hugo Grotius de verit. rel. christ. l. II. § 22. animadvertit demonstrans, standum esse testimoniis: « Quod ni admittitur, non modo omnis historiæ usus periit, medicinæ quoque pars magna, sed et omnis quæ inter parentes liberosque est pietas, ut quos haud aliter noscamus. Voluit autem Deus id, quod credi a nobis vellet sic ut illud ipsum credere tanquam obedientiam a nobis acceptaret, non ita evidenter patere ut quæ sensu aut demonstratione percipiuntur; sed quantum satis esset ad fidem faciendam remque persuadendam non pertinaci.

singulis faciendam, vel non satis œconomiæ fidei ac salutis prospiceret; tum denique a parte hominum, qui citra immediatam revelationem ad certitudinem de re revelata fideque salutari pervenire non possent. Censeri igitur instituta testium ad probandam fidem œconomia ex sese sapientissima debet.

62. — DEMONSTRATIO PARTIS POSTERIORIS. Sed in eo, quem declaravimus, divinæ providentiæ ordine est illa etiam necessaria. Ejusdem porro necessitas tam legalis ac juridica, quam vocant externam, quippe quæ ex voluntate revelatoris fideique auctoris dependet, quam interna ac naturalis, quippe quæ cum ipsis rerum naturis conserta est, evidenter colligitur. Et quod

62. Demonstratio partis posterioris.

I. ad necessitatem priorem œconomiæ testium attinet: ea, uti probatum est, ex Dei decreto (1) constat ac institutione, per quam legalis illa est et juridica, cui stare necessario oportet; tum constat ex perpetuo, qui cum illis cohæret, ejusdem usu ac praxi, quam vocant, qua, ut pariter demonstratum est, indeclinabilis illa lex ac constans et necessarium apud cœtum fidelium jus erat. Quod autem

I. Institutæ œconomiæ necessitas legalis ac juridica.

II. ad alteram istam necessitatem spectat: ea absque difficultate deprehendetur, dummodo conditiones rei, qua de agitur, paulo penitius expendantur: agitur nimirum

II. Ejusdem necessitas interna ac naturalis, non obstante etiam instrumentorum existentia.

1) de fide seu revelatione divina probanda ac persuadenda, propaganda, conservanda, tuenda; et quidem

2) de eadem revelatione ac fide persuadenda hominibus plane omnibus (2), propaganda ubivis terrarum seu per orbem universum (3), insuper tuenda contra quosvis errores et contra quascunque fallacias ac illusiones (4);

3) porro de hac fide persuadenda (5), propaganda, tuenda

(1) Necessaria ex hypothesi est, quia Deus eam ad fidem suam diffundendam in præsenti ordine voluit. Sed voluntas supremi cœtuum humanorum auctoris et domini, legislatoris atque ordinatoris apud illos lex est et jus; quare demonstrata institutio œconomiæ testium est diciturque legalis ac juridica.

(2) Matth. xxviii. 19.

(3) Marc. xvi. 15.

(4) II. Tim. iv. 15. sqq.

(5) Ephes. iv. 14.

citra quodvis dubium vel periculum sive levitatis ac credulitatis, sive temeritatis ac incredulitatis;

4) de fide, quæ sensus mentemque prætergreditur (1); de fide tandem,

5) quæ non regitur placitis puræ rationis neque scientiæ innititur evidentia, sed quæ a revelatore (2) tota et unice dependet, cujus solius fundatur auctoritate. Jamvero

6) exclusa continuæ revelationis œconomia eaque immediata itemque universali, quæ singulis divinitus fieret seorsum (3), non superest nisi auctoritas externa eaque vel instrumentorum divinorum vel authenticorum et infallibilium testium, qui fidem docendo propagent, tueantur ac vindicent. Sed

7) auctoritas hæc nequit unice esse instrumenta, quæ non præferunt personam fidem probantis et vindicantis, sed potius rem fidei, quæ probanda est ac vindicanda: tum quatenus complectuntur rem revelatam, quæ proponenda et declaranda est; tum quatenus ipsa instrumenta probanda sunt ut genuina, authentica et ex hypothesi inspirata. Non sunt illa subjectum (4) propagans, verum satius objectum propagandum : divulgari sane αὐθεντικῶς ea nequeunt absque authenticis testibus. Non habent rationem judicis, sed fontis : ex instrumentis quidem depromuntur, quæ ad dirimendas quæstiones opportuna vel necessaria esse possunt; sed ipsa instrumenta uti muta ex sese ac mortua tacent. Neque finiunt lites, sed eorum etiam fœcunda sunt : de iisdem enim, eorum genuina origine, integritate, veritate, de earum authentica interpretatione atque enarratione non pauca neque levia orta semper sunt oriunturque dissidia. Non sunt medium credendi originale (5) neque universale, neque etiam ex sese plenum et objective sufficiens : plurimi enim institutioni ex

(1) Hebr. xi. 1.
(2) Matth. xxviii. 20.
(3) Hujus autem commenti fanatici nullum habent fundamentum.
(4) Hinc inauditum, fuisse societates unquam instrumentorum solorum ope mediove collectas, conservatas, auctas, assertas.
(5) Prærequirunt, secundum superius exposita, testes.

instrumentis comparandæ vel ob interna vel ob externa impedimenta impares perspicue exsistunt : id ex omnibus, quæ præstituimus, liquet. Unde sapiens illa vere et summopere necessaria comparet fidei per testes probatio, qua in negotio tanti momenti, in re salutis æternæ omnibus omnium hominum cujusvis conditionis et status commodis ac indigentiis tam internis cum intellectualibus tum moralibus, quam externis sive privatæ vitæ sive publicæ abundantissime satisfit. Neque etiam de solis nudisque instrumentis, quæ distribuuntur, potest dici : « Lege et crede », quemadmodum de testibus repetitur : « Audite et credite ». Ergo nihil superest

8) nisi ut auctoritas illa reponatur in testibus, qui tamen ita facti comparatique sint, quales eosdem asserere in antecessis sategimus. Est igitur horum œconomia principio exclusi medii in præsenti ordine necessaria. Atque hæc erat semper prævalentis christiani cœtus sententia ac persuasio, de qua altero sæculo docet sanctus Irenæus (1) scribens : « Hac ordinatione et testium successione (quam institutam divinitus, adeoque legalem ostenderat), ea quæ est ab Apostolis in ecclesia traditio et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio (perfecta ex se ac sufficiens demonstratio eaque efficax et par, ut una sit et q. s.), unam et eandem vivificatricem fidem esse, quæ in ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate. » De eadem sæculo et non nihil amplius postea nos docet Augustinus (2), qui de utilitate credendi integrum opus reliquit, inquiens : « Sola est auctoritas, quæ commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Quandiu intelligere sincera non possumus (3), auctoritate quidem decipi miserum

(1) Cont. hær. l. III. c. III. Τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διαδοχῇ ἥ τε ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς : alia græce desiderantur.

(2) De util. cred. c. XVI.

(3) Nemo vero sincera intelligere absque auctoritate potest, si de supernæ veritatis sinceritate sermo sit, præ qua stulti sunt omnes, quos Pater cœlestis non docuerit per Unigenitum, quem misit in mundum, vel per eos, quos ab Unigenito missos comperimus. Quod si vero sermo sit de attemperata rationi

est, sed certe miserius (1) non moveri. Si enim Dei providentia (2) non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimæ pulchritudinis (3) fonte manare credendum est, et interior nescio quæ conscientia Deum quærendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur : non est desperandum, ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes attollamur in Deum. Hæc autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut sæpe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine (4). Nihil horum necessarium est sapienti (5) : quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse (6) possimus, id est, inhærere veritati. » Atque de eadem beatus Thomas (7) media ætate nos docet verbis a concilio vaticano (8) sancitis : « Quod divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponuntur »; ubi tribus rationibus propriam uniuscujusque in negotio religioso inquisitionem, quæ citra auctoritatem fieret, excludit.

ipsi naturali religiosa veritate, stulti pariter censeri plerique omnes debent, atque Thoma contra gentiles l. I. c. IV. auctore « divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponuntur. » Quibus ad œconomiam testium probandam nihil præclarius, quando sepositis testibus proprium cujusque requireretur religionis studium atque examen, quibus, ut par est, instituendis profecto plerique omnes idonei non sunt.

(1) Qui enim non crediderit, condemnabitur.

(2) Argumenta significantur, quibus Dei exsistentia probatur, tum cosmologicum, tum ontologicum, tum ethicum.

(3) Deus sistitur exemplaris omnium causa.

(4) His similia neque minus clara habet con. ep. fundam. c. IV., cont. Faust. l. XII. c. XIII., de civit. Dei, l. XXII. c. VIII.

(5) De vera loquitur sapientia, qua rite ac scite supremus attenditur finis aptaque ad illum consequendum disponuntur media. Quum vero ille ex Dei benevola voluntate supernaturalis fuerit statutus, ejusdemque ordinis media fuerint divinitus revelata ac communicata : necesse est omnino, ipso quoque vero sapiente considerato, illorum consequi veram notitiam, et, quo fieri plenius possit, perfectam eorum comparare possessionem.

(6) Nemo sapiens nisi qui veritatem apud eos quærit, qui semet ad eam docendam vi argumentorum indiciorumque divinorum legitimos patefecerunt Dei legatos vel testes.

(7) Cont. gentil. l. I. c. IV.

(8) Constitut. de fide cathol. c. II.

Hæ autem factæ non tantum pariter, sed a potiori sunt ad necessitatem magisterii in supernaturali religionis œconomia comprobandam. E quibus pronum est, hæc rursum inferre :

63. — COROLLARIUM I. Qui ergo rationem fidei per testes probandæ rejiciunt, ii non modo obsistunt placito Dei et Christi ejus, neque Apostolorum duntaxat totiusque antiquitatis suffragium insuper habent; sed expugnant etiam illud, quod altissima rationis sapientia commendat et rerum humanarum indigentia ac necessitas flagitat.

63. Corollarium I. De iis qui rationem fidei per testes probandæ rejiciunt.

64. — COROLLARIUM II. Qui ergo testibus nuda sufficiunt instrumenta ad fidem probandam, ii medio utuntur, quod sua natura neque independens est neque plenum, quum illa dependeant ex probatione per testes; medio porro, quod ex se solum non est accommodatum omni sive toti revelationis fideique subjecto, omnibus scilicet hominibus, quibus certe ut plurimum ob varias internas externasque causas instrumenta non patent; quodque consequendo divinæ revelationis fini est impar, quando litteræ de se gentes universas vinculo ejusdem fidei et interno externoque caritatis ligamine unire ac copulare nullatenus valeant.

64. Corollarium II. De iis qui testibus nuda sufficiunt instrumenta.

65. — COROLLARIUM III. Si quis ergo cœtus sit (1), qui per testes legitimos in fidei negotio doceatur ac instituatur, quique alios in eodem instituat ac doceat : is quidem hinc responderet ordini stabilito revelationis divinæ, humanæ sapientiæ rationibus, conditioni ac indigentiis singulorum totiusque cœtus societatisve omnium commodis ac necessi-

65. Corollarium III. Præjudicium decretorium contra multos cœtus.

(1) Ita Irenæus cont. hær. l. III. c. IV. n. 1. : « Tantæ enim per testes nobis suppetunt ostensiones, ut non oporteat adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere : cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis : uti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem sunt ecclesiæ, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? »

tatibus; inde autem per medium aptum ac necessarium ad præfinitos divinitus fines contenderet. Qui vero cœtus, rejecta testium œconomia, necessario hoc ad instituti ordinis fines consequendos medio destituuntur, iidem profecto instituti ordinis revelati finibus bonisque cum iisdem consertis privantur. Quare sunt monendi non secus ac Honoratum Manichæum Augustinus (1) monuit ad salutem : « Si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere, sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad posteros manatura est. »

66. Corollarium IV. De iis, qui testium et instrumentorum doctrinam subjiciunt rationis examini.

66. — COROLLARIUM IV. Colligitur præterea, quid censeri de iis debeat, qui se neque testes neque instrumenta dicunt abjicere simpliciter, sed ea admittere; attamen utriusque doctrinam subjiciendam rationis examini (2) præscribunt, ita ut nihil velint adprobatum, nisi quod ratione probetur, nihil rejectum, nisi quod una ratione (3) repudiandum existimetur. Hi omnia et rationis et revelationis jura sus deque vertunt. Sane quum considerari iidem multipliciter possint, a nobis considerari non debent, nisi ex iis, quæ stabilivimus, et juxta indolem eorum, quæ tractanda habemus præ manibus. Quod si fiat, liquido patet,

I. ab iisdem testes fidei ad summum haberi instar fontium veritatis realium seu materialium, non personalium, adeoque in eodem omnino censu (4) reponi ac instrumenta revelationis divinæ cum eo duntaxat discrimine, quod illi

(1) De utilit. cred. c. VII. n. 20.

(2) Cf. Car. Pass. de eccles. Christi, l. c. n. 242.

(3) Hæc non obscure indolem redolent ac speciem rationalismi, qui testibus ac instrumentis non utitur nisi ut vulgaribus humanisque fontibus veri, de quibus apud philosophos nominatimque logices discipulos. Porro novam illam rationalistarum speciem formamve exhibent præsules novatores, qui licet inveteratum contra catholicam auctoritatem odium præferant, semet tamen veteres catholicos, id est, palæocatholicos appellant, eoque pertinent, ut rejecta testium infallibilium auctoritate, doctrinam sententiamque ipsorum testium judicio suo examinique subditam velint.

(4) Qua in re dupliciter erratur : tum quidem a) quod detrahitur instrumentis, quæ verbum Dei sunt spectata materia et forma, sed non ita testium dicta; b) detrahitur testibus, qui vivi intelligentesque quum sint, verbum Dei edicunt, interpretantur, declarant, sed non sic instrumenta.

voce, ista autem scripto exhibeant objectum fidei judicio rationis subjiciendum ; hinc

II. per illos propriam vim testium destrui, et a testibus divinitus missis ac positis supremam fidei regulam judiciumque præter et contra jus divinum (1) devolvi ad rationem humanam ;

III. per eosdem contra divinum jus authenticis testibus derogari (2) infallibitatis circa credendum objectum auctoritatem ;

IV. contra idem Dei jus testibus vivis divinoque numine protectis consertam cum illa in controversiis fidei prærogativam (3) auferri judicum inappellabilium ac peremptorio judicio inerrabiliter declarantium atque decidentium ;

V. rursum præter et contra Dei legem aut inerrantiæ dotem naturali hominum vindicari rationi, aut fidem divinam vicibus humanæ mentis (4) exponi adeoque opinionibus hominum commentisve adæquari ;

VI. insuper aut omnem divinæ revelationis ordinem negari, aut in superno ordine ac divino revelationis constitui inordinate insipienterque (5) cognoscendæ veritatis medium, quod mere creatum nudeque humanum sit ;

VII. præterea contra Dei voluntatem, Christi institutionem, Apostolorum auctoritatem totiusque antiquitatis suffragium vindicari (6) generatim omnibus quod non debetur nisi ordini hominum selecto ;

VIII. hinc per illos ordinem revelationis supernæ everti, eumque ad ordinem rationis humanæ deduci ;

(1) Nullibi Deus judicium hoc rationi detulit, est ergo præter jus divinum ; sed detulit illud præordinatis testibus, est ergo contra jus divinum, tribuere illud humanæ rationi.

(2) Eorum namque sententiam faciunt judicio rationis obnoxiam.

(3) Qui infallibiliter docet, apud eum profectó sit oportet jus dirimendi peremptorie lites.

(4) Primum est contra legem ordinis naturæ, alterum contra legem ordinis fidei.

(5) Sapientiæ etenim est, ordini finium aptare media ; quum ergo veritatis ordo a Spiritu Dei sit, sane medium illius assequendæ neque spiritus seu ratio hominis, nec ab eodem Dei Spiritu destitutum dicatur ac sit.

(6) Rationis namque vis ac intelligentia, vario licet gradu insidet omnibus, qui humanam sortiuntur naturam.

IX. propterea characterem ac indolem religionis christianæ (1) cum charactere ac indole religionis naturalis præpostere confundi;

X. adeoque ea, quæ utrique propria sunt ordini, religionis nimirum supernæ et religionis naturæ, perperam (2), veluti communia essent, misceri;

XI. profecto auctoritati, qua christiana veritas redditur evidenter credibilis (3) atque objectum fidei salutare quod credi debet, suffici ab illis rationem, qua veritas ad ipsam spectans redditur evidenter intelligibilis et objectum necessariæ scientiæ;

XII. quapropter naturam divinæ fidei pessundari, eique scientiam substitui humanam;

XIII. quare quum legitimæ testium auctoritati nimium ab illis detrahitur, nimium ab iisdem infirmæ rationis facultati (4) asseritur; tandem

XIV. contra pietatem humanitatemque adsignari veritati

(1) Hæc est historica, positiva, data, ut aiunt, et in facto posita, supernaturalis; altera vero naturalis est et philosophicæ potius investigationis explicationisque; quare illa immediate Spiritu Dei, hæc autem immediate acquiritur spiritu creaturæ; illa per revelationem, hæc per rationem.

(2) Instrumenta, qualia sunt christiana, profecto convenire non possunt nisi supernaturali ordini religionis, quemadmodum ordini religioni naturali proprium est, humana ratione inniti.

(3) Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, Paulo docente I. Cor. XIII. 9. sqq., neque plene, sed ex parte tantum cognoscimus.

(4) Constat sane, haud cessisse rationi naturali sibi relictæ e votis, congenito lumine veritatem consequi, quæ sibi tamen esset φυσικῶς plane attemperata. Sed licet illi, quavis tandem admissa ejusdem cultura et explicatione, cederet e votis : hoc tamen, ut superna fidei dogmata vi sibi insita acquirat, perspiciat penitus ac comprehendat, certe nunquam fiet fierique plane nequit. Juverit tamen de rationis naturali potestate consuluisse, quæ nomine veterum (cf. Euseb. præp. ev. l. II. c. v., Theodoret. de cur. græc. aff. disp. 1.) disserit Justinus in cohort. ad græc. n. 38. Εἰ δέ τις οἴοιτο παρὰ τῶν πρεσβυτάτων παρ' αὐτοῖς ὀνομασθέντων φιλοσόφων τὸν περὶ Θεοῦ μεμαθηκέναι λόγον, Ἀμμωνός τε καὶ Ἑρμοῦ ἀκουέτω· Ἄμμωνος μὲν, ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις πάγκρυφον τὸν Θεὸν ὀνομάζοντος· Ἑρμοῦ δὲ σαφῶς καὶ φανερῶς λέγοντος, Θεὸν νοῆσαι μὲν ἔστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατὸν· πανταχόθεν τοίνυν εἰδέναι προσήκει, ὅτι οὐδαμῶς ἑτέρως περὶ Θεοῦ καὶ τῆς ὀρθῆς θεοσεβείας μανθάνειν οἷόντε ἢ παρὰ τῶν προφητῶν μόνον, τῶν διὰ τὴς θείας ἐπιπνοίας διδασκόντων ἡμᾶς. Recentiorum vero nomine hæc ad rem habet qui nimiis erga ecclesiam studiis haud abripiebatur Grotius de verit. rel. christ. l. II. § 18. : « Græcæ sapientiæ

religionis assequendæ medium (2), quod humano generi accommodatum nequaquam apparet. Unde hisce omnibus diligenter consideratis reliquum est, ut inferamus denuo, in constituenda fidei œconomia, qua Deus summa genus humanum benignitate misericordiaque habuit, summa eundem pariter usum sapientia ac providentia : quum illam neque per revelationem subjectivam singulisque propriam, neque per revelationem objectivam nudis comprehensam instrumentis administrare, neque regere voluerit illam vi solius rationis atque scientiæ (quod quidem in hypothesi ordinis elevati ac superni Deus ne velle quidem potuit); sed voluerit ac decreverit, instituerit atque ordinaverit expirantem nunquam seriem virorum sibi succedentium jugiter jugiterque excellentium dotibus suos ad fines accommodatis, a quibus verbum semel revelatum conservaretur porro, jugiter proponeretur omnibus, propagaretur ubique, assereretur atque vindicaretur doctrina ac prædicatione inerrabili, judicio peremptorio ac irreformabili sententia.

67. — COROLLARIUM V. Ex iis, quæ de testibus hucusque disputavimus, perspicuum est,

67. Corollarium v. De habitu totius revelatæ doctrinæ ad testes.

1) divinam revelationis doctrinam universam, verbum Dei pro toto suo ambitu ad eosdem spectare : atque adeo

2) ubicunque tandem illud contineatur, quibuscunque e fontibus eruendum sit, illorum esse ministerii, officii ac mu-

auctores nihil ferme certi se offerre ipsi fatebantur, quippe veritatem velut in puteo demersam (ἐν βυθῷ ἀλήθεια erat adagium Democriti) et mentem nostram non minus calligare ad divina quam oculos noctuæ ad lumen solis (Aristot. metaph. II. 1.). Ipsorum præterea nemo non aliquo vitio obsitus, alii regum adulatores, alii porcorum amoribus addicti, alii caninæ impudentiæ. Invidiæ vero omnium inter se magnum argumentum rixæ de verbis aut nullius momenti rebus, frigoris vero in Dei cultu, quod et qui unum Deum crediderunt, tamen illo seposito aliis et quidem quos deos non crederent, cultum exhibuerunt, religionis normam statuentes id, quod receptum esset publice. De præmio quoque pietatis nihil asseverabant certi, quod vel ex ultima illa Socratis morituri disputatione apparet. »

(2) Si enim, quod Tullius habet, in omni rerum genere vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat : sed multo id verius in negotio religioso, quemadmodum quæ superius multis ostendimus patefaciunt; sed enimvero rationis ope externo veluti præsidio obtinere quod Joann. xvii. 21. Christus precatur, id fieri omnino nequit.

neris, juxta Domini præceptum apud Matthæum, ejusdem orationem apud Joannem et in pastoralibus Pauli litteris mandatum, universam a Christo per sanctum Spiritum revelatam veritatem tanquam sacrosanctum depositum testando docendoque hominibus omnibus ad salutem communicare, integrum asserere et ab omni erroris falsitatisque admixtione sartum tectumque custodire. Ergo

3) tota iis fidei œconomia conservatur ac regitur, perficitur et absolvitur, idque

4) constanter et jugiter, singulis ætatibus omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ita ut

5) porro id efficiatur singulis ætatibus atque diebus omnibus a coexsistentibus tum et conspirantibus in unum testibus, episcopis, pastoribus et doctoribus. Sed id jam progrediente ulterius examine investigandum apparet, quomodo ad testes revelationis revelatum objectum ipsumque testimonium se habeat, quomodo verbum Dei revelatum inde a fidei christianæ originibus a Verbo hypostatico perque Apostolos porro in Spiritu sancto prædicatum deinceps sequentium testium ministerio ad subsequentia sæcula dimanaverit et dimanet, utrum nimirum illud sive totum sive ex parte et quibusnam contineatur sedibus ac fontibus, e quibus idem ad præordinatos testes vel derivari jugiter inerranterque vel ab ipsis constanter erui putandum sit.

PARS ALTERA

DE TESTIMONIO SIVE TRADITIONE

CAPUT PRIMUM.

DE VI AC RATIONE TESTIMONII SEU TRADITIONIS.

§ 1. De Traditionis partitione.

68. — Nihil veritatis cognitionem nihilque scientiam universim magis impedit, quam idearum notionumque confusio; nihil utramque juvat amplius ac promovet, quam accurata exactaque rerum conceptuumque distinctio. Expedit ergo prænotando nonnulla, quæ ad hanc rem de traditione acturos nos conducent, præstituisse. 68. Prænotanda nonnulla.

69. — Testis et testimonium sunt absque dubio ex iis, quæ correlata vocantur : atque adeo pronum est, quod sequitur 69. Testis et testimonium sunt correlata.

LEMMA I. *Quemadmodum testi testimonium respondet : ita quæ testi ut tali conveniunt, in ipsum quoque illius testimonium dimanant, et quæ illi ut tali sunt propria, ea evadunt huic communia.* Lemma 1.

70. — Quum vero testes, qui in præsentem considerationem veniunt (1), 70. Testimonium dividitur :

1) alii divini sint, Verbum scilicet in humana assumpta natura testis cœlestis, et alii Apostoli testes, in quibus loquebatur et penes quos erat Spiritus Christi, et ecclesiæ episcopi alii testes divinitus protecti : trifariam est testimonium, scilicet, divinum, apostolicum, ecclesiasticum. Sed quoniam Apostoli erant et divina revelatione aucti et divina assistentia muniti : testimonium Apostolorum bifariam patet : vel quatenus verbum Dei a Christo et Spiritu sancto sibi revelatum testantur, et hoc testimonium divinum est; 1) in divinum, apostolicum ecclesiasticum;

(1) Videsis præmissa prius de testibus lemmata.

vel quatenus verbum apostolicæ suæ, id est, supremæ universalium pastorum et doctorum auctoritatis edunt, instituendo, mandando, declarando, et testimonium hoc authenticum ac infallibile est. Utraque porro acceptione testimonium apostolicum vel apostolica traditio in ecclesiasticis monumentis recurrit; hinc prodit hæc alia divisio : quum e testibus

2) in divinum, apostolico-divinum, apostolicum simpliciter sive ecclesiasticum.

2) alii sint simpliciter divini, ut Verbum incarnatum ; alii humani, sed Christi Spiritusque sancti revelatione aucti, ut Apostoli; alii humani, sed divina tutela muniti, quemadmodum Apostolorum in testium munere successores, episcopi : manifestum est, testimonium merito trifariam distingui, ita ut aliud divinum sit, divino-apostolicum aliud, et aliud sive apostolicum simpliciter (1) sive ecclesiasticum. Triplex vero ejusmodi testimonium eo potissimum nomine differt, quod quum primum et alterum fidei objectum, quod materiale dicunt, complectatur : tertium contra, licet hujus dignitatis non sit, sibi tamen illud pariter vindicet, ut authenticum simul et infallibile sit.

71. De habitu testimonii ad traditiones. Lemma II.

71. — Verum quomodo se testimonium habet ad traditiones? De quo pronum rursus est

LEMMA II. *Licet traditio certo adstricta sensu testimonium pro tota hujus amplitudine, qua id complectitur totum Dei verbum* (2), *quod a testibus divinis revelatum est, non adæquet : nihil tamen impedit, quominus eadem præ testium serie ac differentia spectata generatimque accepta* (3) *velut* συνώνυμον *in hac causa cum testimonio habeatur.*

(1) Si spectetur testimonium apostolicum, quod tale simpliciter est, præ sua origine, differt manifesto ab ecclesiastico testimonio; si autem præ interno pretio ac valore, conveniunt : utrumque enim refertur ad fontem in sese authenticum et infallibilem. Quum autem, ut indicatum est superius, singularis fuerit Apostolorum prærogativa et exsors omnino eorum ἀξίωμα : propterea est, quod singularis pariter et exsors habeatur traditio, quæ ab Apostolis profecta est vel existimatur.

(2) Videsis corollarium sup. expositum.

(3) Traditio adsignificat propagationem rei ad alios subsequentes, quam ideam ex se testimonium non refert. Si tamen successio sit testium testimonium edicentium : apparet, a subjecto derivari in testimonium vim, qua id cum traditione, si ea generatim accipiatur de verbo Dei derivando ad po-

72. — Quare quæ de testimonio superius præmonuimus, eadem ad ipsam quoque transferenda sunt traditionem. Porro quum traditionis vocabulum πολύσημον sit : additur

72. De variis acceptionibus vocabuli, traditionis.

LEMMA III. *Quod ad varias acceptiones attinet* (1) : *advertatur*,

Lemma III.

I. *traditionem considerari posse tum efficienter seu active, tum effective vel passive; et, quod eodem fere redit, tum subjective et formaliter, cum objective et materialiter.*

I. Traditio accipitur tum active, tum passive.

73. — Sicut autem priori spectata modo vox significat actionem tradendi seu testandi ipsumque actum testantis : ita posteriori modo accepta ipsam denotat rem traditam, objectum communicatum seu testimonium editum. Quæ tamen duo licet distinguantur ab invicem ac secernantur, dividi tamen ab invicem ac separari non debent : sine testimonio enim testis est absque objecto ac fine, et sine teste est testimonium absque fundamento ac principio. Porro sive nomen, traditio, accipiatur de actu, quo veritas communicatur ; sive etiam de ipsa veritate sumatur, quæ communicatur ac traditur : perspicuum omnino est, ad eam illa spectare, vel in utramque dimanare, quæ testibus asseruimus. Jamvero

1) *si illa priori sensu pro actione orali sumatur : significat medium, viam rationemque a scriptura distinctam, qua verbum divinum ad posteros propagetur.*

1) De traditione accepta active et subjective.

74. — Quo sensu concilium tridentinum dixit (2) : « Hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt » : ubi ita

steros sive scripto sive ore, converti possit. Et rursum veritatem tradere et ad posteros transmittere, non est aliud nisi veritatem successive propagare, quod quum testium, ut probavimus, sit, nemo est, qui non intelligat, testimonium successivum testium traditionemque generice et relate ad christianam testium œconomiam convenire.

(1) De traditionis, παραδόσεως, voce et notione cf. Moehler de unit. eccles. append., Melchior. Canum, l. II. c. XVIII. ad 4. et l. III. c. v., necnon Annati apparat. ad theolog. positiv. de traditione sacra, l. III. a. 1. Petavio auctore traditio apud latinos et παράδοσις apud græcos dationem exprimit, quæ fit de manu in manum.

(2) Sess. IV. in decret. de canonicis scripturis.

significatur universa veritas evangelica, christiana, ut ea per duplicem viam ad nos derivari dicatur, orali scilicet et scripto. Tum vero

2) De traditione accepta passive et objective.

2) *quod ad eandem traditionem posteriori sensu acceptam speciatim attinet : ea bifariam in primis distingui solet. Et modo quidem generali latiorive, modo autem speciali pressiorive sensu usurpatur.*

75. — Generali ac latiori sensu eam Paulus accepit (1), eaque doctrinam sive voce sive scripto communicatam significavit. Ergo vox παράδοσις, traditio, laxius vel generice accepta præscindit a medio, cujus ope aliquid traditur. Quum porro veritas transmitti viva voce et scripto ad alios possit, παράδοσις de transmissione utraque plus semel apud veteres accipitur. Pressiori autem sensu specialique traditio denotat (2) rem transmissam medio ab instrumentis diverso, adeoque vel ore tenus communicatam vel usu ac consuetudine propagatam. Atque hoc pacto traditionis nomine utitur Paulus (3) ad eam significandam doctrinam, quam ore tantum Corinthiis proposuerat. Hæc enim prima ad Corinthios fuit epistola, qua Paulus illos per scripta instituit; παράδοσις ergo, ad quam Apostolus provocat, non potuit esse nisi oralis institutio. Jamvero advertatur,

II. Quænam traditio consideranda nobis venit in hac tractatus posteriori parte?

II. *hanc utramque traditionis acceptionem eam similiter esse, quæ communi vulgarique usu apud ecclesiæ scriptores atque doctores* (4) *invaluit.*

(1) II. Thess. II. 15. Ἄρα οὖν, ἀδελφοὶ, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

(2) Quo pertinere hujus vocis acceptio videtur apud Matth. xv. 2., Marc. v 3. sqq., Galat. I. 14., Coloss. II. 8. Profecto in ejusmodi locis παραδόσεις a doctrina authenticis instrumentis divinis contenta secernitur.

(3) I. Cor. XI. 2. Ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς, ὅτι πάντα μου μέμνησθε, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε.

(4) Ita traditionem illud theologi dicunt, quod ab universa ecclesia usurpatum atque sancitum nullum habet in sacris litteris testimonium, sed a Majoribus nostris sermone acceptum, licet scripto deinceps fuerit mandatum, ad nos usque perductum est. Hoc sensu Tertullianus de corona milit. c. IV. : « Si legem, inquit, postules, scripturarum nullam invenies : traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix. » Eodem etiam Irenæus l. III. c. II. : « Evenit itaque neque scripturis neque traditioni consentire eos. » Neque secus alii plurimi, quorum sententiæ suo loco dabuntur.

76. — Licet porro illa παραδόσεως vocabulo subjecta potestas, ad cujus vim rationemque pertinet, ut quod traditum dicitur, non sit ab auctoribus suis (1) commendatum litteris, ea sit, de qua theologi nominatim cum novatoribus disceptare solent : tamen ea non est, quam speciatim et exclusive ob oculos modo habere nobis propositum est. Traditionem videlicet ab initio considerabimus facta a scripturis sanctis præcisione; eaque illud generatim significatum volumus, quod, sive scriptum sit nec ne, per successiones testium proponitur ac propagatur, ita ut totum illud complectatur (2), quod testimonio testium continetur, secundum illud tridentini (3) rursum concilii de evangelio : « Quod promissum ante per prophetas in scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore (en medium) primum promulgavit, deinde per suos Apostolos (uti per ὄργανον), tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ (en universam revelationem christianam), omni creaturæ prædicari (en medii perennitatem) jussit. » Sed advertatur,

III. *sive laxius et generice sive pressius et specifice traditio intelligatur, quum varium utraque ac multiplicem præbeat adspectum : non uniusmodi utraque sed varia quoque ac multiplex est. Et re quidem vera*

III. Traditionum varietas ac multiplicitas.

1) *quod primum obtutui mentis occurrit, illud est, ut eadem ad fontem suum, suam originem suosque auctores referatur. Quod si fiat, ea redit universim distinctio, qua superius testimonium diribuimus.*

1) Traditiones referuntur ad auctores suos.

77. — Quum enim revelatio, salutaris veritas et morum disciplina, ut concilium tridentinum (4) loquitur, tum ipsius Christi ore et adeo ab ipso Deo ἀμέσως tum ab Apostolis Spiritu sancto dictante, ut idem habet concilium, hoc est, ab

(1) Non est traditionis, quatenus ea a ss. distinguitur litteris, ut consignata nunquam scriptis monumentis fuerit, quorum ope ad posteritatem transmitti etiam possit; verum requiritur duntaxat, ut a suis auctoribus, ab iis scilicet, qui veritatem revelatam primum prædicarunt, monumentis descriptis non sit exarata.

(2) Sumi traditionem ita posse, ἀμέσως lemma III., ἐμμέσως vero tractatio de testibus patefacit.

(3) L. c.

(4) Ita loquitur conc. trid. sess. IV. in decreto de canonicis scripturis.

ipsis revelatione divini Spiritus auctis proindeque ἐμμέσως (1) tantum a Deo accepta (2) fuerit hominibus prædicata; quumque alia non sine Spiritus protectione mandaverint, instituerint ac probaverint (3) tam iidem Apostoli quam successores eorum, ecclesiæ pastores : liquet, traditionem apte dividi posse in traditionem dominicam seu divinam, quam Christus ipse revelavit et Apostoli ex ore ejus acceptam testando ab ipso Christo et Spiritu ejus illuminati prædicabant; in divino-apostolicam, quam Apostoli ex peculiari Spiritus sancti inspiratione ecclesiæ communicarunt; in apostolicam simpliciter, cujus Apostoli non sine numine divino, citra revelationem tamen divinam nomine suo auctores ac institutores fuerunt; atque ecclesiasticam, priori affinem, quæ suam ab auctoritate ac institutione pastorum ecclesiæ originem habet. Nullus autem nunc sermo erit sive de apostolicis sive de ecclesiasticis traditionibus, quippe quæ objectivam fidei

(1) Cf. conc. trid. ibid.

(2) Apostolorum prædicatione et doctrina universa, ut expositum supra de testibus est, continebatur divina revelatio. Verum num hanc acceperant illi totam ex Christi Domini ore ac institutione, an alia insuper eisdem sancti Spiritus opera revelata communicataque fuerunt? Incarnatione Verbi æterni accepit divina revelatio plenitudinem suam, suam perfectionem suamque absolutionem Consonum proinde videtur existimare, a Veritate hypostatica veritatem omnem revelatam patefactam Apostolis fuisse, quibus propterea, quum ad docendum omnes gentes mitterentur, a Christo Salvatore dictum fuit : « Prædicate evangelium » (Marc. xvi. 15.) et : « Docete eos servare omnia quæcunque mandavi vobis » (Matth. xxviii. 20). Quia vero Apostoli non poterant illa tum portare (Joann. xvi. 12. sqq.), eorumque oculi prope velo erant obducti : hinc illapsu sancti in eos Spiritus velum ab ipsorum mente et corde fuit detractum; revelata fuerunt, quæ prius velata; quæ erant obscura, claruerunt; quæ vel nullatenus vel præpostere ab ipsis excepta intellectaque fuerant, patuerunt et per lumen ex alto receptum innotuerunt; quæ oblivione videbantur deleta, ea resuscitata comparuerunt. Ita præcessit quidem facta primum a Christo revelatio, sed ea objective potius : subjectiva autem Apostolis eadem evasit per Spiritus sancti effusionem, qui eos omnia docuit et suggessit eis omnia, quæcunque Christus dixit (Joann. xiv. 26.). Hinc phrasis haud rara in re sacramentali, « instituta a Christo, promulgata ab Apostolis. » Ita quidem spectata re generatim quoad summam ac substantiam, fundamentum ac principia christianæ revelationis. Quod si speciatim et peculiariter unum alterumve doctrinæ caput nexum consertumque cum illis consideretur : dubium non est, talia dici Apostolis primum revelata posse ac debere : puta divina N. T. librorum inspiratio, quod caput a Christo in terris agente profectum dicitur.

(3) Huc pertinent, quæ diserte habet Paulus I. Cor. vii. 10. sqq.

regulam, de qua una sumus solliciti, constituere minime possint : sed quæstio nostra versabitur tota circa traditiones origine quidem divinas, simul vero primordiali prædicatione ac propagatione apostolicas, et certa ecclesiæ pastorum conservatione custodiaque ecclesiasticas. Fac modo

2) *traditio vel traditiones considerentur in se, secundum naturam suam ac indolem, rationem ac vim, quam habent ac præferunt : eæ*

2) Traditiones considerantur in se.

a) *ab origine vel auctoritate, qua innituntur, dignitateque, quam præferunt, vel divinæ* (1) *sunt, vel apostolicæ* (2) *vel ecclesiasticæ* (3).

a) Traditiones dividuntur secundum auctoritatem, qua innituntur in divinas, apostolicas, ecclesiasticas.

78. — Apostolicarum hoc est ex Augustino (4) criterium : « Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur » ; ecclesiasticarum vero ipse (5) illo au-

(1) Traditio spectata ab objecto vel re tum est diciturque divina, quum res vel objectum in se divinitus revelatum ideoque sive a Christo sive a Spiritu sancto communicatum vel inspiratum sive per Apostolos primum perque eorum successores deinde ut verbum Dei prædicatum est. Ad eundem ergo divinarum traditionum censum spectato objecto referuntur tam illæ, quas ex suis auctoribus divinas, quam quas divino-apostolicas diximus.

(2) Hæ ab Apostolis, ut dictum est, tanquam ecclesiæ pastoribus institutæ verbis aut factis censentur : atque huc referuntur crucis signum quo se fideles obsignant, jejunium quod quadragesimale appellant, dies dominica et alia plura apud Tertull. de præscript. et Basil. de Spiritu s. c. XXVII. aliosque vetustos ac recentes ecclesiæ scriptores. Ubi tamen illud Bellarmini de verbo Dei l. IV. c. II. animadvertendum est : « Divinas traditiones interdum apostolicas dici, non quod ab illis sint institutæ, sed quod ab illis ecclesiæ primum traditæ sint, quum ipsi seorsim eas a Christo accepissent ». Et vice versa animadvertendum, apostolicas non nunquam divinas nuncupari non quod eas Deus immediate instituerit, sed quod non sine Spiritu Dei eas Apostoli instituerunt quodque iis repudiatis ipsa divina institutio, scilicet, auctoritas evertitur. Ita Cyprianus ad cler. et pleb. in Hispan. ep. 68. rationem eligendi episcopum tum usitatam, per episcopos provinciæ præsente plebe, « de traditione divina et apostolica observatione » esse dicit. Quum tamen Spiritus Dei iis vel revelator vel protector esse voluit : hinc distinguendum duximus inter divino-apostolicas et apostolicas traditiones.

(3) Ecclesiasticæ auctore Bellarmino eæ proprie dicuntur consuetudines quæcunque antiquæ vel a prælatis vel a populis (probantibus illis) inductæ, quæ paulatim obtinuerunt. Quo referri etiam consuetus, qui invaluit ac invalescit, loquendi usus debet plus semel data opera probatus et sancitus, quo certæ formulæ ac phrases certam significationem in ecclesia Dei præferunt.

(4) De bapt. l. IV. c. XXIV.

(5) Ad Januar. ep. 118. al. 54.

ctore : « Illa autem, quæ nec scripta sed tradita custodimus, quæ quidem in toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata et statuta retineri. » Porro

b) Traditiones dividuntur spectato objecto in theoreticas et practicas.

b) *quum illarum objectum vel sola mentis intelligentiæque operatione absolvatur, vel in actione insuper et* πράξει *positum sit : manifestum omnino est, spectata indole rerum et qualitate, traditiones in duas generatim diriberi classes, quarum altera theoreticas, practicas altera contineat.*

79. — Quodsi illæ ex fonte divino dimanent, et adeo in se divinæ (1) sint : nuncupari solent dogmaticæ, quoniam per eas et ex iis dogmata fidei constituuntur ; suoque jure non necessariæ minus quam immutabiles ex sese exsistunt. Quæ vero

c) Practicæ dividuntur α) pro discrimine objecti in morales, rituales, disciplinares;

c) *practicæ sunt, si qua late patent considerentur :*

α) *rursum pro discrimine objecti diribentur in morales, rituales ac disciplinares.*

80. — Morales illæ dicuntur, quæ ad vitam christianam informandam Dei præcepta complectuntur atque consilia ; et quæ ejusmodi sunt, eæ dogmaticis æquiparantur. Rituales iterum bifariam patent : aut enim liturgicæ sunt et sacramentales, quæ ad sacram et sacramentalem rem peragendam spectant quæque pariter specialissime acceptæ et κατ' ἐξοχήν, quatenus jure divino ordinatæ exsistunt, auctoritate, dignitate ac pretio cum traditionibus dogmaticis moralibusque in eodem censu habentur ; sed quæ sunt ejusmodi, eæ necessariæ ac constantes, immutabiles, uniformes, universales sunt ; aut sunt cæremoniales, quæ sacras cærimonias in divino cultu adhibendas sacramentisque administrandis potissimum complectuntur, quæ apostolicæ partim et partim ecclesiasticæ sunt, et ambæ, tam illæ quam istæ, partim universales partim vero partiales seu plus minusve circumscriptæ loco, et, ad ipsum rei caput, neque necessariæ ex sese, neque etiam plane immutabiles sunt ac uniformes (2). Traditiones tandem

(1) Hæ ex dictis sunt hujusmodi, quæ vel divinæ simpliciter vel divino-apostolicæ vocatæ sunt.

(2) Uniformitas et universalitas est indicium affirmans traditionis aposto-

disciplinares sive ab Apostolis sive ab apostolicis viris ecclesiæque potissimum præsulibus profectæ complectuntur dispositiones ac instituta, probatos inductosque mores et usus, leges atque mandata universim conducentia ad religiosam vitam fidelium explicandam, promovendam, perficiendam, ad societatem fidelium regendam ac moderandam, et externam πολιτείαν illius pro rerum adjunctis rite sciteque attemperandam. Quod huic traditionum classi præcedentis qualitates de se conveniunt, tam ex earum natura quam earundem fonte sive auctoribus liquet. Sed

β) præterea si consideres speciatim durationis amplitudinem : illud animadversione dignum est, quod Gregorius de Valentia (1) præclare observavit : « Practicas traditiones, quatenus in usu sunt positæ, in perpetuas insuper et ad tempus duraturas esse diribendas.

β) præ durationis amplitudine in perpetuas et ad tempus duraturas.

81. — « Quemadmodum enim, pergit idem egregius theologus, aliæ vel ex indole proprii objecti vel ex institutorum voluntate sibi perpetuam vindicant durationem : ita aliæ ex alterutro capite ejusmodi sunt, quæ abrogari ab ecclesiæ præsulibus omnino possunt. » Jamvero illas duntaxat practicas traditiones a nobis asserendas nunc esse et contra hostes earum vindicandas, quæ ex fonte promanantes divino perpetuæ sunt, hujus tractationis, quæ dogmatica est (2),

Quænam ex practicis traditionibus a nobis asserendæ nunc sunt?

licæ, id est, inductæ ab apostolica universalis regiminis potestate, sed non negans, quum difformes et locales ab Apostolis esse possint et potestate ecclesiæ. Sic Irenæus de controversia circa paschatis celebrationem scripsit : « Diversitas jejunii fidei consensionem commendat; » cum illa porro diversitate cohærebat celebrati paschatis diversitas, quam diversæ ecclesiæ a diversis repetebant Apostolis : de quibus cf. Euseb. h. e. l. V. cc. XXIII. sq. Ab illa autem causa omnino alia erat, quæ cum quartodecimanis habebatur, qui christianos quoad celebrationem paschatis legi mosaicæ subjectos volebant, quæ quum quoad leges cæremoniales jure divino ab Apostolis promulgato abrogata esset, appellatum est ad traditionem Apostolorum, quæ non erat simpliciter apostolica, sed apostolico-divina. Vide de traditionibus mere apostolicis Melch. Canum de loc. theol. l. III. c. v.

(1) In II. II. q. 1. de objecto fidei, puncto 7. § 44.

(2) Quod circa traditiones sua natura non dogmaticas sed apostolicas vel ecclesiasticas dogmaticum est, in potestate, qua induci statuique possunt, situm est. De tali autem potestate instituta a Christo Apostolisque et eorum successoribus collata disputatur in tractatione de ecclesia Christi, et constat tum ex præstitutis, tum ex non paucis, quæ subjicientur : scilicet, qui illas detrectaverint ac morigere sancteque observandas esse negaverint, rei sunt

indoles ipsa exigit, cujus objectum quum res fidei sit, non aliam sibi traditionem vindicat, quam cujus originem a Deo repetendam esse probetur. Jamvero

3) Traditiones divinæ præratione, qua exsistunt, dividuntur in inhæsivas, exegeticas atque pure orales.

3) *quod ad has ipsas denuo, quæ divinæ sunt et dicuntur, attinet, si eæ præ modo rationeve spectentur, qua exsistunt: ea denique illarum distinctio seu partitio oritur, qua a theologis eædem generalius bifariam dividuntur in inhæsivas et exegeticas, quæ a divinis litteris dependent, et in subsistentes et orales, quæ in se sunt suamque ab illis exsistentiam non habent; specialius vero et enucleatius trifariam, nimirum, in inhæsivas, in exegeticas atque pure orales.*

82. — Et inhæsivas quidem illas appellant, quæ licet a suis originibus ore atque sermone tantum continerentur, postea tamen a Novi Testamenti hagiographis concreditæ litteris sunt. Exegeticas vero illas nuncupant, quæ clarius, uberius luculentiusque id exhibent, quod, rei caput ac summam si spectes, sacris quoque scripturis, licet identidem, obscurius comprehenditur (1), ad has refertur easdemque declarat et explicat. Orales tandem illas vocant, quæ iis doctrinæ capitibus iisque morum institutis constituuntur, quorum mentionem significationemve in verbo Dei scripto frustra quæreres. Res et objecta, quæ hac traditionum classe continentur, quemadmodum non possunt nisi unico traditionis fonte probari : ita, quæ duabus comprehenduntur prioribus classibus, duplici fonte verbi Dei, orali et scripto asseruntur.

83. Partitionum præ-

83. — Atque hæ sunt potissimæ traditionum partitiones :

in potestatem divinitus institutam, imprudentes, ut Basilius l. s. c. scribit, evangelium in ipsis præcipuis rebus lædunt, quin immo prædicationem (testium nimirum auctoritate pollentium) ad nudum nomen redigunt. Quam ob rem in professione fidei tridentinæ a Pio P. IV. per constitutionem « Injunctum nobis » 18. nov. 1564. ex decreto tridentino sess. XXIV. c. XIII. de reform. et sess. XXV. c. II. de reform. præscripta ap. H. Denzing. in enchirid. nn. 864. sq. legitur : « Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector... Receptos quoque et approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. » Cf. de his Stapleton, controvers. l. VIII. cc. XVI. sq.

(1) Huc faciunt illa Clementis alex str. l. VI. ed. c. p. 679. : Ἡ τῆς ἐγγράφου ἄγραφος παράδοσις, « traditionis scriptæ non scripta traditio », coll. recognit. Clement. l. X. n. 42.

utiles illæ quidem et opportunæ, immo plus semel etiam necessariæ sive ad confusiones rerum arcendas, sive ad objectum, quo de agitur, rite definiendum, sive ad statum, ut aiunt, quæstionis in controversiis liquido accurateque figendum, sive denique ad veterum recentiorumque theologorum sententias rite intelligendas.

stitutarum utilitas et etiam necessitas.

84. — Quod jamvero ad modum rationemque attinet, quo a nobis consideranda traditio venit : coarctata, ut diximus, quæstione ad rem divinitus revelatam, ab altissima illam amplissimaque ratione vel acceptione spectandam nobis proponimus. Ab altissima, inquam, propter subjectum, cui respondet, quod ipse est Deus sive in carne assumpta sive per Apostolos Spiritu ejus revelatore repletos ; ab amplissima propter rem, quam suo illa ambitu complectitur. Traditio enim, non secus ac testimonium, necessario habitum dicit ad eum, qui tradit, a quo neque potest neque debet, ut dictum est, avelli ; ab illo auctoritatem suam ac vim non minus nanciscitur, quam suam repetit exsistentiam ab eo suamque continuationem. Atqui traditionis subjectum, a quo proficiscitur ac porro dimanat, sunt testes. Revelata veritas posteritati traditur testium testificatione. Testium vero testificatio ex sui auctoris institutione (1) est universalis, neque verbi Dei particulam ullam intestatam relinquit. Quare traditio quoque ex sese, prout a testificatione non differt, ad totum verbum divinum sua se amplitudine protendit.

84. Traditio hic ab altissima eaque amplissima ratione spectanda proponitur.

85. — Atque huic ejusdem amplitudini haud quidpiam derogat, quod largissimus hominum benefactor Deus, cui in nullo rerum ordine sufficientia duntaxat ac necessaria suppeditasse satis fuit, scripturis etiam (2) tanquam medio uti voluerit, quibus quod revelavit consignaretur. Eæ siquidem ipsæ committebantur testium sollicitudini et verbum ipsarum ad illorum quoque testificationem spectabat, ita ut revelatio scripta alia quidem forma insuper esset expressa, sed

85. Traditionis amplitudini universali haud quidpiam derogat scripturarum exsistentia.

(1) Videsis quæ superius probata sunt et explicata.

(2) Quum scripturarum exsistentia probata nondum sit : προληπτικῶς eæ nunc supponuntur, idque ad mentem eorum, qui exceptiones, de quibus agitur, opponunt.

neque priori vel restricta, neque posteriori per aliud proponenda, probanda atque propaganda ministerium. Hinc testes alio quidem præstantissimo verbi divini fonte ditati cumulatique exsistebant; verum quod perhibere debebant testimonium non tam imminutum apparebat quam auctum, neque ipsorum adeo testificationi detracta sive potestas auctoritasve quoad subjectum sive quoad objectum extensio.

86. Hæc est vera ac propria conceptio catholicæ traditionis γενετικῶς ac θετικῶς spectatæ.

86. — Hæc est vera ac propria, quæ cum divina non minus œconomia quam cum rerum naturis conserta est, catholicæ traditionis conceptio, qua una et sola continentur ista cœlestis doctrinæ capita, quæ scripta non fuerunt (1), quaque simul ea etiam continentur, quæ litteris divinis exarata leguntur, et hæc ita quidem continentur, ut ex eadem tum plenior perfectiorque illorum intelligentia tum certa et authentica interpretatio (2) pendeat. Scilicet probe intelligitur, posse quidem contingere, ut traditionis vis ex hypothesi ac pro natura indoleque certæ cujusdam controversiæ angustius accipienda videatur atque eorum circumscribenda ambitu, quæ a sacris litteris absunt; sed apparet etiam, traditionem, si γενετικῶς spectetur ac θετικῶς, quatenus nimirum ex instituto divinitus ordine a suo fonte repetitur atque nullis polemicis coangustata limitibus menti contemplationique objicitur, eum esse fontem, quo revelata veritas ac res primum comprehenditur omnis, a quo eadem proficiscitur porro et dimanat, et ad quem ultimo (3) revocatur. Sed et illud insuper liquet, si traditio ratione hac amplissima accipiatur : statui de ea ac disputari juste non posse, quin ea illi assegurantur, quæ traditioni pressius adstrictiusque acceptæ vindicari solent. Tantum ergo abest, ut traditio, si generalissima illa ratione spectetur, quidpiam ab illo valore ac pretio amittat, quod eidem pressius acceptæ vindicatur ac inest, ut proprius ejusdem plenusque habitus ad veritatem revelatam fideique œconomiam luculentius innotescat, ut genuinus ip-

Alia indicatur traditionis acceptio ex hypothesi et pro natura controversiarum angustius coarctata.

De traditione amplissime accepta legitime ea statuuntur quæ eidem pressius acceptæ vindicari solent.

(1) Cf. præstituta de traditionibus constitutivis.

(2) Inde apparet, cur supremus hermeneutices catholicæ canon e Majorum interpretatione atque sententia ducatur.

(3) Cf. Moehler de unit. eccl. pp. 32. sqq.

sius suique valoris fons appareat clarius, et, quod intelligentiam plurimum juvat atque scientiam, ut efficiens illius constituensque principium continuo, quemadmodum par est, ob oculos ponatur.

87. — Itaque jam pronum est, de traditione hoc pacto accepta ex ordine disputare atque statuere. Et ab initio quidem, ut thesi summam complectamur eorum, quæ in lemmatis exposita hucusque sunt, proponitur

87. Summa proponitur eorum, quæ in lemmatis exposita sunt.

THESIS XIII. *Illud est ex dictis manifestum, quod si de christianis traditionibus generatim sermo habeatur, quemadmodum testibus, de quibus superius præstitutum est, sua respondent testimonia sive traditiones : ita pro vario testium charactere distinguitur merito atque dividitur traditio in divinam seu dominicam, in divino-apostolicam, apostolicam et ecclesiasticam; spectata vero origine vel auctoritate, cui eædem innituntur, ac dignitate, quam præferunt, traditio apte diribetur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam.*

88. — Quæ hac complexione sunt enuntiata, declaratione amplius non indigent, si rite recolantur præstituta superius de traditionum habitu ad testes earumque distinctionibus. Sit igitur

88. Declaratio ad dicta superius remittitur.

§ II. — De traditionis uti theologici fontis exsistentia ac perpetuitate.

I. — De traditionis uti theologici fontis exsistentia.

THESIS XIV. *Illud pariter ex dictis manifestum est, quod si traditionum dogmaticarum ratio habeatur : testimoniis seu traditionibus divinis sive dominicis atque divino-apostolicis verissima inest ratio loci theologici, e quo verbum Dei revelatum divinaque dogmata repeti debent atque probari.*

89. DEMONSTRATIO. — Sane posita significatione loci generatim vel apud ipsos rhetores accepta, et speciatim notione loci theologici, qua, ut dictum est, fontem intelligunt tum adeundum, quum de cognoscendo verbo Dei divinaque fide

89. Demonstratio.

quæritur, nihil est proposita re patentius. Eam ne ipsi quidem protestantes universim ac infinite diffitentur : quum negare non audeant (1), quandiu vixerunt Christus et Apostoli, fidem fuisse ex eorundem testimonio ac traditione repetendam, atque hanc proinde, quæ cum dominica (2) erat ac divina tum divino-apostolica, illorum certe ætate locum fuisse theologicum eumque solum. Id quum sit consectariis fœcundum, paucis rationum momentis asseremus. Quo quidem nihil clarius, quum

1. Ex rei natura.

I. ex rei natura (3) id sit perspicuum. Quod enim docuit

(1) Protestantium vel novatorum generatim inde a sæculo decimo sexto, quemadmodum de aliis ut plurimum placitis suis, ita de admittenda quoque traditione tanquam divinorum dogmatum theologica sede non una semper opinio fuit atque sententia. Et ab initiis quidem auctores reformationis, Lutherus, Calvinus et Zwinglius excepta Apostolorum prædicatione, quæ inspirata litterarum documenta prævertit, omnem plane traditionem repudiabant. E sequentibus vero deinceps protestantium magistris non pauci, nominatim Fredericus Seiler, Christophorus Doederlein, Georgius Rosenmüller (de quibus apud Dobmayr syst. theol. tom. IV. § 51. p. 83.), pluresque istorum discipuli antiquioribus illis paullo moderatiores non admiserunt modo, verum argumentis etiam probarunt, tribus prioribus ecclesiæ sæculis controversias fidei e doctrina ab apostolico ævo propagata conservataque definitas fuisse. Fuerunt tandem ex iisdem alii plures, ut Bucerus, Grotius, Mosheim atque Molanus (de quibus apud Wiest tom. III. §. 94.), qui traditiones continuas, quæ tamen duntaxat exegeticæ essent, admittere non recusarent. Anglicani porro episcopales (quod ex præfatione in opus Launoii Cantabrigiæ vulgatum 1699. apparet) idem quandoque de traditione, quod catholici, propugnare videbantur; communiter tamen plerique omnes et suis consequenter principiis eam negabant et negant. Licet igitur nonnullum illorum dissidium circa traditionis durationem modumque sit: in id tamen omnes conspirant, e Christi Domini et Apostolorum prædicatione, testimonio, traditione christianam fidem dimanare, et auctore Neandro, hist. dogmat. I. 76., quandiu viverent Apostoli, ad quos in dubiis recurri posset, oralem eorundem traditionem jure principem christianæ cognitionis fontem fuisse. Sed post illos num nulla dubia? Et dubiis exortis, quis est ad quem recurrendum?

(2) Ita dicitur secundum ipsas scripturas traditio ab ipso Christo revelata Apostolis, eo quod ipse in illis Christus κατ' ἐξοχὴν vocatur Dominus, ὁ Κύριος (apud Matth. III. 3. XXVIII. 6., Luc. I. 43. 76. II. 11., Joann. XX. 13., Act. IX. 17. 35. al.); tum quod dicebatur et perfectissime erat רב, Magister itemque Dominus (coll. Marc. IV. 38., Matth. VII. 21. VIII. 25., Joann. XIII. 13. sq. XV. 15. sqq. al.), de quo cf. J. F. Schleusur lexic. gr. N. T. ad h. v.; et quod prope ipsam formulam habet Apostolus I. Corinth. VII. 10. sqq. præceptum suum a Domini adeoque a dominico præcepto diserte distinguens.

(3) Quæ Deus in sua providentia sacris exarata litteris voluit, ea ante supremam Joannis ætatem, qui ex Apostolis ultimus ex hac mortalitate

Christus quodque Spiritu revelante prædicarunt Apostoli, id profecto revelatum Dei verbum est. Sermo ergo ille illaque prædicatio fons erat christianæ fidei, quæ aliunde non constabat. Certe priusquam christiana veritas divinis litteris consignaretur, medium aliud probandæ propagandæque fidei neque exstitit neque ex instituti ordinis hypothesi exsistere potuit præter testimonium traditionemve oralem primum Christi Domini tum Apostolorum. Idem

II. evidentissime apparet generatim ex universa de testibus disputatione, sive spectetur testium character sive illorum ad testimonium habitus vel correlatio. Quod si enim

II. E testium charactere et habitu.

1) testis divinorum est (1) Christus Dominus, testesque divinorum pariter Apostoli sunt: intelligitur profecto, eorundem divino divinoque-apostolico testimonio seu divina traditione objectum comprehendi fidei divinæ. Præterea

2) quemadmodum dominicæ et apostolico-divinæ traditioni activæ efficienterque spectatæ vis inest probandæ revelationis ac fidei: ita traditioni eidem passivæ et effective consideratæ vis inest verbi revelati ejusque probati, id est, genuini vereque divini et adeo fide divina tenendi. Idipsum

III. continetur luculentis scripturarum testimoniis. Huc enim

III. E luculentis scripturarum testimoniis.

1) per illationem immediatam plura (2) faciunt collata invicem de testibus secundum scripturas præstituta, e quibus Christus Dominus et Apostoli sunt testes edentes divinum testimonium adeoque verbum Dei, itemque objectum fidei credendum; profecto id patefaciunt sequentia hæc, quibus

2) revelatæ veritatis fons institutaque divinitus christianæ fidei sedes in divino Christi Apostolorumque testimonio sita (3) declaratur; quibus,

migravit, iisdem mandata saltem omnia nullatenus fuerunt. Nihil ergo evidentius, quam testimonio evangelizantium totam eo usque comprehensam revelationem fuisse. Cf. hac de re Baron. dissertat. de traditionibus.

(1) Nn. 29. sqq.

(2) Cf. demonstrata superius de Christo Domino deque Apostolis probandæ fidei testibus.

(3) Fidem declaratur oportere evangelio vel mandato Domini seu dominico respondere, quod acceptum ab Apostolis prædicandum erat ac docendum coll. Matth. XXVIII. 19. sq., Marc. XVI. 15. 20., Luc. XXIV. 47. sqq. (quæ

3) quod nominatim ad Apostolos spectat (de Christi Domini enim testimonio nulla esse dubitatio potest), orali Apostolorum traditioni (1) vis ac potestas asseritur sedis credendorum ex se subsistentis, idque tum etiam quum jam exsisterent scripturæ; quibus

4) vis divini verbi (2) eidem diserte tribuitur a Paulo scribente : « Cum accepissetis a nobis verbum auditus (ergo per prædicationem et testes, non per lectionem et scripta) Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei ; » hinc consequenter

5) asseritur illi vis auctoritatis necessariæ, cui nimirum officium respondet moralisque necessitas apud audientes, fide eam recipiendi, adeo ut ab apostolica prædicatione, hoc est, divino-apostolica traditione (3) objective vel passive seu effective spectata (id quod evangelizatum est a me) Paulo

collatis aliorum Apostolorum testimoniis et ipsius Luc. xxiv. 33., Act. i. 2. 13. 22. sqq. ii. 14. sqq. ad solos pertinent Apostolos), et Joann. xiv. 25. sqq. xv. 22. sqq. xvi. 13. sqq. xvii. 6. sqq., quibus non secus ac verbum seu testimonium Christi sive dominicum docetur objectum fidei esse verbum apostolico-divinum ; Tit. i. 3., ubi et κήρυγμα Christi Jesu et κήρυγμα Apostoli declaratur manifestatio verbi Dei, idque in fidem et spem vitæ æternæ.

(1) Huc cum superioribus testimoniis facit illud II. Thessalonic. ii. 14. Κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν : « Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam » : ubi disjunctiva particula εἴτε εἴτε par auctoritas λόγῳ et ἐπιστολῇ tribuitur. Quo continetur contra eos, qui abjecta traditione solis scripturis insistendum præcipiunt, argumentum, quod ad hominem vocant, efficacissimum.

(2) I. Thessalon. ii. 13. Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως. ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ, ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ, καθώς ἐστιν ἀληθῶς, λόγον Θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν : quæ tamen ab antecedentibus non debent sejungi, quibus docet a) c. i. v. 5., evangelium suum, id est, complexionem revelatæ totius veritatis, quam promulgandam acceperat quamque fidelibus communicavit, sermone fuisse expressum ; b) ii. 2. 3., se esse locutum et loqui ad eosdem evangelium divinitus sibi creditum ; c) ii 5. 8. 9., sermone se tradidisse ac prædicasse evangelium ; d) ii. 12., se esse testificatum christianam eandemque Deo dignam vivendi rationem; et e) tandem verbo, sermoni locutionique suæ morigeras a thessalonicensibus aures fuisse præbitas, ita ut plenam ex illis fidem hauserint. Ergo Pauli prædicatio atque testimonium fons erat revelatæ doctrinæ ac fidei salutaris.

(3) Galat. i. 6. sqq. evangelica Pauli doctrina veluti firmissima et immutabilis plane proponitur tenenda ; sermo ergo doctrinæ Pauli sedes erat, locus atque fons illibatus credendorum fidei dogmatum.

rursum doctore recedere eidemque vel iota addere vel demere citra piaculum nemini fas sit, sed retineri ea (nec quispiam ab ea transferri) et quidem tota totaliter, ut aiunt, nec aliter (præterquam, præter id quod) debeat ut evangelium, ut evangelium Christi, ut revelatio Jesu Christi; quibus tandem similiter

6) eadem oralis traditio, quæ active ut ministerium prædicationis, verbi, sermonis præordinatis commissa est testibus, passive iisdem ut sana doctrina et bona, ut verbum fidei credendum in vitam æternam constanterque retinendum, præcipiendum, docendum, custodiendum ac tuendum itidem commissa luculentis a Paulo (1) verbis perhibetur, et quidem ut talis, quæ totius fidei complectatur depositum. Denique idem

IV. E cœtus fidelium persuasione constante.

IV. constat ex cœtus fidelium consensione constante et persuasione, de qua illico. Ad fidem ergo probandam vindicandamque dominica et divino-apostolica traditio opportunus non modo seu aptus, verum necessarius est theologicus locus in quæstionibus de verbo Dei ac fide, atque a tractatoribus religionis christianæ tum adeundus, quum de cognoscenda Dei per Christum ejusque Apostolos revelatione sermonem instituunt.

(1) Quemadmodum Apostolus docet, institutum esse ministerium idque sermonis, I. Tim. I. 12. 15., et prædicationis, I. Tim. II. 7., II. Tim. I. 11., Tit. II. 1., quo traditio constat subjective, id est, active efficienterque spectata : ita declarat, ab hac proficisci traditionem acceptam objective, passive seu effective, scilicet, sanam doctrinam ac bonam, I. Tim. I. 10. IV. 6., evangelium Dei, I. Tim. I. 11., verbum fidei, I. Tim. IV. 6., quod credendum in vitam æternam, I. Tim. I 16., quod præcipiendum et docendum, I. Tim. IV. 11., et quidem uti fides communis quæ prædicari debet, II. Tim. IV. 2. sqq., Tit. I. 3. sqq., quod auditum in fide per Spiritum sanctum custodiendum est, II. Tim. I. 13. sqq. II. 2., cui attendendum, instandum, in quo permanendum, I. Tim. IV. 16., II. Tim. III. 10. sqq., ut fidei depositum custodiendum, I. Tim. VI. 20. sq. In apostolica igitur doctrina, evangelio prædicato, testimonio sive traditione passiva situm depositum est atque complexio evangelicæ seu christianæ veritatis christianæque fidei, quæ sermone, institutione ipsaque orali prædicatione ab Apostolis et post Apostolos credita commissaque aliis, qui jugiter sibi succederent, jugiter itidem manet. E quibus perspicue constat, quod traditione eadem divina et apostolico-divina comprehenduntur dogmata fidei, quæ desumi probarique ex ea debent. Huc confert allata prius concilii tridentini doctrina.

90. Declaratur præmissæ probationis vis.

90. — At si verum dicere oportet aperteque fateri, quousque semet præmissa traditionis probatio vi sua porrigat: hoc plane concedendum, nihil demonstratum superius esse amplius directe immediateque, quam aliquando exstitisse traditionem, cui divinæ et apostolico-divinæ nomen faciunt, eandemque tum explorate unicam revelatæ veritatis sedem fuisse. Sed rem catholicam ipsamque christianæ fidei veritatem parum juvaret, qui his contentus sisteret pedem nec progressus ulterius una tantum eaque priori Christi fidelium ætate traditionis valorem atque pretium circumscriberet. Quare pro gravitate rei satagendum, ut jugiter continuata illius exsistentia et vis validis rationum momentis comprobetur. Itaque

II. — De traditionis uti theologici fontis perpetuitate.

THESIS XV. *Ratio loci theologici, quæ divinæ atque divino-apostolicæ traditioni asserta est, non temporaria sed perpetua existimari debet.*

91. Demonstratio.

91. — DEMONSTRATIO. Quod idem est ac dicere, verbum a Domino et Apostolis traditum, quo locus continetur theologicus, perpetuo esse tradendum adeoque perpetuum esse theologiæ locum. Etenim

I. E probata testium perpetuitate.

I. tandiu divinæ et apostolico-divinæ traditioni passivæ deferenda est loci theologici vis ac dignitas, quandiu perdurare debere constat testificationem activam ad verbum Dei revelatum fideique objectum, quod illa utraque comprehenditur, tum probandum tum propagandum; atqui e demonstratis constat, testificationem seu traditionem activam non esse temporariam unave tantum ætate adstrictam, sed perennem perpetuamve esse debere; assertæ ergo traditioni divinæ et divino-apostolicæ perpetua inest loci theologici dignitas. Quod apparebit etiam luculentius

II. E considerata ratione ac conditione testium Apostolis succedentium.

II. considerata ratione ac conditione eorum testium, per quos post Dominum et Apostolos fidem probandam propagandamque esse ostensum superius est. Ut enim testes illi legitimi non aliter sunt, quam successione a Christo repetita

atque Apostolis : ita testes iidem veri eatenus tantum existunt, quatenus testimonium edunt a Christo Apostolisque profectum : non enim quod ipse invenit, sed quod accepit, testis testetur oportet, quemadmodum ipse auctor fidei, gentium doctor selectique post illos testes diserte declararunt. De Christi Domini et Apostoli testimoniis dictum est (1) prius; pro sequentibus præter allatos dignus qui loquatur est antiquissimus epistolæ ad Diognetum auctor (2) hæc scribens : « Non facio verba de rebus peregrinis, neque secus, quam rationi consentaneum sit, quæro; sed cum Apostololorum fuerim discipulus, fio gentium doctor; quæ tradita sunt subministro iis, qui discipuli fiunt digni veritate : » et paulo post : « Apostolorum traditio custoditur. » Sic ille ad declaratam a Paulo Apostolo successionem electionemque testium authenticorum aperte respiciens. Testes ergo, qui Christum Dominum et Apostolos perpetuo sequuntur, non aliud edunt testimonium, quam quod traditionem divinam et divino-apostolicam vocavimus; hæc ergo jugi testium testificatione ad posteritatem jugiter manat ac fluit, jugiterque exhibet credendam revelationis veritatem, jugiterque ex sese plenissimum constituit theologicum locum. Quæ sane

III. E constanti societatis christianæ prævalentis persuasione.

III. constans fuit catholici nominis societatisve christianæ prævalentis persuasio, quam animo suo insculptam sentiendi sua profitendique ratione demonstratur tum argumento negante, tum affirmante, et hoc quidem didactice, historice atque polemice. Et quod

1) Argumentum negans.

1) ad negans attinet : nuspiam vestigium apparet apud veteres de immutata œconomia fidei per testes adeoque per testimonium traditionemve oralem, qua exclusa vel cessante subrogata esset œconomia per instrumenta sive sacras litteras. Hinc fatentur ipsi novatores (3), transitum ab una ad alteram œconomiam non esse animadversum insciaque

(1) Cf. superius allata Christi Domini et Apostoli testimonia.

(2) Ep. ad Diognet. n. 11. ed. Mign. gr. pp. tom. II. col. 1184. Οὐ ξένα ὁμιλῶ, οὐδὲ παραλόγως ζητῶ· ἀλλὰ Ἀποστόλων μαθητὴς, γίνομαι διδάσκαλος ἐθνῶν· τὰ παραδοθέντα ἀξίοις ὑπηρετῶ γινομένοις ἀληθείας μαθηταῖς... Ἀποστόλων παράδοσις φυλάσσεται.

(3) Cf. Neander. l. c.

fidelium societate factum esse. Sed hoc gratis dicitur, non probatur : commentum est. Quid, a fidelibus non esset animadversa insciisque ecclesiæ pastoribus et doctoribus facta esset immutatio, cessatio, abrogatio rei, quam positiva, ut aiunt, institutione donaverat Christus, Apostoli ad finem usque primi sæculi cum positis a se suisque discipulis constanter et ubique exsecutioni mandaverant, quam omnes fide crediderant (1), et cui ipsa tota fides credendique ordo integra Apostolorum epocha innitebatur? Id inepte ac impie potest fingi, scite sapienterque dici non potest : et si quidem immutatio illa œconomiæ animadversa non est insciisque fidelibus facta, sola ratio hæc est, quod nulla immutatio esset locumve haberet, quæ animadverti conscirique posset. Sane quæ reales erant locumque habebant mutationes, cessationes accessionesque et animadversæ et relatæ sunt (2), puta, decessiones Apostolorum, successiones virorum apostolicorum aliorumque pastorum et doctorum, scriptiones sacrarum litterarum, ipsorumque ecclesiasticorum monumentorum editiones et omnes innovationes hæreticorum circa fidem; sed de immutatione circa testium traditionisque œconomiam nihil legitur animadversum, et nemo quidpiam scisse dicitur : talis ergo immutatio nunquam facta neque realis, sed merum incredulorum figmentum est. Sed huic neganti accedit

2) Argumentum affirmans.

2) argumentum affirmans. Etenim traditionis divinæ perpetuitatem christiana antiquitas demonstravit aperte

a) Ratio sentiendi loquendique christianæ antiquitatis.

a) didactice, θετικῶς ac θεωρητικῶς, seu sentiendi sua loquendique ratione doctrinali, quam vocant, atque etiam dogmatica, quum perspicuis effatis prævalens ipsa christiana societas a suis originibus atque deinceps continenter docue-

(1) Argumenti vis contra eos vehementer crescit, qui cum Lessing. opp. ed. Lachman. tom. X. pp. 242. sqq. contendunt, a sæculo demum quarto, post nicænum scilicet concilium immutationem, qua de agitur, factam esse. Quod si ex præstituto rationis momento uti præposterum adversariorum figmentum ostenditur : ejusdem speciei commentum est, quod ab iisdem subjungitur, sic ætate priori scripturas apud fideles in secundis fuisse, quemadmodum deinceps invalescente paulatim cultura scientiaque traditio oralis pretium suum atque valorem amitteret.

(2) Cf. Euseb. h. e. l. III. cc. II. sqq.

rit, verbum traditum esse tutissimam fidei normam jugiterque manantem revelatæ veritatis fontem. Si enim antiquitatis monumenta consulantur, innotescit, illam proponi et quidem singulis ætatibus modo ut exploratum Dei verbum, modo uti patentem Dei revelationem, modo uti certam credendi regulam, modo ut objectivam fidei normam, et eam quidem modo uti sufficientem ratione aiente, modo uti sufficientem ratione excludente, modo uti necessariam quamque amplecti omnes ita teneantur, ut eam respuere sit non minus impium quam hæreticum.

92. — Huc faciunt quæ, quod ad primum sæculum christianum attinet, post statuta e ss. litteris de viris apostolicis sanctisque martyribus Ignatio et Polycarpo Eusebius Pamphylus refert, qui ambo tradita ab Apostolis normam declararunt fidei, cui inhærendum, et quidem normam tam suæ quam posterorum ætatibus necessariam (1); declarant illa insuper normam cum rectæ fidei tum pravæ opinionis judicandæ, ita ut cum illis cohærere idem sit ac veritatem habere apostolicam, dissentire ab illis ac recedere, idem ac hæreticorum (2) sequi commenta. Eodem faciunt, quæ de aliis vetustissimorum presbyterorum et nominatim Poly-

92. Adferuntur testimonia primi sæculi.

(1) Euseb. h. e. l. III. c. xxxvi. ed. Mign. tom. II. gr. pp. tom. XX. col. 288. Προὔτρεπέ τε (Ἰγνατιος) ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως ἤδη μαρτυρόμενος διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο : « Hortabatur (Ignatius) incessanter, traditioni Apostolorum inhærere, quam quum testatus jam esset, ad securitatem certioremve posteritatis notitiam scriptis quoque consignare (atque explicare) necessarium duxit. »

(2) Cf. Euseb. h. e. l. III. c. xxxvi. l. V. c. xx. ed. Mign. tom. II. col. 485., ubi hæc affert ex Irenæi ad Florinum epistola de monarchia, quod Deus non sit auctor malorum : Ταῦτα τὰ δόγματα... οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης· ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ... ταῦτα τὰ δόγματα, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκαν σοι : « Hæc dogmata... non sunt sanæ doctrinæ; dissentiunt ab ecclesia; hæc qui ante nos erant presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli exstiterant, tibi non tradiderunt », ut Polycarpus discipulus Joannis. Quibus confirmandis apta sunt, quæ idem l. III. c. xxxix. de Papia et Hegesippo aliisque vetustissimis auctoribus memoriæ tradidit l. IV. c. viii. Et eum quidem, ait, litteris consignasse τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, hunc vero τοὺς μὲν τῶν Ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι.Cf. item, quæ S. Irenæus cont. hær. l. III. cc. iii. iv. de iisdem reliquit.

carpi orali traditione (1) referuntur, quæ uti verbum ipsum apostolicum, quo solo veritas constaret, priori illa ætate habebatur, et æquiparata litteris ipsis inspiratis talis tantique pretii porro facta est a sancto Irenæo, qui ad ejusdem accedébat ætatem, ut is eam veluti regulam imo cordi suo impressam gereret eandemque sua mente alte repositam teneret.

93. Adferuntur testimonia alterius et tertii sæculi. Irenæus testis utriusque plagæ.

93. — Quibus jam a priori ad alterum sæculum progressi, ad ipsum sanctum Irenæum adducimur, qui mentem illius sententiamque refert. Quæ porro hæc ipso auctore fuerit, post illa, quæ superius (2) ad probationem per testes stabiliendam et paulo prius protulimus, dubium esse nullum potest, quum nihil apud eum exploratius, quam

α) testes sibi ab Apostolis succedere serie non interrupta;

β) ex ore illorum resonare jugiter certissimam Christi Apostolorumque doctrinam; adeoque

γ) orali eorundem traditione seu verbo ab iisdem tradito firmissimam contineri credendorum regulam adeoque certissimam esse et plenissimam theologicam sedem. Sic sanctis-

(1) Cf. Euseb. h. e. ll. cc. et l. IV. c. XIV. ed. Mign. col. 337., ubi hæc de Polycarpo Irenæus : Ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν Ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν, ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ : « Hic (Polycarpus) ea semper docuit, quæ ab Apostolis didicerat, et quæ etiamnum ecclesia tradit, et quæ sola sunt vera. » Et paulo post : Μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων παρειληφέναι τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδεδομένην : « Hanc unam et solam veritatem se ab Apostolis accepisse prædicavit, quæ ab ecclesia (hoc est, ab ecclesiæ præpositis) traderetur. »

(2) Cf. ll. s. cc. Præ reliquis autem considerari merentur, quæ S. Irenæus habet c. hæres. l. I. c. x. n. 2. l. III. cc. III. sq. l. V. c. xx. n. 1., quibusque docet a) universalem ecclesiæ quoad locum amplitudinem, b) quoad fidem caritatemque summam illius unitatem; illam utramque c) repetendam a testibus terrarum ubique prædicantibus, sed in unitate; quia scilicet d) in tanta reliquorum omnium, subjecti seu prædicatorum, laborum, temporum diversitate, ait I. x., δύναμις παραδόσεως (traditi objecti, traditionis passivæ, testimonii) μία καὶ ἡ αὐτή, vis traditionis una et eadem; porro e) traditionem hanc esse dicit l. III. c. III. traditionem Apostolorum in universo mundo manifestatam, eamque in omni ecclesia adesse conspiciendam omnibus, qui vera videre velint; hinc f) concludit V. xx., ex ejusmodi unitate traditionis derivandam unitatem fidei in ecclesia prævalente, id est, catholica. Tantæ igitur traditio necessitatis est ac durationis, quantæ est ecclesiæ unitas ac perpetuitas.

simus ille fidei martyr, rei, qua de agitur, testis in oriente non minus ac in occidente.

94. — Id quod in hac ipsa occidentali ecclesiæ plaga pro eadem illius ac suppari ætate (1) contestatur Tertullianus (2), scriptor alterius labentis et tertii sæculi incipientis. Is autem, quemadmodum eadem cum Irenæo de fidei testibus, ita eadem plane de divina traditione docuit. Hæc namque sunt doctrinæ capita, quæ diserte ab illo statuuntur : 94. Tertullianus testis plagæ occidentalis.

α) nullum e scripturis certamen posse institui, nisi prius constiterit (3), « a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani »; porro

(1) Huc etiam pertinet Caius in parvo labyrintho, in quo Christi Domini divinitatem ex traditione probat. Cf. ap. Routh. reliq. pp.

(2) Præscriptt. cc. XIX. sq. ed. Mign. tom. II. lat. pp. tom. II. coll. 31. sq., ubi hæc, quæ ad plenitudinem claritatemque nihil desiderandum relinquunt, habentur : « Ergo non ad scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria esset, aut par incertæ (al parum certæ). Nam etsi non ita evaderet conlatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est : Quibus competat fides ipsa? Cujus sint scripturæ? A quo, et per quos, et quibus tradita disciplina (traditio accepta passive, editum verbi revelati testimonium), qua fiunt christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum. » Tum capite altero s. c. subdit, quæ ad distinctionem traditionis divinæ in dominicam et apostolicam faciunt : « Christus Jesus Dominus noster permittat dicere interim, quisquis est, cujuscunque Dei Filius, cujuscunque materiæ homo et Deus, cujuscunque fidei præceptor, cujuscunque mercedis repromissor, quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quandiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam, sive discentibus seorsum : ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem, post resurrectionem jussit ire et docere nationes intinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli (quos hæc appellatio missos interpretatur), assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Judæ ex auctoritate prophetiæ, quæ est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum et ecclesiis institutis dehinc in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ deinde ecclesiæ mutuatæ sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant. » Quibus cf., quæ disputat idem capitibus sequentibus a XXI. usque ad XXXVII., nec non ea, quæ leguntur de corona militis cc. III. IV. et de jejuniis c. XIII., de quibus videsis du Perron, réplique, etc. pp. 721. sqq.

(3) C. XIX.

β) aliam non esse christianæ fidei veritatem, quam quæ (1) a Christo Apostolisque prædicata est et adeo traditione divina et divino-apostolica continetur, quæque in apostolicis ecclesiis continenter probatur ac propagatur; hinc

γ) veritatis revelatæ tesseram (2) regulamque orthodoxæ fidei ab hac apostolicarum ecclesiarum traditione capiendam esse. Quibus nihil præclarius desiderari potest ad conficiendum, credendorum perpetuam sedem esse dependentem illam prædicatamque ab authenticis testibus in ecclesiæ cathedris jugiter sibi succedentibus traditionem divinam, quæ a Christo Domino Apostolisque profecta ac dimanans dominica et divino-apostolica nuncupatur et est. Atque ita ille de mente ac persuasione ecclesiæ catholicæ seu prævalentis altero sæculo tertioque in plaga occidentali.

95. Clemens alex. testis plagæ orientalis.

95. — Sed ætate eadem in orientali plaga celebres idipsum auctores scriptis consignatum monumentis posteritate reliquerunt. Huc enim faciunt quæ de Clemente alexandrino refert Eusebius (3), quæque apud ipsum Clementem passim leguntur stromatum libris, e quibus discimus,

α) traditioni beatæ ac beatificæ doctrinæ ab Apostolis (4)

(1) C. xx.

(2) C. xxi. 37.

(3) H. e. l. VI. c. xiii.

(4) Strom. l. I. c. i. ed. Pott. pp. 322. sq. Ἀλλ' οἱ μὲν τὴν ἀληθῆ τῆς μακαρίας σώζοντες διδασκαλίας παράδοσιν, εὐθὺς ἀπὸ Πέτρου τε καὶ Ἰακώβου, Ἰωάννου τε καὶ Παύλου τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος (en descriptionem πατροπαραδόσεως)· ὀλίγοι δὲ οἱ πατράσιν ὅμοιοι· ἦκον δὴ σὺν θεῷ καὶ εἰς ἡμᾶς τὰ προγονικὰ ἐκεῖνα καὶ ἀποστολικὰ καταθησόμενοι σπέρματα· καὶ εὖ οἶδ' ὅτι ἀγαλλιάσονται· οὐχὶ ἐκφράσει ἡσθέντες λέγω τῇδε, μόνῃ δὲ τῇ κατὰ τὴν ὑποσημείωσιν τηρήσει. Ποθούσης γὰρ, οἶμαι, ψυχῆς τὴν μακαρίαν παράδοσιν ἀδιάδραστον φυλάττειν ἡ τοιάδε ὑποτύπωσις· Ἀνδρὸς δὲ φιλοῦντος σοφίαν, εὐφρανθήσεται πατήρ : « Sed hi (qui a viro apostolico, Pantænum intelligere videtur magistrum Clementis, institucbantur ac sinceram incorruptamque cognitionem recipiebant) veram quidem beatæ doctrinæ traditionem servabant, statim (id est, recta, directe) a Petro, et Jacobo, et Joanne et Paulo, sanctis Apostolis (acceptam) ceu filius a patre accipit (sed pauci patribus similes exsistunt); venerunt tamen cum Deo ad nos quoque paterna illa et apostolica deposituri semina, ac probe scio, quod gaudebunt; non quidem de hac expositione læti, verum de sola conservatione illorum per hæc, quæ his scriptis consignamus. Est enim hæc, ut opinor, institutio animæ desiderantis beatam traditionem indeclinabilem conservare. Sed (juxta illa Prov. xxiv. 3.) vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem. »

per definitam hominum successionem (1) decurrenti institisse, et illis quidem tam in catecheticis suis institutionibus quam scriptis documentis institisse Clementem;

β) traditionem ipsi certissimam, plenam atque perfectam fidei regulam fuisse (2);

Post quæ et universalis revelationis, quæ omnibus scilicet et singulis immediate a Deo facta sit, et œconomiam per sola instrumenta excludit, et secundum Eph. IV. 11. sq. testium vel traditionis activæ asserit œconomiam, cui celebris ac veneranda traditionis regula respondet, ad quam explicandam ordine ac methodo ipse semet stromateon libris accingit.

(1) Str. l. VI. c. VII. p. 771. al. col. 284. Ἡ γνῶσις δὲ αὕτη, ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα, κατελήλυθεν.

(2) Strom. l. VI. c. XV. ed. Pott. pp. 802. sq. Ἀποστεροῦντες δὲ τοῦ Κυρίου τὴν ἀληθῆ διδασκαλίαν· οἱ μὴ κατ' ἀξίαν τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Κυρίου τᾶς γραφὰς λεγοῦντες (λαλοῦντες, λαβόντες? simplicius λέγοντες) τε καὶ παραδιδοῦντες· παραθήκη γὰρ ἀποδιδομένη Θεῷ ἡ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διδασκαλίαν, διὰ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ, τῆς θεοσεβοῦς παραδόσεως σύνεσίς τε καὶ συνάσκησις· Ὃ δὲ ἀκούετε εἰς τὸ οὖς (ἐπικεκρυμμένως δηλονότι καὶ ἐν μυστηρίῳ· τὰ τοιαῦτα γὰρ εἰς τὸ οὖς λέγεσθαι ἀλληγορεῖται), ἐπὶ τῶν δωμάτων, φησὶ, κηρύξατε· μεγαλοφρόνως τε ἐκδεξάμενοι καὶ ὑψηγόρως παραδιδόντες, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα, διασαφοῦντες τὰς γραφάς· οὔτε γὰρ προφηθεία, οὔτε ὁ Σωτὴρ αὐτὸς, ἁπλῶς οὕτως ὡς τοῖς ἐπιτυχοῦσιν εὐάλωτα εἶναι, τὰ θεῖα μυστήρια ἀπεφθέγξατο, ἀλλ' ἐν παραβολαῖς διελέξατο... πλὴν, Ἅπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων, φησὶν ἡ γραφή· τουτέστι, τῶν ὅσοι ὑπ' αὐτοῦ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ἐκλεχόμενοι διασώζουσι... « Auferunt autem (hæretici) veram Domini doctrinam, quia non pro dignitate Dei et Domini scripturas edisserunt et tradunt. Depositum enim quod Deo redditur, est convenienter Domini doctrinæ, per Apostolorum ejus piam traditionem intelligentia et exercitatio. Quod autem auditis in aurem (abdite scilicet et mystice : nam quæ sunt ejusmodi, dicuntur in aurem dici allegorice), super domos, inquit, prædicate; ea scilicet magnifice excipientes, sublimiter dicenda tradentes, et ex regula veritatis scripturas explicantes. Neque enim prophetia neque ipse Servator adeo aperte locutus est divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet, sed disseruit in parabolis..... Ceterum, recta sunt omnia, dicit scriptura, coram iis qui intelligunt, hoc est, iis qui ab ipso declaratam scripturarum expositionem, ex regula ecclesiastica accipientes conservant. » Hinc ibidem p. 806. pollicetur, se ex illa veritatis regula explicaturum esse scripturas, quæ alia non est quam ἡ τῆς ἐγγράφου ἀγραφος ἥδη καὶ εἰς ἡμᾶς διαδιδομένη παράδοσις, quæ quidem, ut docet l. VII. c. X. p. 864., gnosticos facit, ad quos eadem pertinet, διαδιδομένη κατὰ χάριν Θεοῦ, τοὺς ἀξίους σφᾶς ἑαυτοὺς τῆς διδασκαλίας παρεχομένους οἷον παρακαταθήκην ἐγχειρίζεται· ἀφ' ἧς τὸ τῆς ἀγάπης ἀξίωμα ἐκλάμπει ἐκ φῶτος εἰς φῶς, « transmissa Dei gratia et commissa iis, qui seipsos dignos doctrina exhibuerint (qui ut Paulus ait pares et idonei sunt ad docendos alios), ex qua elucescit caritatis dignitas ex luce in lucem. »

γ) eamque ita necessariam, ut Domino desierit esse fidelis, quicunque adversus ecclesiasticam traditionem recalcitrarit (1).

96, Origenes testis ejusdem plagæ.

96. — Hæc quum adeo perspicue apud Clementem reperiantur : mirum foret, si eximius ejusdem in catechetica Alexandriæ schola successor Origenes in relictis nobis operibus suis tanti momenti rem tantæque necessitatis, quam magister ille capitalem omnino habebat, silentio penitus pressisset. Quod tamen ne dicatur, multa vetant, eaque exploratissima doctrinæ capita, quæ ad rem, qua de agitur, spectantia variis in locis Adamantius explicavit : scilicet,

α) permanentem exsistere in ecclesia Dei christianæ (2) doctrinæ prædicationem (3) sine interpellatione ab Apostolis per successionem prædicatorum conservatam;

β) hanc esse traditionem apostolicam et ecclesiasticam (4); eam

γ) regulam esse atque normam credendi tum affirmantem ac positive, ut aiunt, constituentem, quæ scilicet credenda complectitur, tum negantem ac distinguentem, qua nimirum a falsitate veritas discernitur; eandemque

δ) residere proprie depositamque esse plenam et integram apud ecclesiarum principes (5), qui quemadmodum doctores

(1) Confer quæ idem habet l. VII. cc. XVI. sq. pp. 890. sqq.

(2) Cf. Origen. περὶ ἀρχῶν l. I. ed. Mign. tom. I. coll. 115. sq. n. 2. : « Cum multi sint, qui se putant sentire quæ Christi sunt, servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in ecclesiis permanens : illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. »

(3) Animadverti debet, Origenem prædicationem dicere traditam eodem sensu ac dicitur traditionem prædicari, ita ut intelligatur manifesto, sermonem esse de re tradita adeoque de traditione accepta objective, passive, effective.

(4) Apostolicam dicit traditionem, eo quod ab Apostolis derivatur et prædicata ab Apostolis fuit; ecclesiasticam dicit eandem, eo quod in ecclesia conservata et per viros ecclesiasticos ex ordine sibi succedentes prædicata est.

(5) In Numeros hom. 9. opp. t. II. pp. 295. sq. ed. Mign. coll. 625. sqq. : « Et ideo forma ecclesiarum sacerdotibus datur, ut si quando tale aliquid (scilicet veritati contrarium) fuerit exortum, ea quidem, quæ a veritate aliena sunt, ab ecclesia Dei penitus abstrudantur; si qua autem etiam in ipsis hæreticorum verbis scripturæ divinæ sensibus inveniuntur inserta, ne parite

ad docendam veritatem, ita ad errores detegendos et condemnandos constituti fuerunt judices.

97. — Post illustres ejusmodi alexandrinos sæculi tertii doctores idem comprobatur iis, quæ sæculo quarto ejusdem quidem particularis ecclesiæ alexandrinæ præsul et doctor verum fidei universalis apud universalem Christi ecclesiam fortissima columna Athanasius cognomine justo magnus in circularibus suis ad fideles epistolis (1) hortatur ac præcipit. Monet enim ex ordine,

97. Adferuntur testimonia sæculi quarti et quinti.

Ex orientalibus : Athanasius.

α) non aliter sentiendum esse, quam doctor (2) tradidit;

β) hæreticorum esse, opinari aliter sanctosque libros aliter enarrare, quam instituti divinitus sancti missique divinitus doctores (3) tradiderunt; hos vero

cum illis, quæ fidei et veritati sunt contraria, respuantur... Potest autem et alio adhuc modo intelligi, quod de batillis præcipitur (Num. XVI.) peccatorum, ut jungantur et sociantur altari. Et primo hoc ipsum, quod ærea dicuntur, non otiosum videbitur. Ubi enim vera fides est et integra Dei prædicatio, aut argentea dicuntur aut aurea : ut fulgor auri declaret fidei puritatem, et argentum igne probatum eloquia examinata significet... Ista ergo batilla ærea, id est, hæreticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, ubi divinus ignis est, ubi vera Dei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. » Quæ pluribus prosequitur ostendendo, quantum hæreses conferant ad fidem illustriorem reddendam ejusque scientiam ac intelligentiam promovendam. Hoc autem Origene auctore non obscure apparet in prædicatione ecclesiastica, quæ integram non modo ac plenam sed etiam tutissimam præfert divinorum dogmatum normam, eamque semet tam ad scriptum quam ad verbum Dei non scriptum protendentem.

(1) Apud em. Mai nov. patrum biblioth. t. VI. pp. 35. sqq. epist. fest. 2 nn. 5. sqq.

(2) Doctor ἁπλῶς et κατ' ἐξοχήν qui nimirum legitima ad docendum missione gaudet. Scribit enim l. c. n. 5. : « Deinde quia nonnulli verbis ejus (Pauli) abutebantur, horum sensum ad sua desideria trahentes, audebantque ea immutare, sicuti Hymenæi atque Alexandri negotio contigit, et ante hos cum sadducæis (Matth. XXII. 23.) qui, ut ipse (I. Tim. I. 19.) ait, naufragium fidei passi resurrectionis mysterium deridebant, propterea statim subdidit : « Et sicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis (I. Cor. XI. 2.).» Quod reapse propterea dixit, ne aliter opinemur, quam doctor tradidit. »

(3) Ibid. n. 6. « Post hunc (serpentem qui Evam decepit), immo cum hoc ipso cuncti hæresum præter fas inventores, lectis libris, non tamen prout sancti tradiderunt (en supremum hermeneutices catholicæ canonem) opinantur; sed eos secundum hominum traditiones intelligentes, errore labuntur, quia vim illorum ignorant. Merito igitur laudabat b. Paulus Corinthios, qui secundum ipsius traditionem sententiam tenebant. Dominus item justius adhuc reprehendebat Judæos (Matth. XV. 3.) ita : « Quare vos transgredimini mandata Dei propter vestras traditiones? » Etenim hi accepta a Deo man-

γ) idem illud rursum tradere absque mutatione, quod accepere, propter doctrinæ circa mysteria firmitatem atque stabilitatem (1); hinc

δ) illos veros esse nostros magistros, eorumque traditionem diligenter a nobis excipi atque servari oportere.

98. Epiphanius.

98. — Insigni hujusmodi doctrinæ præter alia, quæ ejusdem florentissimi sæculi scriptores (2) hac de re perenni memoriæ reliquerunt, ea accedunt, quibus Epiphanius (3) contra hæreticos utitur, quando

α) necessarium esse statuit fontem traditionis præter fontem scripturæ; et hoc

β) propterea, quod non tota Apostolorum doctrina scripturis consignata fuerit; hinc

γ) ex orali traditione Apostolorum eaque sola haurienda

data mutabant, proprium sensum sequentes, atque ad hominum potius traditiones accedentes; ob quas Galatis paulo post molesti fuerunt. Cujus rei causa b. Paulus missa ad hos epistola sic (Gal. I. 9.) scribebat: « Si quis vobis annuntiaverit præter id, quod annuntiavimus, anathema sit. »

(1) Ibid. n. 7. « Nulla est communis inter sanctorum verba et humanorum inventorum phantasias : nam quum viri sancti veritatis ministri sint, cœlorum regnum annuntiant. Secus illi, qui in parte contraria sunt, nihil nisi epulas cogitant, et quasi jam nihil sint, aiunt : comedamus et bibamus, cras enim moriemur (Is. XXII. 13.). Idcirco S. Lucas hominum inventiones improbat et sanctorum potius tradit, dum initio evangelii ita scribit: « Quoniam multi ausi sunt narrationem scribere rerum, quas nos edocti fuimus, sicut ii nobis tradiderunt, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis; visum est et mihi, assecuto omnia ab principio, diligenter ex ordine tibi scribere, illustris Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Nam quod unusquisque sanctorum accepit, idipsum immutabiliter tradit, propter doctrinæ circa mysteria soliditatem. Horum mandat verbum (s. scriptura) ut simus discipuli, hosque decet nobis esse magistros, ad hos tantummodo nos accedere oportet, quia solis ipsis concreditum verbum fuit, verbum, inquam, omni laude ornandum..... »

(2) Huc faciunt Euseb. cont. Marcel. I. I. c. I. et Cyr. hieros. catech. IV. n. 35.

(3) Hær. LXI. n. 6. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει χρῆσθαι, οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι· διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι, ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος, ὡς παρέδωκα ὑμῖν· καὶ ἄλλοτε, οὕτως διδάσκω καὶ οὕτως παρέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις : « Oportet vero etiam traditione uti, non omnia enim a scripturis desumi possunt. Ideo alia quidem in scripturis, alia autem per traditionem sancti transmiserunt Apostoli, quemadmodum ipse S. Apostolus dicit, « quemadmodum tradidi vobis; » et alibi, « ita doceo et ita tradidi in ecclesiis. » Quibus conferri pariter debent, quæ idem disserit hær. LV. n. 3. et hær. LXIX. n. 11. et alibi.

illa esse dogmata, quæ scripta non sint : quare traditio oralis

δ) cum subsistens declaratur tum perennis (1).

99. — Quibus adamussim respondet Basilii quoque magni sententia (2), qua de conglorificando Spiritu sancto cum Patre et Filio disputans fontem locumque probationis ἄγραφον proponit traditionem, eamque neque dependentem veluti exegesim e scripturis, neque pariter pendentem ex illis ceu inhærentem, sed subsistentem in se et oralem. Itidemque respondent, quæ habet sanctus Joannes Chrysostomus (3) verba Apostoli ad Thessalonicenses commentario illustrans, quo traditionem eamque oralem plenam statuit atque perfectam, per se subsistentem ac penitus sufficientem credendi regulam. 99. Basilius M. Joannes Chrysostomus.

100. — Cum quibus præclare omnino cohærent, quæ sæculo quinto illustrissimus auctoris ipsius christianæ œconomiæ assertor orthodoxæque fidei defensor alexandrinus Cyrillus uti explorata in ecclesia Dei capita docuit (4) : scilicet, 100. Cyrillus alexandrinus.

(1) Quum enim verbum divinum totum scriptum non sit, verum apostolico traditum ore duntaxat saltem ex parte : apparet, verbum hoc ἄγραφον eo propagandum usque esse, quousque credendum totum id est, quod et Christus revelavit et Apostoli ex revelatione divina prædicarunt.

(2) De Spiritu S. cc. XXVII. XXIX. XXX., ubi Apostolorum doctrinam traditionibus etiam oralibus permanere propagarique ostendit et ex aliis et ex Pauli ad Thessalonicenses epistola. A quibus sejungi non debet testimonium fratris, Gregorii scilicet nysseni, quod legitur contra Eunom. or. 3. opp. t. II. p. 128.

(3) Hom. 4. in ep. II. Tessalon. II. 15. Ἐντεῦθεν δῆλον, ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγραφῶς· ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα καὶ ταῦτά εἰσιν ἀξιόπιστα... : « Inde patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt, verum multa etiam sine scripto; similiter autem et illa et hæc auctoritate pollent. » Hinc concludit : « Est traditio, nihil quæras amplius; non epistolas Apostolorum, non codices prophetarum, non libros evangeliorum. »

(4) De Incarnat. Unigen. dialogo 8. opp. t. V. par. 1. p. 688. B-C, et 689. C-D. Posteriori loco hæc habet : Interroganti quid reponendum adversariis, respondet : Πρῶτον μὲν ὅτι τῆς πίστεως τὴν οὕτως ἀρχαιοτάτην καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διήκουσαν εἰς ἡμᾶς παράδ.σιν, οὐ ταῖς ὑπερμέτροις ἀκριβείαις καταλυπεῖν ἄξιον, οὔτε μὴν ταῖς εἰς ἄκρον ἐρεύναις ὑποφέρειν τὰ ὑπὲρ νοῦν, ἀλλ' οὐδὲ ἥκειν εἰς μέσον οἱάπέρ τινὰς ὁριστάς, καὶ ῥιψοκινδύνως λέγοντας, ὡς τὸ δεῖνα μὲν ὀρθῶς, τὸ δεῖνα δὲ αὖ ἑτεροίως ἔχειν χρῆν δήπου, καὶ ἦν ἄμεινον ἀληθῶς, ἀπονέμειν δὲ μᾶλλον τῷ πανσόφῳ Θεῷ, τῶν ἰδίων διασκέψεων τὴν ὁδὸν, καὶ μὴ τοῖς εὖ ἔχειν παρ' αὐτῷ

α) principem fidei locum esse traditionem ab Apostolis permanantem; hanc esse

β) regulam perfectam atque immutabilem;

γ) nullius hominis illam esse obnoxiam arbitrio vel intelligentiæ, sed ab uno Deo pendere tam in sua exsistentia quam in veritate sua; ideoque

δ) ecclesiæ traditionem (1) veluti fundamentum fidei altissime esse in cordibus constituendam.

101. Ex occidentalibus:

101. — His priorum sæculorum orientalis ecclesiæ plagæ scriptoribus, quæ doctores sequioris ætatis orientales (2) profecto non amiserunt sed conservarunt, explicarunt et amplificaverunt, ii ob fidei caritatisque vincula conjungi debent qui iisdem prope temporibus scientia sua ac pietate occidentem collustrarunt. Inter hos autem, qui appellentur digni omnino ac in primis sunt duo maximi doctores sanctique patres Hieronymus atque Augustinus. Et ille quidem (3), quum luciferiani propter scripturæ silentium inficiarentur, manuum impositione Spiritum sanctum conferri, præter alia hæc reposuit : « Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et alia multa, quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. »

Hieronymus.

δεδοκιμασμένοις ὑπερφίαλως ἐπιτιμᾷν... « Primum quidem (responderi debet), quod antiquissimæ, quæque adeo ab ipsis sanctis Apostolis ad nos pervenit, fidei traditioni singularis perfectio deroganda non sit, sed neque summæ (quoad dignitatem, quasi regula esset suprema, et quoad persuasionem, quasi comprehenderet) investigationi ea, quæ intellectum nostrum excedunt, subjicienda; neque rursum nos in medium procedere debere veluti quosdam arbitros quique limites constituamus temerarieque dicamus, nonnulla quidem recte sese habere, nonnulla vero non item, et alia ratione sese melius habere; sed potius sapientissimo Deo relinquendam esse suorum consiliorum viam, neque ea, quæ a Deo ut recta probata sunt, temere reprehendere. »

(1) Idem hom. 8. de festis paschal. opp. t. V. par. 2. p. 94. D-F, ubi allegatis Pauli ad Tim. I. IV. 7. pergit. : Καὶ τῆς ἐκκλησίας τὴν παράδοσιν καθάπερ τι κειμήλιον ἐν τοῖς τῆς καρδίας ταμιείοις ἐντιθεὶς ἔχον τῶν ἀρεσκόντων τῷ Θεῷ διδάγματα : « Et ecclesiæ traditionem veluti fundamentum seu cimelium in cordis penetralibus recondens tene dogmata Deo placentium (scilicet hominum). »

(2) Huc referri merentur Theodori andidorum antistitis in commentat. liturg. ap. em. Mai in nova patrum bibliotheca t. VI. par. 2. p. 577. sq. nn. 31. sqq.

(3) Advers. lucifer. l. III. cc. III–IV.

Hic vero cum frequenter provocat ad traditionem Majorum in suis dogmaticis controversiis, tum de baptismo disputans (1) hæc perspicua omnino scripsit : « Quod nos admonet (Cyprianus), ut ad fontem recurramus, id est, ad apostolicam traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est et sine dubitatione faciendum. » Et rursum (2) hæc : « Se non credere, ait, baptizandos parvulos, nisi ex apostolica traditione. » Quemadmodum ergo in oriente, ita in occidente pariter persuasum erat orthodoxis omnibus, traditionem exsistere, qua quod Christus revelavit quodque Apostoli tanquam divinitus revelatum prædicarunt, ad posteritatem jugiter propagaretur. Sed traditio, quæ factam a Christo prædicatamque ubivis ab Apostolis complectitur revelationem, divina et divino-apostolica vocatur traditio. Hujus ergo duratio ac continuata exsistentia ad capita spectabat doctrinæ compertissima omnibusque fidelibus divina fide tenenda. Tantæ porro necessitatis res existimabatur, ut quum humana societas seu res publica evaderet christiana rationemque christianam ac prope formam civilis etiam legumlatio præferret indueretque, inter supremas civium normas in orientali non minus quam occidentali imperio (3) recenseretur traditio a Christo Domino ejusque Apostolis usque recepta. Nihil ergo clarius, quam quod eadem traditio constanter ut fons atque locus verbi Dei veritatisve revelatæ credendæque fidei christianæ universali fidelium consensione haberetur. De hac porro eadem christiani nominis persuasione certi reddimur

Augustinus.

b) historice et factis spectatis, considerata nimirum ratione agendi societatis christianæ, factisque spectatis publicis, quibus quid existimaret atque sentiret de genuinis revelatæ doctrinæ fontibus ac locis aperte luculenterque ostendit. De his autem ferri judicium et ex aliis antiquitatis monumentis et præsertim ex gestis synodorum potest ac debet. Quod si juste feratur, illud patescit, in causis dirimendis

b) Ratio agendi societatis christianæ in conciliis.

(1) Cont. donat. de bapt. l. V. cc. XXIII-XXVI.
(2) De Genesi ad litt. l. X. c. XXIII. coll. ser. 32. de verb. Apost.
(3) Videsis cod. justin. l. I. c. I. et leg. basilic. l. I. §. 8.

omnibus conjunctos ecclesiæ præsules veluti principem normam veritatis habuisse decurrentem inde a Christo et Apostolis usque ad ipsos traditionem ecclesiarum, id est, pastorum et doctorum. Huc præclare faciunt, quæ refert Athanasius de actis in synodo nicæna (1) atque in synodis ariminensi et seleuciensi (2); quæ scribunt patres sardicenses ex synodo sardicensi (3); quæ habet Theodoretus de concilio constantinopolitano primo (4); quæ de ephesino Vincentius lirinensis (5); quæ tandem leguntur in actis synodorum chalcedonensis (6), quintæ (7), sextæ (8), se-

(1) Ep. encyclica dogmat. n. 1. ed. Mign. opp. tom. I. col. 226. Οὐ γὰρ νῦν κανόνες καὶ τύποι ταῖς ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν· οὐδὲ νὺν ἡ πίστις ἤρξατο, ἀλλ' ἐκ τοῦ Κυρίου διὰ τῶν μαθητῶν εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν : tum I. de nicæn. synod. decrett. nn. 3. 4. 18. 25. l. c. coll. 429. sqq., ubi quod patres nicæni definierunt, ταύτην εἶναι τῆς ἐκκλησίας τὴν πίστιν καὶ τῶν πατέρων τὴν παράδοσιν, id ab eorum Majoribus traditum fuisse ostendit. Quibus conferri Sozomen. debet h. e. I. xvi. et Hilar. ad Constantium Augustum nn. 4. sqq.

(2) Ep. de synod. arim. et seleuc. nn. 3-5.

(3) Cf. patrum sardicensium epistolas datas ad Julium rom. ep., ad ecclesiam alex., et ad universas ecclesias, quibus vel ipsi orientales a parte arianorum ibidem collectorum consentiebant in epistola data ad africanos, qui nihil credendum esse declarant, nisi quod patres tradiderunt : hanc, aiunt, accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus catholicam traditionem, fidem, confessionem : cf. Harduin. concil. collect. tom. I. coll. 654. sqq.

(4) H. e. l. V. c. ix. animadvertit Theodoretus, non aliam ob causam patres serpentem Macedonii hæresim contra Spiritum sanctum statuta definitione profligasse, quam propterea, quod πρεσβυτάτην οὖσαν καὶ ἀκόλουθον τῷ βαπτίσματι, καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς πιστεύειν..., « antiquissima sit et consentanea baptismati traditio, qua docemur, credere in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. » Cf. opp. tom. III. ed. Mign. coll. 1215. sq.

(5) Commonitorii II. c. penultimo, quibuscum consentiunt quæ act. I. synod. ephes. leguntur in ep. Capreoli carthagin., et quæ Cyrill. al. scribit ad Joannem antiochen. ap. Harduin. l. c. tom. II. col. 306. coll. Leon. ep. ad Flavian.

(6) Act. II. Αὕτη ἡ πίστις τῶν πατέρων· αὕτη ἡ πίστις τῶν Ἀποστόλων... « Hæc est, inquiebant, patrum fides; Apostoli omnes ita docuerunt : ita credimus. Anathema qui ita non credit ». Quibus conferatur formula Hormisdæ schismaticis orientalibus episcopis præscripta ap. Denz. enchir. symbol. n. 141.

(7) Can. ix. Patres eum diris addicunt, « qui non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, καθάπερ ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία παρέλαβεν ἐξ ἀρχῆς, sicut ab initio ecclesiæ Dei traditum est. » Cf. ap. Hard. l. c. tom. III. col. 198.

(8) Cf. Hard. tom. III. coll. 1198. sqq. act. x., qua longa allata veterum

ptimæ (1) atque octavæ (2). Quorum vestigiis inhærens declarat synodus tridentina (3), esse sibi propositum, « ut sublatis erroribus puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur, quod promissum ante per prophetas in scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit : perpiciensque, hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. » Atque hæc sunt, quæ vaticanum nunc concilium (4) sua fecit. Fuit ergo con-

serie ex traditione accepta duæ in Christo voluntates vindicantur. Quo etiam ap. Hard. l. c. tom III. coll. 710. sqq. romanum sub Martino I. concilium pertinet, in quo secretario II. ope traditionis a Sophronio profligati perhibentur monothelitæ, et secretar. V. feriuntur anathemate, « qui secundum veritatem non confitentur omnia, quæ tradita sunt. » Huc etiam facit ep. Agathonis ad Constantin. Pogon. lecta act. IV. syn. VI.

(1) Sufficit ipsam consuluisse definitionem apud Denzing. enchirid. symbol. nn. 243. sqq., tum anathematismum tertium editum sess. VIII. ibid. n. 249., quæque act. I. ab ancyrano Basilio disputantur. Et primo quidem loco ita habent : Τὴν βασιλικὴν ὥσπερ ἐρχόμενοι τρίβον, ἐπακολουθοῦντες τῇ θεηγόρῳ διδασκαλίᾳ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, καὶ τῇ παράδοσει τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· τοῦ γὰρ ἐν αὐτῇ οἰκησάντος ἁγίου Πνεύματος εἶναι ταύτην γινώσκομεν· ὁρίζομεν κ. τ. λ. « Regiæ quasi continuati semitæ, sequentesque divinitus directum sanctorum patrum nostrorum magisterium, et catholicæ traditionem ecclesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa habitat), definimus. » et q. s. In altero autem : Εἴ τις πᾶσαν παράδοσιν ἐκκλησιαστικὴν ἔγγραφον ἢ ἄγραφον ἀθετεῖ, ἀνάθεμα ἔστω.

(2) Can. I., cujus verba plane aurea consuli omnino merentur ap. Denzing. l. c. n. 272. et ap. Harduin. l. c. tom. V. col. 899., ubi : « Tenere traditiones, quas accepimus sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte magnus Apostolus. »

(3) Sess. IV. in decreto de canonicis scripturis, ap. Denzing. l. c. n. 666.

(4) Sess. III. c. II. constitut. dogmat. de fide catholica.

stans catholicæ societatis persuasio πρακτικῶς manifestata in plenissimis solemnissimisque præsidum suorum cœtibus, traditionem divinam atque divino-apostolicam absque interpellatione ad nos usque jugiter decurrisse, decurrere et porro ad supremam posteritatem usque decursuram. Atque hæc eadem persuasio constat

c) Ejusdem ratio agendi polemica.

c) polemice sive modo, quo profligati errores et vindicata veritas fuit. Scilicet vix orta unquam lis, controversia, hæresis est, quam prævalens christiana societas vel propterea non rejiciendam existimaverit, quod auctores ejus et adsectatores traditioni non acquiescerent (1), vel alia ratione profligarit, quam via et ratione potissimum traditionis. Profecto sapientissimi ecclesiæ patres, qui hæreses verbo et scriptis profligarunt, id maxime traditionis vi et opere effecisse, ecclesiasticis monumentis evidenter conficitur. Et ut paucos duntaxat (2) aliquos nominemus atque initium ab ipsis veluti ecclesiæ incunabulis ducamus, traditionem rebellantibus Corinthiis opposuit Clemens romanus (3); eandem altero sæculo valentinianis Irenæus (4). Porro corrumpentem ac mutilantem scripturas traditionis ope Marcionem hæreticum confutavit Tertullianus (5). Ejusdem factionis hominem abutentem pseudonymo Petri evangelio ope traditionis confutavit Serapion (6). In hujus generis controversiis ad traditionem esse recurrendum præscripsit Origenes (7); traditionem objecit schismaticis Cyprianus (8), novatianis Pa-

(1) Hæreticorum fere semper fuisse, pro arbitrio traditionem respuere, hæreseologia docet abunde.

(2) Superius enim de conciliis prolata rem satis demonstrant.

(3) Ep. I. ad Cor. auctore Irenæo cont. hæres. l. III. c. III. n. 3.

(4) LL. cc. nominatim l. III. c. III. n. 2.

(5) Cont. Marcion. frequenter hoc argumento utitur, tum l. de carne Christi, c. II.

(6) Is regebat antiochenam ecclesiam circa 190., de quo ap. Euseb. h. e. l. VI. c. XII.

(7) In Matth. tom. XXIX. « Quoties autem hæretici canonicas proferunt scripturas, in quibus christiani omnes consentiunt et credunt, videntur dicere : « Ecce in domibus est verbum veritatis. » Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successiones ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. »

(8) De unit. eccles.

cianus (1). Recurrit ad traditionem in disputatione cum arianis Athanasius (2), cum apollinarianis Nazianzenus (3), cum eunomianis Nyssenus (4), cum pneumatomachis Basilius (5), cum arianis Epiphanius (6), cum nestorianis Cyrillus (7), cum donatianis Optatus (8), cum pelagianis (9) Augustinus et cum iconoclastis (10) Nicephorus. Quare cum

(1) Cont. Novatian. ep. 3.

(2) LL. cc.

(3) Ad Cledon. ep. 2.

(4) Libris cont. Eunom.

(5) De Spir. s. cc. IX. XXV. XXVII, nec non cont. Sabell., Arium, et Anom. hom. 28., ubi hæc : « Ἀλλὰ μὴ χωρίσῃς Πατρὸς καὶ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, δυσωπείτω σε ἡ παράδοσις· ὁ Κύριος οὕτω ἐδίδαξεν, Ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, πατέρες ἐτήρησαν, μάρτυρες ἐβεβαίωσαν· ἀρκέσθητι λέγειν ὡς ἐδιδάχθης. « Sed ne separes a Patre et Filio Spiritum sanctum, compescat te traditio : ita docuit Dominus, prædicarunt Apostoli, tenuerunt patres, martyres confirmarunt; satis sit dicere quemadmodum edoctus es. »

(6) Hæresi LXXV. n. 8., contraque alios idem alibi frequenter iisdem armis pugnat.

(7) Adv. orient. defens. anath. VIII.

(8) Cont. Parmenian.

(9) Con. Jul. l. II. IX. VI. v. sqq. « Patrum sententias quantum sufficere videbatur sine ulla editas ambiguitate digessi, ut in iis timeas non ipsos, sed illum, qui sibi eos utilia vasa formavit et sancta templa construxit, qui tunc de ista causa judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari vel favere potuisse..... Quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc ecclesiis tradiderunt » et q. s.

(10) In apologet. min. pro ss. imaginib. n. 2. ap. em. Mai n. pp. bib. tom. V. par. II. p. 2.; et in antirrhet. I. adv. Constantin. copron. n. 11. ibid. p. I. p. 7. post alia de ecclesia hæc sunt præclara de traditione lectuque dignissima : Ἐν τούτοις ἢ οὐ συνῆκεν ὅτι καὶ λέγει ὁ πάντων σοφώτατος εἶναι οἰόμενος, ἢ ἑκὼν πάλιν τινὰς παρακρούεται· καὶ οὐκ οἶδα πότερον παρανοίας ἢ πανουργίας αὐτόν τις γράψαιτο· ἀκούσεται γὰρ, πάλιν αὐτὸς παράδοσιν εἰσάγεις; τί δήποτε; μὴ πρότερον τὴν πατέρων παραδεδομένην καὶ κεκρατηκυῖαν ἐπὶ τῇ ὄντως καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, συνήθειαν παραδέχῃ, ὅση τε ἐν γράμμασι καὶ ὅση ἐν λόγοις παραδέδοται; στήκετε γάρ, φησιν ὁ θεῖος Ἀπόστολος τισὶν ἐπιστέλλων, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν· ἐπίσης γὰρ ἐν ἑκατέρῳ τούτων μέρει ἥτε ἰσχὺς καὶ ἡ ἀπόδειξις πρόσεστιν : « Hoc loco (ita ibid. par. II. p. 21.) vel quod ait non intellexit iste, qui omnium se sapientissimum arbitratur, vel data opera potius vult aliquos fallere, atque haud scio utrum insaniæ potius an calliditatis insimulandus sit. Audiet enim a nobis : adhuc tu traditionem commemoras? Quid ni vero tu antea priscam atque ab initio a sanctis Apostolis inclytisque patribus nostris traditam ac dominantem in catholica vere et apostolica ecclesia consuetudinem admittis sive quæ litteris sive quæ voce tantum tradita fuit? « State enim, inquit divus Apostolus ad quosdam (II. Thess. II. 14.) scribens, et retinete traditio-

Melchiore Cano (1) concludere licet : « Cum traditiones non scriptas omnes sancti adversariis fidei catholicæ fidenter objecerint, earumque vi, perinde ac si fuissent scriptæ, hæreses sui quisque temporis deturbaverint : certe non minori efficacia per hujusmodi traditiones nos hæreticorum, qui aut nunc sunt aut etiam sunt futuri, quæcunque dogmata refellere ac deturbare poterimus. »

102. Ratione sentiendi et agendi ipsorum hæreticorum thesis confirmatur.

102. — Quod quidem eo fieri fidentius poterit, quod ipsi hæretici, quum partium studio non abriperentur, traditionis potestatem et usum haud raro admiserint, immo vel ipsi ad eam licet mentitam plus semel provocarint. Provocarunt olim auctore Irenæo (2) gnostici, eamque in thesi, ut aiunt, ii profecto omnes admiserunt hæretici, qui vel privas sibi traditiones defenderent, vel falso sive Matthæi sive Thomæ sive aliorum Apostolorum nomine inscriptas παραδόσεις litteris consignarent atque ad vulgus emitterent. Ad eam cum Constantino copronymo, ut a Nicephoro accepimus, iconoclastæ provocarunt. Sed neque omnes reformatorum primipili a traditione penitus abhorruerunt. Eam præter allatos superius accepit Kemnitius (3), quatenus necessariam illam duxit, ut sacra scriptura in manus committeretur posteritatis, utque ejusdem auctoritate de pædobaptismo constaret. Idem etiam admisit, retinuit atque amavit ritus quosdam non scriptos, sed ab ætate Apostolorum propagatos, ut verbi gratia confessionem fidei, abrenuntiationem satanæ, aliaque in administrando baptismo religiose ac pie usitata. Tum admisit eam Bulingerus, hac tamen adhibita cautione vel conditione, ut instituto examine dispiciatur, ne quibusvis falsificationibus fabulisve (4) via pateat et aditus. Quibus profecto non minus

nes, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram. » Æque enim utriusque vis et probatio confit. »

(1) De locis theolog. l. III. c. VI.

(2) Cont. hær. l. III. c. II.

(3) In examine concil. trident. sess. IV.

(4) Ita everterunt allatas superius sanctorum Cyrilli, Chrysostomi, Basilii aliorumque Patrum admonitiones, quibus illi traditionem nullius hominis dicunt arbitrio obnoxiam; sed, ut par est, simplici fide teneri oportere, quod traditum est, quando de re revelata agitur. Consequenter pariter ipsius etiam traditionis vis et auctoritas pessundatur.

necessitatem rei ac veritatis vim quam universalem christiani nominis de hac utraque persuasionem contestantur.

103. — Sed ut exposita jam in summam contrahantur, ita concludere licet: persuasioni, quæ est ejusmodi ut probatum est, scilicet, quæ est totius fidelium societàtis in re capitali, a qua suam exsistentiam et vitam pendere ipsa arbitratur; quæ universalis et constans in illa, immutabilis semperque sibi similis persistit; quæque a primis ejusdem originibus nec non deinceps expressa jugiter manifestataque fuit θεωρητικῶς et πρακτικῶς, verbis et opere, sermone et factis, pacifice et polemice, erga oves et contra lupos, a pastoribus doctrina salutari gregem pascentibus ab iisque ut judicibus peremptoria sententia incredulos condemnantibus ac in infidelitate pertinaces, ab episcopis fidelium adlectione et e sinu societatis fidelium exclusione corpus Christi ædificantibus et conservantibus, idque ab illis tum seorsum et ubique dispersis, tum simul ac in unum congregatis : talis, inquam, persuasio ac fides neque a multitudinis simplicitate (1) neque ab errore et falsitate (2) proficisci potest, sed ea necesse est cum veri-

103. Summa et conclusio probationis institutæ.

(1) Concedit Münscher, hist. dogmat. tom. III. pp. 131. sqq., indubitatum esse, in altera quoque ecclesiæ periodo (ætate post nicænum decurrente concilium) traditionis principium auctoritate et usu prorsus excelluisse, ita ut, quemadmodum Athanasius (de decret. syn. nic. tom. I. p. 262.) ait, nota esset orthodoxiæ, cum Majoribus esse concordem; sed id repetit a cæca erga antiquitatem veneratione, quæ multitudini propria sit eamque pronam faciat ad sequendum piorum sententias citra examen. Sed si quod primum auctor affirmat de facto historico, explorata veritatis vis ab eo extorsit : hoc alterum, quo judicat de jure vel de causa ac facti ratione, manifestum in traditionem præjudicium aversusque animus inspiravit. Si enim stare antiquorum monumentis voluisset, una cum facto ex iisdem facti causam et jus exploratum habuisset. Id flagitabat 1) ratio testium : iidem sane sunt, qui de jure quique de facto testantur; sed non sunt illi multitudo imperita et credula, neque vulgus inconsideratum et stupidum, sed eminentes viri, docti et graves; idem flagitabat 2) ratio rei, de qua testantur et nunc agitur: factum scilicet exsistentis dominantisque apud fideles traditionis omni alia causa exclusa ad jus revocant divinum, ad Christi Domini institutionem, ad eoque ad factum et ipsum historicum, de quo validi non minus testes exsistunt, quam de facto priori ab adversariis concesso; flagitabat idipsum 3) ratio editi testimonii spectatis locorum adjunctis et temporum, indole causæ ac materiæ, consectariis tam pro orthodoxis atque credentibus, quam pro heterodoxis atque incredulis. Sed de his expositum est satis et hactenus.

(2) Nihil demonstrationi traditionis historice spectatæ deest, quod, uti Tweslen in suis prælectt. l. c. p. 117. perperam affirmat, insecutis ætatibus

tate penitissime cohæreat. Situs ergo est et quidem perpetuo in traditione dominica atque divino-apostolica, vel generatim divina, divinorum dogmatum locus.

THESIS XVI. *Asserta traditioni generatim divinæ perpetuitas fontis locive theologici indubitata revelationis christianæ divinæque fidei veritas credenda est, et omnes adeo societates nominis christiani, quæ hac illam dignitate exuunt, ab instituto per Christum probandæ fidei suæ fonte, ipsoque principali divinæ fidei articulo excidunt.*

104. Demonstratio.

104. — DEMONSTRATIO. Duo videlicet affirmantur, quorum alterum θετικὸν est, alterum πολεμικὸν : illo statuitur fidei dogma de traditione generatim divina, quæ nimirum traditionem tam specifice dominicam quam specifice apostolico-divinam complectitur : altero statuitur contra eos, qui hoc fidei dogma negant. Utrumque porro descendit veluti manifestum consectarium ex probatis. Descendit primum ex probatis præcipue de testium œconomia; descendit alterum consequenter ex probatis de testimonio ac traditione illi œconomiæ respondente. Sane

I. Prior pars probatur.

I. quidquid testes præordinati in negotio religioso contestantur, ex probatis est indubitata immunisque ab errore veritas. Atqui ex probatis itidem testes præordinati contestati jugiter sunt ac contestantur, divinam traditionem esse perpetuoque esse debere revelationis fideique christianæ fontem; idque esse ab auctore œconomiæ christianæ Christo Domino institutum, promulgatum ab Apostolis, et tanquam principale fidei christianæ dogma tenendum. Hæc ergo est indubitata immunisque ab errore veritas revelata fideique divinæ. Quare

II. Posterior pars infertur.

II. quicunque traditionem divinam uti perpetuum revelationis fideique christianæ fontem locumve rejiciunt, hi

ecclesia catholica, proprie vero romana, supplesset tributa sibi auctoritate. Sed sicut illa historice spectata vim habet certam : ita spectata, uti oportet, theologice, vim insuper habet infallibilem. Porro quemadmodum priori ecclesiæ ætate fideles traditionem non historice tantum spectabant et auctoritate romanæ ecclesiæ negata : ita temporibus sequentibus traditio divina nullatenus privabatur historica vi, neque romanæ ecclesiæ auctoritas pro necessitate inveniebatur vel fingebatur.

1) constitutum a Christo Domino fidei suæ fontem abjiciunt; tum vero

2) exploratum christianæ fidei articulum negant, eumque talem, qui ad principia ipsa fidei spectet, adeoque principalis vocetur et sit. Excidunt ergo nominatim a revelato fidei articulo et eo quidem principali; tum excidunt generatim ab instituto per Christum fidei fonte.

§ III. — De traditionis ut theologici fontis amplitudine.

105. — Est profecto traditio locus luculentus verbi divinitus revelati christianæque fidei. Etenim illustris ille et clarus est, quum (1) a viva loquentis voce et a testantis enarrantisque ore dependeat, quod ea comprehenditur. Sed luculentus etiam est, eo quod locus amplus omnino maximeque locuples (2) exsistat. Integrum namque complectitur veritatis revelatæ depositum, atque nihil alienum ab illo est, quod alio fonte, puta (3) scripto, continetur; sed tum auctoritate, tum ipsius rei natura docemur (4), comprehendi traditione ipsaque sola quæcunque a scripto fonte absunt. De quibus pronum est, ita statuere : 105. Traditio locus est revelatæ veritatis luculentus et amplissimus.

THESIS XVII. *Traditio, quam perpetuam ostendimus, ita fons est totius revelationis ac fidei christianæ, ut plurium dogmatum locus unicus exsistat.*

106. — DEMONSTRATIO. I. De traditionis universitate, qua semet ad totam veritatem credendam extendit, nullum post 106. Demonstratio. I. Probatur traditio.

(1) Ideo Irenæus cont. hær. l. III. c. IV. n. 1.: « Quid enim? ait. Etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est. » Quibus similia sunt, quæ ab ipso secundum l. III. c. III. n. 1. deprompta superius attulimus.

(2) Ideo rursum Irenæus l. c. : « Tantæ igitur ostensiones quum sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, quum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, uti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. »

(3) Hypothetice nunc loquimur, quando de scripto Dei verbo sermo nondum institutus sit. Hanc porro hypothesim apud orthodoxos προληπτικῶς et contra heterodoxos potissimum novatores, a quibus ultro illud admittitur et veluti thesis explorata contra traditionem aggeritur, sumere jure licet.

(4) Cf. exposita superius.

nem se extendere ad totam veritatem credendam.

ea, quæ præstituta sunt, dubium esse potest. Illam enim ostendunt,

1) Ex demonstratis de ministerio testium.

1) quæ de testibus eorumque ministerio (1) demonstrata dedimus : nam evangelium, quod prædicandum et quidem semper, observatio dictorum omnium Christi, quæ docenda omnibus diebus, testimonium de Christo, quod perhibendum constanter, ministerium verbi, opus Domini, in quo positi et in quod vocati Apostoli sunt et successores, hæc omnia sunt amplitudinis universalis; ostendunt,

2) Ex traditionis activæ amplitudine.

2) quæ de respondentis seu correlatæ, ut aiunt, testificationis sive traditionis activæ amplitudine plus semel exposuimus;

3) Ex testium authenticorum judicio.

3) quæ ex ipsorum authenticorum testium judicio paulo prius in medium adducto (2) apertissime colliguntur, et tum hoc concilii VII. canone (3) comprobantur : « Si quis omnem ecclesiasticam traditionem (id est, secundum declarationem in capite præstitutam, magisterii patrum doctrinam), sive scriptam (id est, verbum scriptum), sive non scriptam rejicit, anathema; » tum (4) VIII. repetentis : « Oportere tenere traditiones, quas accepimus sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte magnus Apostolus. »

II. Comprobatur plura dogmata non aliunde quam ex traditione constare.

107. — Sed II. neque difficile est comprobare, non tantum ecclesiasticos usus, quemadmodum traditæ fidei hostes (5) excipiunt, sed plura doctrinæ capita, quæ fide tenentur divina, non aliunde quam ex traditione constare. Hoc enim Majores ostendunt ἐξηγητικῶς, διδακτικῶς, πολεμικῶς. Id ostendunt,

(1) Cf. allata s. scripturarum testimonia coll. I. Cor. xvi. 10.

(2) Ex adductis enim colligitur, traditionem per orthodoxorum sententias et alia et illa quoque complecti, quæ scripta fuerunt, et propterea eandem esse regulam interpretandi ss. scripturas certissimam.

(3) Conc. VII. c. III. ap. Denz. n. 249. Εἴ τις πᾶσαν παράδοσιν ἐκκλησιαστικὴν ἔγγραφον, ἢ ἄγραφον ἀθετεῖ, ἀνάθεμα ἔστω.

(4) Conc. VIII. can. I. l. c. n. 272. Κρατεῖν γὰρ τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβομεν εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῶν τῶν προγενεστέρως διαλαμψάντων ἁγίων, παρεγγυᾷ διαῤῥήδην Παῦλος ὁ μέγας Ἀπόστολος.

(5) Ita Münscher. hist. dogmat. tom. III. pp. 136. sqq. Sed de patrum mente videsis Petav. l. c. et de eccles. hierarch. c. I., de pœnit. c. VII.

1) quæ circa Pauli doctrinam (1) ad Thessalonicenses sanctus Basilius et sanctus Chrysostomus suis commentariis enarrant; hoc,

1) Ex commentariis Majorum in Thess. II. 14.

2) quæ de ejusdem Apostoli ad Corinthios (2) sententia commentantur Basilius (3), Epiphanius (4), Chrysostomus (5), Damascenus (6) : hoc,

2) Ex eorum commentariis in I. Cor. XI. 2.

3) quæ eloquentissime lirinensis Vincentius disserit (7) in duobus commonitoriis, et nominatim ubi adhortationem Pauli ad Timotheum de custodiendo deposito enarrans, post alia scribit : « Quid est hodie Timotheus, nisi vel generaliter universa ecclesia vel specialiter totum corpus præpositorum, qui integram divini cultus scientiam vel ipsi habere debent vel aliis infundere ; » et paulo inferius (8) subdit : « Hoc, inquam, semper neque quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata conciliorum suorum decretis catholica perfecit ecclesia, nisi ut quod prius a Majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, et plerumque propter intelligentiæ lucem non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signando. » Hoc ostendunt deinde,

3) Ex iis, quæ disserit Vincentius lirinensis de custodiendo deposito secundum I. Tim. VI. 20.

4) quæ de divina traditione docet (9) sanctus Irenæus, scilicet, eam et perpetuam esse, et plenam ex sese et sufficien-

4) Ex disertis patrum effatis,

(1) De Pauli II. ad Thessal. II. 14. cf. s. explicata.

(2) I. Cor. XI. 2.

(3) De Spir. s. c. XXIX.

(4) Hær. LXI. n. 6.

(5) Com. in h. ep. hom. 26. « Ἄρα καὶ ἀγράφως πολλὰ παρεδίδου τότε, ὃ καὶ πολλαχοῦ ἀλλαχοῦ δῆλοῖ... ὁ μὲν οὖν πιστός ὡς χρὴ... ἀρκεῖται τῇ παραδόσει μόνῃ : « Igitur multa etiam non scripta tum tradebat, quod et sæpe alibi manifestat... Qui ergo fidelis est, ut oportet,... ei sola traditio satis est. »

(6) De fide orthod. l. IV. c. XVI. Ὅτι δὲ καὶ πλεῖστα οἱ Ἀπόστολοι ἀγράφως παραδεδώκασι, γράφει Παῦλος ὁ τῶν ἐθνῶν Ἀπόστολος (II. Thess. III. 14. I. Cor. II. 2.) : « Quod autem Apostoli pleraque absque scripto tradiderunt, scribit Paulus, Apostolus gentium. »

(7) Common. I. n. 22. de I. ad Tim. VI. 20.

(8) Ibid. n. 23.

(9) LL. cc. Quibus juverit adjecisse hæc et expendisse sola, quæ habet l. III. c. IV. nn. 1-2. : « Quid autem, ait, si neque Apostoli quidem (uti Christus) scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi tra-

tem omnino atque constituentem subsistentemque in se ac per se fidei regulam, qua quemadmodum integri populi velut unico christianæ fidei fonte utantur, ita illius solius ope revinci hæreticos, et ad eam confugiendum, si scripturæ tacuerint; quæque de eadem similiter disputant tum Origenes (1), tum Tertullianus (2), quibus auctoribus cum de aliis rerum capitibus tum de scripturis ne sermo quidem institui citra traditionem potest, tum Cyprianus (3), qui unius dominicæ traditionis vi sacrum offerendi calicis ritum tuetur. Hoc porro ostendunt,

5) Ex multiplici ratione sentiendi patrum superius allata.

5) quæ a vetustis christianæ revelationis testibus, ab Hieronymo et Augustino, ab Athanasio, Epiphanio (4), Basilio atque Nicephoro aliisque tum dispersis atque seorsum tum vero ab illis una simulque congregatis in œcumenicis conciliis perspicue diserteque dicta ex eorundem monumentis non una ratione sed multipliciter deprompta fuerunt. Et

ditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? » Tum n. 2. pergit : « Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes... Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia et castitate et sapientia. » Quibus traditionem, secus ac quidam perperam cum Gallasio dixerunt, a scripturis distinguit, ei præter scripturas etiam inhærendum præcipit uti regulæ plenæ sine scripturis et in dissidiis unicæ. Sed traditionis regulam ex Irenæi mente, ut facit Neander h. dogm. I. 80., ad formulam baptismi restringere, idque pro illiteratis tantum, qui legere scripturam non valerent, ineptius est, quam ut seriam mereatur responsionem.

(1) In Num. hom. 9. l. sup. c. coll. com. in ep. ad Rom. v. l. c. p. 562., in Levit. hom. 6., in Matth. tom. XV., in Jos. hom. 9.

(2) De præscriptt. ll. cc. et de coron. mil. cc. III. sq., ubi exemplis allatis observationum, quas, inquit, sine ullius scripturæ instrumento solius traditionis titulo et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus, inde concludit : « Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam leges. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Agit porro de professione in baptismo edenda, quæque ea comprehenderentur.

(3) Ep. 63. præcipit : « Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. »

(4) Cf. hær. LXI. n. 6. alias c.

hæc quidem, quæ theoretice mentem sententiamque antiquitatis ostendunt, enumeratis confirmantur

6) doctrinarum capitibus, quæ tam veterum quam recentiorum theologorum auctoritate sine ullo scripturarum decretorio testimonio ab ecclesia catholica creduntur, et quorum aliqua ab ipsis adversariis etiam inter dogmata vel recensebantur aliquando vel etiamnum ab iis, quos orthodoxos vocant, recensentur. Atque inter ea,

6) Enumerantur doctrinæ capita, quæ sine ullo decretorio scripturæ testimonio creduntur.

a) quæ vulgata (1) magis sunt, commemorari solent : Mariam Deiparam perpetuo servasse illibatam virginitatem ; sacramenta ab hæreticis impiisque administrata valida esse ac rata ; infantes sacro regenerationis lavacro esse abluendos, christiani nominis dogmata esse nemo ignorat : et tamen scripturis abutentes sæculo quarto Helvidius primum, donatiani alterum, et sæculo decimo sexto anabaptistæ tertium inficiabantur contrariumque contendebant. Porro

a) Capita quædam magis vulgata.

b) cum catholicis reformatores ultro conveniunt, dari verbum Dei certis libris divinitus consignatum ; sed profecto quinam illi quotque sint, qui ad nos usque et quidem sine corruptelis pervenere, id citra perpetuam ecclesiæ traditionem nullo modo (2) constare potest : quod adeo verum est, ut coacti licet hanc unam se traditionem admittere illi ipsi fassi quandoque sint (3). Verum juverit

b) Doctrina de ipsorum librorum canonicorum numero.

(1) In notis variorum adjectis a Massueto ad calcem opp. s. Irenæi ed. Mign. gr. pp. tom. VII. col. 1607. undecim connumerantur doctrinæ capita, quæ ab Augustino ex sola traditione apostolica repetebantur : 1) Matthæi evangelium vere esse ab ipso Apostolo conscriptum ; 2) Patrem ingenitum Filiumque ei consubstantialem fidei esse dogma, licet scriptum non esset ; 3) beatissimam Virginem ante partum, in partu, post partum virginem esse ; 4) baptisma ab hæreticis collatum non esse repetendum ; 5) consuetudo ecclesiæ baptizandi parvulos ; 6) Domini passio, resurrectio, ascensio, adventus Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebranda ; 7) baptizatos esse Apostolos ; 8) ritus baptismatis, et nominatim 9) exorcizari parvulos ut a potestate tenebrarum transferantur in Christi regnum ; 10) eucharistiam, quam Apostoli acceperunt non jejuni, a fidelibus accipiendam jejunis ; 11) commendatio mortuorum in sacrificio missæ. In quibus divino-apostolica cum apostolicis simpliciter mixta habentur.

(2) Huc egregie faciunt, quæ ex Tertulliano allata sunt, quæque Origines habet apud Euseb. h. e. l. VI. c. XXV., et August. de civ. Dei, l. XV. c. XXIII. et libris cont. Faustum frequenter.

(3) Cf. Bellarm. de Verbo Dei l. IV.

c) Præclara adfertur hac de re disputatio Basilii.

c) præclaram, quam hac de re habet Basilius (1) disputationem integram, apponere : « Ex asservatis, inquit, in ecclesia dogmatibus et prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita (2), alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum : quorum utraque vim habent eandem ad pietatem ; nec iis quisquam contradicet : nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quæ sint ecclesiæ instituta. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti adgrediamur rejicere, imprudentes evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus, imo potius prædicationem ad nudum nomen contrahemus » : id quod illico amplificat. Et plurimis deinde adductis, quæ ipso auctore nonnisi ex traditione non scripta constant, ita pergit (3) : « Deficiet me

(1) De spir. s. c. XXVII. Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἄπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. Καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ, οὐκοῦν ὅστις γε κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. Εἰ γὰρ ἐπιχειρήσαιμεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν ὡς μὴ μεγάλην ἔχοντα τὴν δύναμιν παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς αὐτὰ τὰ καίρια ζημιοῦντες τὸ εὐαγγέλιον· μᾶλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλόν περιιστῶντες τὸ κήρυγμα. Κ. τ. λ.

(2) Prædicatio ergo dogmatum, qua oralis traditio continetur, verbum quoque scriptum complectitur. Porro hæc est summa eorum, quæ Basilius docet : 1) generatim affirmat, alium dogmatum fontem esse scripturam, alium traditionem ; 2) dari quæ scripto fonte comprehensa nullatenus, continentur tamen et quidem sola traditione ; 3) id negare, idem esse ac universam evertere testium prædicationem ; 4) tum speciatim plura ex traditionis fonte adducit, quæ scripta nuspiam leguntur ; 5) tuetur ac vindicat e scripturis ipsis tum exsistentiam traditionis, tum traditionis vim eamque a) theologicam, b) juridicam, c) rationalem.

(3) L. c. n. 67. Ἐπιλείψει με ἡ ἡμέρα, τὰ ἄγραφα τῆς ἐκκλησίας μυστήρια διηγούμενον. Ἐῶ τἄλλα· αὐτὴν δὲ τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα ἐκ ποίων γραμμάτων ἔχομεν ; Εἰ μὲν γὰρ ἐκ τῆς τοῦ βαπτίσματος παραδόσεως, κατὰ τὸ τῆς εὐσεβείας ἀκόλουθον, ὡς βαπτιζόμεθα οὕτω καὶ πιστεύειν ὀφείλοντες, οὐσίαν τῷ βαπτίσματι τὴν ὁμολογίαν κατατιθέμεθα, συγχωρησάτωσαν καὶ ἡμῖν ἐκ τῆς αὐτῆς ἀκολουθίας ὁμοίαν τῇ πίστει τὴν δόξαν ἀποδιδόναι· εἰ δὲ τὸν τρόπον τῆς δοξολογίας ὡς ἄγραφον παραιτοῦνται, δότωσαν ἡμῖν τῆς τε κατὰ τὴν πίστιν ὁμολογίας καὶ τῶν λοιπῶν, ὧν ἀπηριθμησάμεθα, ἐγγράφους τὰς ἀποδείξεις. Εἶτα τοσούτων ὄντων ἀγράφων, καὶ τοσαύτην ἐχόντων τὴν ἰσχὺν εἰς τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, μίαν λέξιν ἡμῖν ἐκ πατέρων εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσαν οὐ συγχωρήσουσιν, ἣν ἡμεῖς ἐκ τῆς ἀνεπιτηδεύτου συνηθείας ταῖς ἀδιαστρόφοις τῶν ἐκκλησίων ἐναπομείνασαν εὕρομεν, οὐ μικρὸν τὸν λόγον ἔχουσαν, οὐδὲ βραχεῖαν συντέλειαν εἰς τὴν τοῦ μυστηρίου δύναμιν εἰσφερομένην.

dies, si ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere. Omitto cætera : ipsam fidei promissionem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, e quibus habemus scriptis? Etenim si quoniam ex baptismi traditione juxta pietatis consecutionem, ut baptizamur ita et credere debemus, similem baptismo professionem exhibemus : concedant etiam nobis, ut juxta eandem consequentiam glorificationem fidei consimilem persolvamus. Quod si glorificandi modum veluti scripto non traditum rejiciunt, proferant nobis et professionis fidei et cæterorum, quæ commemoravimus, probationem e scripturis. Ad hæc quum tam multa sint, quæ scripto prodita non sunt, et tantum habent momenti ad pietatis mysterium, unicam dictiunculam, quæ a Majoribus ad nos devenit, non concedent, quam nos ex inaffectata consuetudine in ecclesiis, quæ perversæ et corruptæ non sunt, permanentem invenimus, haud mediocrem rationem habentem, neque mediocre adjumentum ad mysterii vim afferentem? » Quibus tandem hæc, quæ paulo inferius (1)

(1) Ibid. c. XXIX. n. 71. Πρός γε μὴν τὸ ἀμάρτυρον καὶ ἄγραφον εἶναι τὴν σὺν τῷ Πνεύματι δοξολογίαν ἐκεῖνο λέγομεν· ὅτι εἰ μὲν μηδὲν ἕτερον ἄγραφον, μηδὲ τοῦτο παραδεχθήτω· εἰ δὲ τὰ πλεῖστα τῶν μυστικῶν ἀγράφως ἡμῖν ἐμπολιτεύεται, μετὰ πολλῶν ἑτέρων καὶ τοῦτο παραδεξόμεθα. Ἀποστολικὸν δὲ οἶμαι καὶ τὸ ταῖς ἀγράφοις παραδόσεσι παραμένειν· Ἐπαινῶ γάρ, φησὶν, ὑμᾶς ὅτι πάντα μου μέμνησθε, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε· καὶ τὸ, Κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβετε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς· ὧν μία ἐστὶ καὶ ἡ παροῦσα αὕτη, ἣν οἱ ἐξ ἀρχῆς διαταξάμενοι παραδιδόντες τοῖς ἐφεξῆς, συμπροϊούσης ἀεὶ τῷ χρόνῳ τῆς χρήσεως, διὰ μακρᾶς τῆς συνηθείας ταῖς ἐκκλησίαις ἐγκατερρίζωσαν. Ἆρ' οὖν εἰ ὡς ἐν δικαστηρίῳ τῆς διὰ τῶν ἐγγράφων ἀποδείξεως ἀποροῦντες, μαρτύρων ὑμῖν πλῆθος παραστησαίμεθα, οὐκ ἂν τῆς ἀφιείσης παρ' ὑμῶν ψήφου τύχοιμεν; Ἐγὼ μὲν οὕτως οἶμαι· ἐπὶ στόματος γὰρ δύο καὶ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα· εἰ δὲ καὶ τὸν πολὺν χρόνον πρὸς ἡμῶν ὄντα ἐναργῶς ὑμῖν ἐπεδείκνυμεν, οὐκ ἂν ἐδόξαμεν ὑμῖν εἰκότα λέγειν, μὴ εἶναι καθ' ἡμῶν τὴν δίκην εἰσαγώγιμον ταύτην; Δυσωπητικὰ γάρ πως τὰ παλαιὰ τῶν δογμάτων, οἱονεὶ πολιᾷ τινι τῇ ἀρχαιότητι, τὸ αἰδέσιμον ἔχοντα. Ἀπαριθμήσομαι οὖν ὑμῖν τοὺς προστάτας τοῦ λόγου (συμπαραμετρεῖται δὲ πάντως κατὰ τὸ σιωπώμενον καὶ ὁ χρόνος)· οὐ γὰρ ἐξ ἡμῶν ὥρμηται πρῶτον. Πόθεν; Χθιζοί τινες ὄντως ἡμεῖς, κατὰ τὸν τοῦ Ἰὼβ λόγον, πρός γε τοσοῦτον χρόνον, τὸν τῆς συνηθείας ταύτης ἡλικιώτην. Ἐγὼ μὲν οὖν αὐτὸς, εἰ χρή με τοὐμὸν ἴδιον εἰπεῖν ὥσπερ τινὰ κλῆρον πατρῷον τὴν φωνὴν ταύτην διαφυλάττω, παραλαβὼν παρὰ ἀνδρὸς μακρὰν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τοῦ Θεοῦ διαζήσαντος χρόνον, δι' οὗ καὶ ἐβαπτίσθην, καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ τῆς ἐκκλησίας προσήχθην. Ἀναζητῶν δὲ κατ' ἐμαυτὸν εἴ τις ἄρα τῶν παλαιῶν καὶ μακαρίων ἀνδρῶν

subjungit, addi merentur : « Sed contra, inquit, id quod dicunt, glorificationem cum Spiritu carere testimonio, nec in scripturis exstare, illud dicimus : si nihil aliud est receptum absque scripturis, ne hoc quidem recipiatur ; sin plurima arcana citra scripturas recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiemus. Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. « Laudo enim, inquit (1) (Apostolus), vos, quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis. » Et illud (2) : « Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam, » quarum una est et hæc, de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in ecclesiis irradicarunt. Ergo si velut in tribunali, probationibus e scripto destituti, multos vobis testes producamus, nonne sententiam absolventem a vobis consequemur? Ego quidem arbitror. « In ore siquidem duorum ac trium testium stabit omne verbum. » Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostendamus, annon videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam jure nobis intendi? Veneranda enim sunt quodammodo vetusta dogmata, quæ ob antiquitatem, ceu canitiem quandam, habent quiddam reverendum. Enumerabo itaque vobis hujus dictionis patronos vindicesque (simul enim æstimatur in eo, quod tacetur, etiam tempus) : neque enim ex nobis primum initium sumpsit. Qui potuit? Nimirum nos revera hesterni sumus, quemadmodum dicit Job, saltem si tam longi temporis, quod huic consuetudini æquale est, habeatur ratio! Equidem ipse, si modo par sit, me quod mihi proprium sit dicere, vocem hanc tanquam paternam quandam hæreditatem conservo, acceptam a viro multum

ἐχρήσατο ταύταις ταῖς νῦν ἀντιλεγομέναις φωναῖς, πολλοὺς εὗρον καὶ τῇ ἀρχαιότητι τὸ ἀξιόπιστον ἔχοντας, καὶ τῇ τῆς γνώσεως ἀκριβείᾳ οὐ κατὰ τοὺς νῦν ὄντας· ὧν οἱ μὲν τῇ προθέσει, οἱ δὲ τῷ συνδέσμῳ κατὰ τὴν δοξολογίαν τὸν λόγον ἑνώσαντες, οὐδὲν διάφορον ὁρᾷν, ὥς γε πρὸς τὴν ὀρθὴν τῆς εὐσεβείας ἔννοιαν, ἐνομίσθησαν.

(1) I. Cor. xi. 2.

(2) II. Thess. ii. 14.

temporis in servitio Dei versato, per quem et baptizatus sum et ecclesiæ ministerio admotus. Ceterum quum apud me reputo, an quis veterum ac beatorum virorum his, quibus nunc reclamatur, vocibus usus sit, multos reperio, et ob antiquitatem fide dignos et accurata non secundum hos homines scientia ornatos, quorum alii præpositione, alii conjunctione in glorificatione sermonem copulantes, nihil diversum sane, quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam, existimati sunt facere. » Quibus si contra reformatores sæculi decimi sexti pugnasset (1), vix desiderandum aliquid ad eosdem confutandos (2) reliquisset. Sed enimvero

(1) Quæ contra vim demonstrationis a Basilio repetitæ a Scalteto opponuntur, ea edit. Maurin opp. tom. III. præfat. § 6. ed. paris. 1839. pp. 22. sqq. diluuntur. Sed quum nihil speciatim objiciatur, quod generalibus responsis, quibus exceptiones communes a patribus depromptæ disjici solent, non solvatur, ab illis afferendis diluendisque nunc supersedendum videtur.

(2) Cf. hac de re Martin. Becan. S. J. compend. controversiar. l. I. c. II. de traditionibus, qui nn. 12. sqq. concludit, 1) generatim loquendo exstare quasdam traditiones apostolicas, quæ expresse in scriptura non leguntur, et nihilominus parem cum scriptura auctoritatem habent (quod tamen quum probare adgreditur, inspirationem cum revelatione commiscere videtur); 2) speciatim loquendo esse certas quasdam traditiones apostolicas de dogmatibus fidei, quasdam de moribus seu (id est, et, vel) ritibus externis. Ad primum refert a) quod de scripturis tenemus; b) quod de symbolo apostolico; c) quod de progressionibus internis personarum SS. Trinitatis; d) quod de pædobaptismo (ex Orig. in ep. ad Rom. c. VI. et Aug. de Gen. ad litt. l. X. c. XXIII.); e) quod de validitate administrati ab hæreticis baptismi (ex Aug. cont. Donat. l. II. c. VII. l. V. c. XXIII.); f) quod de baptismi forma; g) quod de numero eoque certo sacramentorum; h) quod de perpetua Deiparæ virginitate. Alteri vero traditionum generi accenset a) ritum baptismalem (ex Tertull. de coron. milit. c. III., Basil. de Sp. s. c. XXVII.); b) trinam immersionem (ex Basil. ibid.); c) renovationem annuam sacri chrismatis (ex Fabiano P. M. ad ep. or. ep. 2.); d) mixtionem aquæ vino in calice eucharist. (a Cypriano); e) sumptionem eucharistiæ a jejunis (ex Aug. ep. 118.); f) orationem pro defunctis in sacrificio missæ (ex Tertull.); g) obsignationem signi crucis in fronte (Basil. l. c.); h) preces fusas fronte ad orientem conversa (id. ibid.); i) benedictionem aquæ (id. ibid.): de quibus et aliis id genus usurpari, ait, illud posse Tertulliani de cor. milit. c. IV.: « Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Becanus 3) præter supra dictas traditiones, quæ ab Apostolis ad nos pervenerunt, alias quasdam esse dicit ecclesiasticas, quæ post tempora Apostolorum a prælatis ecclesiæ introductæ fuerunt, quæ tametsi parem cum apostolicis auctoritatem non habeant, merito tamen a christianis servari debent. Sic ille, quoad substantiam divisiones confirmans, quæ supra explicatæ fuerunt.

7) Argumentum contra novatores petitur ex historia hæresum.

7) argumentum contra eosdem tandem hoc est, quod historia hæresum præbet, quarum plures ipsi nobiscum novatores jure olim ab orthodoxa eademque prævalente Christi ecclesia rejectas atque damnatas habebant. Atqui hac in re, quod ad repudiatam traditionem attinet, plane antiquos hæreticos recentiores noviique hæretici imitantur. Imitantur vel ipsos primum (1) saducæos, imitantur valentinianos ac marcionitas (2), imitantur arianos (3), macedonianos et eunomianos (4), aerianos (5), pelagianos (6), nestorianos (7), eutychianos (8), iconomachos (9), wicleffistas (10), denique præcursores sequentium novatorum. Hi enim uno omnes ore, licet varii variis præjudiciis dogmaticis moti essent, profitebantur, se præter scripturas nihil, quod credendum sit, admittere. Cum illis ergo proscripti habeantur oportet et a veritate non minus quam ab orthodoxa societate christiana alieni ac dissiti, cujus hæc erat perpetuo constanterque mens ac sententia, et alium præter scripturas exsistere divinorum dogmatum fontem, et fonte hoc, qui traditio nominatur et est, revelata contineri doctrinæ capita litteris, quæ sacræ habentur, nullatenus comprehensa. Atque adeo traditio ita universalis est divinorum dogmatum fons, ut aliquot fidei veritatum seu nonnullorum dogmatum fons sit unicus.

(1) Juxta scripturas et teste Josepho, antiq. XVIII. II.

(2) Juxta Irenæum et Tertullianum II. cc.

(3) Aug. cont. Maximin. l. I., ubi sic Maximinus Arianus : « Si quid de divinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus, hæ vero voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur. »

(4) Basil. de Sp. s. cc. XXV-XXIX.

(5) Epiphan. hær. LXXV.

(6) Aug. de nat. et grat. c. XXXIX. ita inducit pelagianos : « Credamus igitur, quod legimus : et quod non legimus, nefas credamus adstruere, quod de cunctis etiam dixisse sufficiat. »

(7) Cyril. l. s. c.

(8) Conc. chalced. act. I. ubi Eutyches : « Ego a sacris scripturis non didici de duabus naturis. » Reposuit Mamas presbyter : « Neque de ὁμοούσιος a ss scripturis edocti sumus. »

(9) Basil ancyr. in conc. VII. act. I. ap. Labbe tom. VIII. Harduin. tom. IV. pp. 42. sqq.

(10) Thom. waldens. doct. fid. antiq. l. II. c. XIX.

108. — Quæ duplex veritas secundum præstituta rationum momenta ad hanc distinctionis formulam apte revocatur : oralis traditio, prout est via ac medium verbum Dei propagandi, vel refertur ad objectum divinæ revelationis absolute, et tum continet quidquid divinitus revelatum fuit ; vel refertur ad illud relative, comparate ad medium viamque scriptionis, et tum amplius scripturis patet, et continet plura, quæ illis non comprehenduntur. E quibus liquet, traditione contineri, quidquid scripturis; sed non vicissim. Unde illa, quæ scripturis non continentur, ex unico fonte theologico probantur; quæ vero scripturis consignata sunt, probantur ex duplici fonte, verbo scripto et tradito. Quæ sanctus Irenæus (1) significat, ita scripturarum lectionem commendans, ut eas ab apostolica doctrina, quæ ab authenticis testibus accipienda sit, manifesto distinguat.

108. Habitus traditionis oralis ad scripturas ex probatis magis describitur.

§ IV. — De necessitate traditionis ac dignitate.

109. — Ex dictis dependet et cum iisdem perspicue cohæret necessarius usus summumque pretium traditionis, excellentia ejus ac dignitas, sive ea spectetur generatim, subjective ac præ suo organo, cui inhæret, sive speciatim, objective ac præ iis doctrinarum capitibus, quæ soli ipsi insunt. Quæ juverit θετικῶς hac complexione exposuisse :

109. Cum dictis cohæret pretium ac dignitas traditionis.

THESIS XVIII. *Secundum præstituta de christianæ fidei œconomia, divinæ traditionis est suprema itemque multiplex necessitas, tum spectata rerum, quas illa continet, doctrinarumve substantia, summa dignitas et auctoritas.*

110. — DEMONSTRATIO. Et quod I. ad necessitatem ejus attinet, ea ex probatis de instituta fidei œconomia nequit esse in præsenti ordine providentiæ major. Nam necessitas hæc repetitur

110. Demonstratio. I. Necessitas traditionis probatur.

1) generatim ex statutis de fidei testibus : scilicet, pro ratione, qua traditio respondet organo suo, per quod traditio decurrit, et testimonium correlatum est testibus tradentibus,

1) Repetitur illa generatim ex statutis de testibus.

(1) Adv. hær. l. IV. c. XXXII. n. 1. : « Post deinde et omnis sermo ei constabit, si et scripturas diligenter legerit apud eos, qui in ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus. »

necessitati organi sive testium, de qua superius (1) dictum est, necessitas respondet testimonii seu traditionis; sed testes in christiana œconomia ostendimus necessarios, quatenus Deus suam per illos revelationem probatam ac propagatam, conservandam vindicandamque decrevit et instituit; ergo necessaria pariter traditio. Hinc

2) Declaratur speciatim traditionis necessitas legalis ac juridica.

2) speciatim repetitur a voluntate Dei auctoris ac institutoris, cujus voluntas quum indeclinabilem legem faciat ac jus, traditionis necessitas legalis est ac juridica, adeoque in hac hypothesi necessitas plane absoluta. Cui

3) Accedit illius necessitas subjectiva.

3) necessitas respondet atque accedit a parte hominum ac fidelium adeoque subjectiva, quæque secundum probatam hypothesim absoluta iterum est: exclusa namque traditione, nullus eorum fidem haberet vere christianam seu catholicam (2), quæ ritu scilicet christiano habetur, via volita a Christo, qua fides traditione continetur, ex ea proponitur ac probatur, ideoque tradita est, et homines plerique omnes ne ipsam quidem divinam revelationem consequerentur; oralis igitur traditio necessaria est. Porro

4) Accedit ejusdem necessitas objectiva seu dogmatica.

4) accedit hujus necessitas objectiva seu dogmatica, quæ ab ipso objecto seu fidei dogmate credendo dependet, cujus pars ex præstitutis nonnisi traditione (3) continetur. Huic autem

5) Additur necessitas exegetica.

5) addenda alia est illius necessitas, exegetica nimirum, quæ ex verbo Dei scripto rite explicando enascitur (4). Et utrique præterea

(1) Cf. superius disputata tum alibi tum thes. XII.

(2) Nihil ad rem aptius, quam quod legitur commonitor. I. nn. 6. sq. et n. 24. disputatum a Vincentio lirinensi, qui verbis S. Joannis ep. II. com. 10.: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, » hanc subjicit quæstionem, cui respondet : « Quam doctrinam, nisi catholicam et universalem, et unam eandemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, et usque in sæcula sine fine mansuram? » Et q. s.

(3) Ad rem Dionysius Petavius de trin. præf. c. 1. n. 7. præclare ob duas rationes necessariam traditionem dicit : quarum altera est, ut ea, quorum nulla prorsus exstat in scripturis mentio, dogmata fideique placita conservet et ad posteros transmittat; altera, ut eorum decretorum, quæ in Dei verbo involuta latent et ambigua, vel diversas in sententias trahi disputando possunt, verum catholicumque sensum suppeditet.

(4) Videsis allata superius ex vetustioribus ecclesiæ scriptoribus, nomi-

6) innexa est necessitas traditionis canonica seu regularis, quatenus ex Majorum sententia et usu (1) in traditione collocatur norma ac regula orthodoxiæ et heterodoxiæ, si quando dissensio est circa revelationem ac fidem. Nomine omnium dignus Vincentius lirinensis (2), qui audiatur : « Sæpe igitur magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina præstantibus viris, quonammodo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare, et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet : primum scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde ecclesiæ catholicæ traditione. Hic forsitan requirat aliquis : cum sit perfectus scripturæ canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene

6) Utrique innexa est traditionis necessitas canonica seu regularis.

natim autem quæ iterum habet Vincentius lirin. l. c. nn. 25. sqq., atque hæc Basilii de Sp. s. c. XXVII. : Σιωπῆς δὲ εἶδος καὶ ἡ ἀσάφεια, ᾗ κέχρηται ἡ γραφὴ δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, πρὸς τὸ τῶν ἐντυγχανόντων λυσιτελές : « Est autem silentii species etiam obscuritas, qua utitur scriptura intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem; » tum, quæ habent Clemens al. str. VII. XVI. l. s. c. et Tertull. de præscriptt. c. XVII. Confer de his quæ disputat Dion. Petav. de trin. præfat. c. I. nn. 7. sqq. Revera divinarum personarum ab unitate naturæ æqualitas earumque simul distinctio ab hypostaticarum proprietatum relatione, Spiritus sancti a Filio quoque processio, Christi Domini ad inferos descensio aliaque non pauca sacris quidem litteris comprehensa probantur, non ita tamen diserte ibidem efferuntur, ut litigiosis hominibus omnis contradicendi locus auferatur. Hinc traditione rejecta hæretici in partes plane oppositas eadem scripturarum loca distraxerunt.

(1) Huc spectant Iren. cont. hær. l. III. cc. III. IV. l. V. c. XX., Orig. de princip. præfat., Tertull. de præscriptt. ll. cc., aliaque superius adducta, quibus de traditione a) non modo dicitur, sitam in ea esse fidei normam; sed additur, b) verum non esse, quidquid præter eam docetur; eamque c) unam et solam esse plenam perfectamque revelationis christianæ regulam.

(2) L. c. n. 2. ed. Mign. lat. pp. tom L. col 639.

quot homines sunt, tot illius sententiæ erui posse videantur. » Inde autem

7) Inde oboritur ejusdem necessitas polemica.

7) necessitas tandem oboritur traditionis polemica, quum ipsa potissimum regula fuerit (1) et sit, qua hæreticorum inventa ac interpretamenta et detegerentur et rejicerentur. Hinc Vincentius (2), post enumerationem hæreticorum Novatiani, Sabellii, Donati, Arii, Eunomii, Macedonii, Photini, Apollinaris, Priscilliani, Joviniani, Pelagii, Cœlestii atque Nestorii, subdit: « Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. » Idque in ecclesia semper factum esse, Lirinensis porro (3) exponit. Est autem traditio ad commenta hæreticorum evertenda ex dictis apta in primis ac necessaria eo, quod

a) ipsa suppeditat atque complectitur ambitu suo non partem sed totum Dei verbum ad salutem credendum; quod ita

b) per ipsam rectus omnium veritatum habitus innotescit: ex toto enim fit præcipue, ut singulis partibus lux adfundatur, et totius corporis adspectus haud raro solus est, qui veram rectamque membrorum rationem ac positionem exhibet et manifestat; quod

c) traditio oralis viva est jugiterque in auribus resonat, adeo ut doctrinæ sensus, explicatio ac intelligentia ab ore doctoris ad discentium aures proficiscatur atque dimanet; hinc traditione non verba tantum et dogmata sed vera verborum interpretatio et rectus dogmatum sensus comprehen-

(1) Cf. exposita prius nominatim de modo agendi conciliorum, de quo iterum Vincentius lirin. l. c. n. 28.

(2) Ibidem, coll. n. 6. et commonitor. II. n. 29.

(3) Cf. l. c. n. 27., ubi sic : « Sed dicet aliquis : Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et diabolus et discipuli ejus utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetæ et pseudomagistri, et omnes ex toto hæretici, quid facient catholici homines et matris ecclesiæ filii? Quonam modo in scripturis sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum canonem secundum universalis ecclesiæ traditiones et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur. » Sed eadem necessitas obtinet, quando agitur de ipsa doctrina tradita antiquitus eaque perperam explicata vel corrupta ab hæreticis.

duntur. Quibuscum quod est et θετικῶς ratione fidelium et πολεμικῶς ratione hostium fidei commodum maxime ac necessarium consertum est, nimirum quod

d) eadem secundum rem seu substantiam dogmata a variis testibus atque doctoribus variis modis, sententiis, phrasibus sæpe ac periphrasibus exponantur ad docendas instituendasque semper et ubique gentes diversis in locis, diversis ætatibus diversisque idiomatibus : unde jugis ac constans claritas (1), perspicuitas, intelligentia rerum una cum dogmatum firmitate et immutabilitate ad corde credendum apud fideles, contra novatores autem promptæ semper adsint formulæ dogmatum idoneæque ad eorundem errores excludendos atque ad justitiam veritatemque sanis ut oportet verbis profitendam.

111. — Verum II. si traditio est tantæ non utilitatis modo sed plane necessitatis, ejusdem summa pariter dignitas est et auctoritas, scilicet, quod ad rerum doctrinarumve substantiam attinet, quam a forma ac modo seu certa ratione concipiendi juxta ac efferendi, quæ in traditione secus ac in scriptura fixa non est, oportet distinguere, quemadmodum clarius patebit, cum de divinis scripturis agetur. Talem porro dignitatem auctoritatemque illi vindicat

II. Dignitas et auctoritas traditionis declaratur et probatur.

1) ipsa traditionis divinæ, qua de agitur, origo, quam immediate illa a Deo ducit revelatore, adeoque innititur immediate Dei auctoritate; hinc eandem ei vindicat

1) Petitur illa ex traditionis origine.

2) ejusdem vera ac propria natura et ratio, qua traditio divina est ipsum Dei verbum ; illam ei vindicat

2) Ex ejusdem propria natura.

3) Apostolus plus semel præscribens vel declarans (2), ea tenenda ut verbum Dei atque credenda esse, quæ ipse tradidit ore; idemque

3) Ex Apostoli declarationibus.

4) societatis christianæ præpositi, fidelium pastores et doctores semper et ubique omni, quo id fieri modo potuit, confessi ac protestati sunt, cum seorsim privatimque, tum

4) E confessione ac protestatione societatis christianæ.

(1) Res liquet insignibus speciminibus, quæ suppeditat tum varietas concipiendi efferendique immaculatam Virginis sanctissimæ conceptionem, tum ipsum originale peccatum.

(2) LL. s. cc.

collectim ac publice itemque solemniter (1) declarantes et sancientes, traditioni competere vim verbi divinitus revelati, traditioni eandem ac verbo scripto inesse auctoritatem, ex eaque adeo repetendam fidem divinam eamque vere christianam et catholicam, et quod objectiva totius revelationis norma, perpetuus fons verbi divini atque locus christianæ fidei (2) perspicuus in ea repositus sit.

112. Corollaria. 112. — Quæ huc usque disseruimus, sponte ad hæc inferenda nos ducunt :

113. Corollarium I. 113. — COROLLARIUM I. Repudiata ergo divina traditione rejicitur divinæ revelationis medium, et illud quidem perfectum ex sese et plenum, citra quod integra fides christiana nequit haberi.

114. Corollarium II. 114. — COROLLARIUM II. Quæ ergo societas traditionem e medio tollit, ea caret integro christianæ fidei objecto, et destituitur pleniori veritatis credendæ a fidelibus ac profitendæ (3) intelligentia.

115. Corollarium III. 115. — COROLLARIUM III. Nequit ergo vera esse Christi ecclesia seu instituta a Christo societas religiosa, penes quam ob repudiatam traditionem objective et ontologice tota non est christiana revelatio et subjective et logice non est recta fidei christianæ veritas ac intelligentia. Talis autem cœtus est, quem ecclesiam vocant evangelicam, cujus primus articulus symboli (4) est : « Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam secundum quam omnia dogmata omnesque doctores æstimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica scripta cum veteris tum novi testamenti. »

116. Corollarium IV 116. — COROLLARIUM IV. Una est societas romana eaque sola catholica, apud quam statutum divinitus utriusque illius medium, oralis nimirum traditio perpetua ac jugis, quæ ex

(1) Cf. concilia œcumenica s. c.

(2) Cf. corollaria de traditione collecta in com. de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. XVIII. nn. 182. sqq.

(3) Tale consectarium est, quod Clemens alexand. l. s. c. str. l. VII. c. XVI. contra gnosticos duxit.

(4) Cf. form. concordicæ epitom. I 1. ap. Hase, libr. symbol. eccles. evang. pp. 570. sq.

ordinato per Christum organo, testium scilicet perpetuo ordine defluit, reperitur. Præ reliquis ergo christiani nominis cœtibus sola illa characterem præfert veræ Christi ecclesiæ.

Exceptionibus occurritur.

117. — Rem tanti momenti, qualis traditio est, et de qua acerrima protestantes inter ac catholicos (1) lis erat et est, non sine omni probationis specie innovatores e medio tollendam contenderunt. Sed plures ex fonte revelationis scripto ipsaque veterum auctoritate petitas proferunt rationes, quibus enervare illam penitusque pessundare adnituntur. Verum per factas exceptiones nihil ab illis evinci, instituto examine patefiet.

117. E quibus fontibus protestantes traditionem impugnent.

118. — Et I. quidem nihil efficitur iis, quæ ex scripturis ducta contra traditionem vertunt. Hujusmodi, de quibus jam superius (2) brevis facta est mentio,

I. Exceptiones solvuntur e sacris litteris petitæ.

1) ex Deuteronomio (3) sumunt, ubi Moyses verbo suo quidpiam addendum detrahendumque vetat : unde colligunt, præter legem scriptam nihil esse admittendum. Verum animadvertendum,

1) Ex Deuteronomio IV. 2.

a) quod a V. T. œconomia ad eam, quæ in N. T. obtinet, neque paritate neque in omnibus illico simpliciterque concludere licet : quid enim, si in V. T. Deus totam revelationem scripto duntaxat consignatam voluisset, non autem in T. N? Sed enimvero accedit,

(1) Quæ objici a protestantibus communiter solent, complectitur Joann. Strong. de jud. infallib. l. I. c. XVI. pp. 66. sqq. Quibus conferenda, quæ disputat card. du Perron de tradit. opp. t. III. et M. Becanus in man. controv. de tradit. l. I. cc. II. sqq.

(2) Cf. II. s. cc.

(3) Deut. IV. 2. « Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. » Ubi animadvertatur, quæso, a) in universo textu contextuque ne verbum quidem de scripto mandato vel præcepto, nec verbum de eodem perlegendo haberi; sed potius b) de verbo, quod loquebatur Moses, sermonem esse disertum in textu, et plus semel in contextu de illo audiendo auribusque excipiendo, v. 1. : « Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te; » v. 6. : « Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant : En populus sapiens, » etc.

b) quod ad verba Moysis multa alia V. T. scripta addita fuerunt, ipseque Moyses alios prophetas prænuntiavit; ergo mandatum Moysis nequit accipi simpliciter et absolute; consideretur insuper,

c) quod Moyses non dixit, quæ scripsi, sed quod loquor; adeoque verbis prædicationique suæ nihil voluit sive adjectum sive detractum; tum vero

d) observetur vis dictionis hebraicæ, qua indicatur, nihil contra Dei verbum sive omissione sive additione tenendum agendumve, sed revelata verba Domini integra nec imminuta nec aucta esse retinenda et observanda; atqui Moyses id præcepit; non exclusit ergo verbum Dei, quod præter revelata sibi adderetur, sed verbum humanum, quod admisceretur; jamvero

e) traditione divina nihil, quod humanum sit, divino verbo adjicitur, sed per eam potius fit ut verbum Dei integrum proponatur ac custodiatur. Quin ergo præceptum Moysis traditioni opponatur divinæ, ad eam potius confirmandam jure factum illud esse dixeris. Neque justius

2) Ex ep. ad Gal. I. 8.

2) ea objiciuntur, quæ ad Galatas Paulus scripsit (1). Etenim.

a) Apostolus eos redarguit, judaizantes in transversum abreptos aliosque in transversum abripientes, qui legem miscentes cum evangelio, circumcisionem cum baptismo aliud, ἕτερον, ab eo, quod ipse prædicaverat evangelium, invehe-

(1) Gal. I. 8. Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω : « Sed licet nos vel angelus de cœlo evangelizaret vobis præter illud, quod vobis evangelizavimus, anathema sit. » His a) nulla occurrit mentio scripturæ, sed prædicationis; tum b) παρ' ὅ, idem est ac oppositum illi, quod vobis ego prædicavi. Hanc enim significationem παρὰ et præter habent non raro apud profanos græcos et latinos, qui, ut est apud Henricum Stephanum, phrasibus παρὰ νόμον, παρὰ φύσιν, et, ut est apud Plautum Terentiumque plus semel, præter morem, contrarium legi naturæ atque moribus exprimunt. Eandem habet παρὰ apud Lucam et Paulum act. XVIII. 13. παρὰ τὸν νόμον, quod interpres latinus reddit, contra legem, et Rom. I 26. XI. 24. παρὰ φύσιν; IV. 18. παρὰ ἐλπίδα, contra spem. Apparet ergo, in hoc quoque Pauli textu phrasin, παρ' ὅ significare posse, contra quod. Sed id a Paulo reapse significari, ex toto contextu liquet. Quo egregie faciunt, quæ apud Cyr. hier. leguntur catech. IV. 12.

bant, et hoc modo suum, quod Christi erat, evertebant; hinc

b) æquipollentia apud Paulum sunt (1), in aliud evangelium transferri, convertere evangelium Christi, et evangelizare præter id, quod evangelizavit ipse; quare

c) a sancto Paulo omnis doctrina velut impia atque nefanda condemnatur et abjicienda præscribitur, non quæ esset simpliciter præter, sed quæ contra eam esset, quam fideles a se accepissent; atqui

d) nihil ejusmodi traditio divina et divino-apostolica continet, sed potius evangelium Christi totum ac integrum exhibet; quare licet traditio eadem præter verbum scriptum contineat (2) plura, nihil tamen contra idem complectitur. Accedit porro quod

e) Paulus non illum esse anathema dicit, qui aliquid contra sua scripta, sed qui aliquid contra suum evangelium, contra prædicationem atque sermonem admiserit vel prædicaverit. Et

f) non potuisse Paulum affirmare, præterea nihil esse admittendum, quam quod tum, quum hanc ad Galatas daret epistolam, litteris divinitus commendatum exstabat, inde manifestissimum est, quod et ipse Paulus et alii Apostoli similiter plures post illam inspiratas litteras dederint, quodque Apostoli declararint (3) diserte, non omnia semet litteris scribere. Hinc præclare ad rem Augustinus (4) : « Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit.

(1) L. c. coll. I. 6. 7. 8. 9. Μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος : μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ : εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε.

(2) Hinc sequitur, aliter de scripturis et aliter de traditione esse judicandum : præter scripturam enim, quæ partialis duntaxat revelationis fons est, alia exsistere dogmata possunt, et revera exsistunt : sed quum traditio fons sit revelationis universalis, præter traditionem neque exsistere possunt neque exsistunt revelata doctrinæ capita : quidquid ergo est præter traditionem, illud revelatum fidei objectum non est; sed quod scriptum non est, id tamen revelatum esse potest.

(3) Ita Paulus I. Cor XI. 34. Τὰ δὲ λοιπὰ ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι : « Reliqua, quum venero, disponam »; et II. Joan. 12. Πολλὰ ἔχων ὑμῖν γράφειν, οὐκ ἠβουλήθην διὰ χάρτου καὶ μέλανος· ἀλλὰ ἐλπίζω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι, ἵνα ἡ χαρὰ ἡμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

(4) Tract. 98. in Joann. ad h. l.

Non ait plus quam accepistis, sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei non accedit in via, sed recedit de via. »

119. Quænam traditio in scripturis reprobatur.

119. — E quibus inferimus

1) nuspiam in scripturis reprobari eam traditionem, quam societas christiana et catholica tanquam revelationis fontem et locum semper probavit; si vero

2) in scripturis traditio quædam alicubi (1) rejecta videatur, hanc aliam non esse, quam quæ auctoritatem ac speciem verbi Dei præferens nihil aliud vere sit, quam purum verbum hominum, aut quæ verbo Dei etiam plane exsistat contraria.

II. Adferuntur sententiæ Majorum specie tenus oppositæ traditioni.

120. — Porro II. nihil pariter iis efficiunt, quæ e Majorum monumentis specie tenus opposita petunt. Utuntur autem ejusmodi veterum sententiis, quibus iidem declarare videntur, præter divinas litteras nihil admittendum, e scripturis tantum de divinis esse loquendum, et hisce gemina plura (2), quorum specimina quædam e Basilio Magno (3) petiisse juverit : « His, quæ scripta sunt, inquit, crede, quæ non scripta, ne credas; » tum ex sancto Cyrillo hierosolymitano (4), qui : « Hoc signaculum, ait, in mente tua semper

(1) Matth. xv. 6. sqq. coll. Marc. vii. 1. sqq. et Coloss. ii. 8., de quibus cf. dicta superius.

(2) Apud Petav. proleg. tom. I. c. i. n. 7.

(3) Hom. in calumn. SS. Trinit.

(4) Catech. iv. n. 17. De mente sententiaque Cyrilli cf. Touttée opp. illius editorem disputantem contra Rivetum, qui verbis Cyrilli est abusus. Ostendit autem ille, a) Cyrillum ibi nomine fidei vel SS. Trinitatis dogma vel doctrinam symboli tempore quadragesimali explicandam designare; porro b) quum Cyrilli judicio catech. v. 12. symbolum nihil aliud sit, quam præcipuorum capitum scripturæ complexio : nihil mirum est, auctore Cyrillo totam hanc fidem e scripturis probari posse etiam et debere; c) distingui oportere inter catechumenos et baptismo jam ablutos, quos Cyrillus instituit : sed illis profecto fides christiana erat demonstranda, quibus propterea cat. xii. 5. cum evangeliis vaticinia conferenda præscribit; d) sed neque his dubitare de veritate doctrinæ expositæ permittit ante ejusdem scripturæ probationem, quod apparet ex cat. i. nn. 1. 5. iii. 8 9. 15. 16 v. 12.; accedit e) in suis catechesibus ad baptizatos Cyrillum non modo ad rudiorem primam institu-

habeto, quod quidem nunc tibi summatim per capitum recensionem edictum est. Si vero Dominus concesserit, adhibita ex scripturis demonstratione pro viribus a nobis edisseretur. Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem sine divinis scripturis tradi, nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credideris, nisi de divinis scripturis eorum, quæ tibi annuntio, demonstrationem acceperis. Hæc enim fides, cui nostram salutem debemus, non ex commentitia disputatione, sed ex divinarum scripturarum demonstratione vim habet; » atque ex sancto Hieronymo (1) ita disputante : « Hoc quia de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. »

121. — Verum qui his contra traditionem excipiunt, hi non animadvertunt,

121. Ostenditur patres, sententiis objectis divinæ traditioni non detrahere.

1) veteres ita loquentes plus semel eo usos loquendi more quem platonicum dicunt, et e quo species rei nobilissima pro genere, adeoque verbum Dei divinitus inspiratum ut εἶδος εἰδικώτατον pro verbo Dei revelato generatim accipitur; hinc apparet, locutioni eorum grammatice adstrictæ, qua nihil, quod scriptum non sit, admitti volunt, pro explorata aliunde veritate adhibendam esse logicam

tionem christianam spectasse, verum etiam ad perfectiorem firmioremque fidei intelligentiam et convictionem ex catech. v. 2. 9. XIII. 9. XVII. 35. procat. 5. 8. 17., quibus profecto firmam fidei et a quavis dubitatione alienam persuasionem jam supponebat. Quare verba : « Neque mihi credas, » non sunt dubitantis sed fidentis, non quærentis sed probantis et confirmantis ea, quæ fide jam tenebantur ; profecto f) quid Cyrillus de ecclesiastica prædicatione adeoque traditione orali censuerit, ex cat. XVIII. liquido constat, in qua ecclesiam catholicam nuncupari dicit n. 23., quia « universe et absque defectu docet omnia, quæ ad hominum notitiam venire debent, dogmata sive de visibilibus sive de invisibilibus rebus. » Quod idem cat. v. n. 12. modo negante repetit de fidei symbolo sermonem faciens : « Fidem, inquit, illam solam amplectere et serva, quæ nunc tibi ab ecclesia traditur ex omnibus scripturis vallatam. » E quibus patet, Cyrillum scripturas non ab authentico suo interpretationis organo avulsas spectasse; et apud Cyrillum traditionis ambitu, quatenus illa præsulum continetur prædicatione, ea etiam comprehendi, quæ sacris litteris revelata exstant.

(1) In Matth. c. XXIII. Cui e latinis conferri meretur Aug. de pecc. merit. l. II. c. XXXVI., qui similia habet.

extensionem, qua intelligatur, nihil credendum, quod revelatum non sit; porro

2) plus semel illos ἀγωνιστικῶς, ex hypothesi et omnino ad hominem, ut aiunt, argumentari contra fidei in ecclesia receptæ ac traditæ hostes, qui scripturis eisque solis insisterent, quos adeo e scripturis ipsis refellebant, vel quibuscum nonnisi e scripturis disputatio institui posset (1); tum vero

3) πολεμικῶς ab illis contra eos frequenter disputari hæreticos, puta gnosticos (2), arianos, et pessimas ex iisdem prodeuntes sectas, a quibus scripturæ sufficiebatur (3) ratio et philosophia divinæ auctoritati, et de quibus opportunum est consuluisse Tertullianum de præscriptionibus (4) et nazianzenum Gregorium (5) in prima oratione theologica; quare contra eos patres asserebant, in re fidei non rationi

(1) Ita ariani, Christi divinitatem subvertentes, se præter scripturas quidpiam recepturos esse aperte negabant. Quare scripturarum auctoritate pugnatum fuit, ita tamen ut, ne alienam in partem earum sensus pertraheretur, ad Majorum traditionem catholici provocarent, cujus vi controversiam dirimerent. Hinc apparet, quid de verbis Constantini apud Theodoretum h. e. 1. 6., quæ objici solent, existimandum sit, quibus ille « evangelicos, inquit, atque apostolicos libros et veterum prophetarum oracula, quid sentiendum sit de Deo, σαφῶς, perspicue docere; quamobrem ex scripturis divinitus inspiratis solutionem eorum, quæ in controversiam venirent, exquirerent (nicæni patres) » : scil. et, a) non ab imperatore, maxime si tum adhuc esset catechumenus, ut plures tradunt, institutio genuina religionis petenda; b) non de omnibus infinite revelationis dogmatibus magnus Constantinus loquitur, sed de explorato aliquo in sacris litteris doctrinæ capite, et eo generatim potius ab illo quam speciatim (quod ad ὁμοούσιον vocem attinet) spectato; c) postularunt vero adversarii rejecta ecclesiæ auctoritate ut scripturis orthodoxi doctores starent : id quod cautione necessaria adhibita fieri potuit et ἀγωνιστικῶς convenit; sed d) tandem paulo secus fertur Constantinus locutus a Gregorio cæsar. ap. Combef. hist. monothel. p. 538. et in auct. tom. II. p. 338. : « Agite patres, studio omni animorumque contentione per propheticas prædicationes et apostolicas traditiones veritatem unam æqualibus numeris eruamus. » His autem institisse patres, discimus ex ep. Athanasii ad Afros et Eusebii ep. ad clerum et al. ll. s. cc.

(2) Ita Clemens al. str. l. VII. c. XVI., ubi gnosticorum factiones refellit scripturas detorquentes, corrumpentes, negantes, iisque falsa suarum traditionum dogmata opponentes.

(3) Videsis Dionysii Petavii theolog. dogmat. proleg. c. 1. nn. 9. 10. cum adnotatis in ed. tom. I. Rom. 1857.

(4) De præscriptt. c. VII.

(5) Or. 27.

humanæ sed scripturis standum, scilicet, non ad excludendam traditionem divinam, verum ad idem de ipsa plane affirmandum; tum vero liquet,

4) non agi in ejusmodi contextibus de omni fidei capite, sed de certis quibusdam dogmatibus, et de iis nominatim (1), quæ præcipua sunt maximeque ad salutem necessaria, quæque scripturis perspicue comprehenduntur; quæ vero

5) inutilia, imo excludenda rejiciendaque dicuntur, ea non esse, nisi inventa ac placita humana, vel ipsa etiam scripta spuria et apocrypha (2); hinc rursum

6) phrases negantes, quod scriptum non est, plus semel de eo accipiunt, quod oppositum est scripturis (3); sed

7) affirmantes phrases ex sese traditionem nullatenus excludunt, ut quando Augustinus (4) dicit : « Scripturam esse regulam doctrinæ »; immo

8) a patribus instrumenta ab interpretibus non sejungi (5), sed hosce supponi, et scripturas ab illis considerari simul cum pastorum doctorumque genuina atque authentica enarratione; hinc

9) ab iisdem scripturarum dicta et auctoritatem humanis privatisque divini verbi interpretamentis objici (6); tandem

(1) Ita de hierosol. Cyrilli verbis Touttée disp. III. c. XIII. Huc pertinet disputatio Tertulliani contra Hermogenem n. 11. de creatione universalitatis rerum; huc Athanasii de Incarnat. adv. Apollin. I. n. 22.; huc ejusdem de tribus personis ep. ad Serapion. aliorumque multorum.

(2) De his Iren. l. III. c. II., Theophil. alex. ep. paschali 2., Hier. in Aggæi c. I., in Matth. c. XXIII., Hilar. in ps. CXXXII.

(3) De tali oppositione intelligi debent, quæ ex Cypriani de lapsis op. contra traditionem excipi solent : cf. du Perron ep. sæpius c. pp. 715. sqq. de dissertat. nn. 39. sqq.

(4) De bono viduit.

(5) Juverit maximum audivisse Petavium proleg. c. I. n. 8., ubi adductis patrum sententiis, quæ opponi consueverunt, ita scribit : « Quibus ex antiquorum patrum sententiis et harum similibus, in quas passim incidimus, non illud universe absoluteque conficitur, quod insulse dictitant hæretici, nihil penitus nisi exaratum in sacris libris et expressum ad fidem et, quod consequens est, ad theologica spectare principia. Etenim vel hoc ipsum, quod paulo ante dixi, ad id refellendum satis est, non ipsam per se nudamque scripturam, nisi expositam ac declaratam, non solum cum peritia, sed etiam cum auctoritate ac potestate, idoneam esse ad ejus, quid dicat, faciendam et comprobandam fidem. »

(6) Ad quæ rursum Petavius l. c. n. 9. : « Hæc prima ratio est illius expo-

10) scripturas in ejusmodi veterum effatis accipi plus semel tam pro iis, quæ ἀμέσος ac in se dicunt et continent, quam quæ ἐμμέσος et in alio significant admittendaque esse flagitant; jamvero sacræ ipsæ litteræ exigunt ac flagitant, ut jugis eademque viva et oralis verbi revelati traditio (1) admittatur; hoc ergo sensu verissimum est, nihil præter scripturas admittendum esse.

122. E duplice insuper capite idem confirmatur.

122. — Sane sive ab iis, quos attulimus superius, sive ab aliis, quorum adferri insuper plures facile possent, traditionem divinam, id est, dominicam atque divino-apostolicam repudiatam dici nullo pacto posse, patet

1) ex harmonica secum ipsis et cum universali ecclesiastica doctrina interpretatione : vix enim e scriptoribus ecclesiæ aliquis datur, quem suo suffragio traditionem confirmasse probari (2) non posset. Tum

2) inde patet, quod ex iisdem veteribus ecclesiæ pastoribus nemo sit, qui ecclesiasticæ testificationis ac magisterii quocum oralis traditionis idea ac res nexa intime vinctaque est, perpetuam necessitatem aut magis aut minus per-

nendi, quod nonnunquam usurpari a patribus ostendimus, nihil divinis de rebus aliud oportere credi, quam quod in libris sacris expressum fuerit. Nempe ut vel liquido ac diserte loquentes illos habeamus, vel quæ ibidem involuta et obscura significatione continentur, ut ea ratiocinando necesse sit eruere, non humana et privata, sed certa et constituta divinitus auctoritate colligantur. De quo paullo post aliquid dicam, postquam cetera pertexuero, quæ ad illud explanandum veterum dictum facere præterea videntur. Quorum est hoc unum, de privatis illos potissimum loqui ac nullo pronuntiandi interpretandive jure et auctoritate præditis hominibus, cujusmodi fere illi erant artifices hæresum, quos contra disputabant, qui ingenio suo plus quam prudenter deceret confisi, enarrandæ sibi scripturæ magisterium arrogabant, nec tam enarrandæ quam multis ad eam additis depravandæ, ad suam ipsorum perditionem, ut Apostolus Petrus loquitur »... Huc spectant, quæ Origenes habet in Matth. tract. xxv., Basilius in ascetic. de fide n. 1. et Chrysost. in ps. xcv.

(1) Ita Aug. cont. Crescon. l. I. c. xxxiii. Illo sensu patrum dicta tum accipienda potissimum videntur, quum de demonstranda veritate christiana agunt, ut Athanas. or. cont. gen., ep. ad Epictet.

(2) Vix habetur, cui acrius insistere soleant traditionis osores, quam Cyrillo hierosolymitano : sed quod ad hunc nominatim attinet, præter animadversa prius, conferri apte possunt, quæ apud ipsum de traditionibus leguntur catech. iii. 3. iv. 14. xii. 34. xiii. 36. xviii. 16. xx. 3. xxi. 8., e quibus licet plura ad dogmaticas traditiones non spectent, alia tamen connumerari illis omnino debent.

spicue non docuerit. Id enim persuasum antiquitati universæ erat, absque testium jugi successione et authentico ejusmodi, quod asseruimus, magisterio regnum Dei, quod regnum veritatis est, durare propagarique non posse, atque traditione rejecta fontem salutaris doctrinæ paulatim exarescere oportere penitus. Veterum ergo dicta detorqueri ita non debent, ac si iidem exclusa omni traditione divina eaque dominica et divino-apostolica, unis ac solis scripturis fontes revelatæ veritatis ac fidei christianæ circumscripsissent.

CAPUT II.

DE PRÆSIDIIS, PER QUÆ TRADITIO INFALLIBILITER INNOTESCIT.

123. Vis maxima oppositionis in quo reponitur.

123. — At si mens eorum, qui traditionem nullius pretii in re religiosa esse contendunt, paulo diligentius consideretur, facile intelligitur, vim maximam oppositionis neque in scripturis neque in dictis Majorum reponi, sed illud ab iisdem maxime urgeri, traditionem oralem non posse esse genuinum probandæ cognoscendæque fidei medium. Fatentur illi (1) et ultro concedunt, si quid a Christo et Apostolis traditum certo constaret, recipiendum id absque dubio esse. Verum hoc semet ad traditiones rejiciendas maxime permotos affirmant, quod ea, quæ Christus et Apostoli locuti sunt, ore tantum et absque scripturis pura et incorrupta (2) ad nos deduci neutiquam possint : eo quod in tanta rerum vetustate nequeant certa ab incertis, vera a falsis, divina ab humanis secerni, quodque factum propterea sit, ut admissa præter verbum scriptum traditione orali, non parum detrimenti puritas divinæ fidei passa sit.

(1) De antiquioribus lutheranis cf. Melch. Can. de loc. theol. l. III. c. 1.

(2) Ita Twesten, prælectt. de dogmat. eccles. evangelico-protestant. tom. I. p. 288. Sed hac phrasi clarus quoque Moehler de unitate ecclesiæ p. 60. opusculo immatura ab illo ætate conscripto, incautius certe incorrecteque usus est scribens : « Sine sacra scriptura in sua puritate simplicitateque christianam doctrinam non fuisse servatam : » quibus traditionis inimici non absque pompa quadam abutuntur. Frustra tamen : aliud namque hominis theologi est opinio, ut secundum Canum loquamur de loc. theol. l. VIII. c. IV., aliud decretum ecclesiæ vel doctrina theologiæ.

124. Opponentes ad quæ attendere debuissent?

124. — Quæ si vera forent, actum profecto de divina traditione esset : negatur enim vel ipsa constantis traditionis possibilitas. At vero præter ea, quæ de tali possibilitate non tantum, sed de ejus convenientia, probabilitate, et in instituto providentiæ ordine necessitate dicta sunt : animadverti debet, qui sic, quemadmodum innuimus satius quam explicavimus, argumentantur, eos non attendere

1) ad causam, qua de agitur quæque spectat ad rem societatemque religiosam, et quidem divinitus protectam divinitusque fundatam ; non attendere,

2) divinæ providentiæ sapientiæque possibile esse omne verbum, quod impossibile hominibus est (1), et haud esse difficilius, posse integrum incorruptumque ad nos, quantacunque sit longinquitas temporis, deducere divinum traditionis verbum, ac providentia eadem factum fuisse adversarii contendunt ac usque fieri, ut sacri libri ad nos integri incorruptique transmitterentur ; neque præterea attendere,

3) non defuisse nec deesse omnino suas causas easque divinitus positas, neque media deesse, subsidia, adminicula per quæ divina traditio conservaretur pura et a quavis corruptela immunis, et quorum ope constare de divina traditione possit vel debeat cum omni certitudine. Sunt autem illa non unius ejusdemque rationis, sed alia vim habent præsidiorum dogmaticorum, infallibilis medii alia, alia regularum catholicarum sive ecclesiasticarum, et theologicarum normarum alia : de quibus jam data opera sermo instituetur.

125. Christus Jesus præsidia ordinavit, quorum vi verbum divinum traditum infallibiliter hauriretur.

125. Profecto Sapientia æterna, Christus Jesus, fidei nostræ auctor, qui sua providentia disponit omnia suaviter et a fine usque ad finem attingit (2) fortiter, is quum traditionem voluerit fontem esse ac domicilium revelatæ veritatis, infallibilia, ut probatum est (3), atque perpetua illius organa ordinavit, per quæ verbum traditum custodiretur integrum

(1) Luc. I. 37. XVIII. 27. coll. Matth. XIX. 26., Marc. X. 27. XIV. 36.

(2) Sap. VIII. 1. Διατείνει δὲ ἀπὸ πέρατος εἰς (al. ἐπὶ) πέρας εὐρώστως (al. εὐρώστερος), καὶ διοικεῖ (al. διοικεῖται) τα πάντα χρηστῶς.

(3) Vide explicata ac probata superius de testibus fidei.

et incorruptum jugiter. In his porro ipsis tutissima quoque præsidia habentur, quorum vi ac ope idem verbum ab unoquoque cum omni certitudine possit et etiam debeat hauriri, et tanquam Dei ipsius verbum ab omni humana sive sapientia sive insipientia infallibiliter distinctum prorsus agnosci. Id quod hac complexione explicasse juverit :

THESIS XIX. *Suppetunt præsidia, quibus divinæ atque apostolico-divinæ traditiones infallibiliter cognoscantur. Hæc inter priori loco censeri debet singulis editum ætatibus testimonium judiciumve testium authenticorum.*

126. — DEMONSTRATIO. Id colligitur ex dictis probatisque (1) superius : nimirum colligitur ex statutis circa traditionem perpetuum fidei fontem et locum, e quibus ita argumentari licet : 126. Demonstratio.

I. Singulis ætatibus verbum Dei continetur traditione divina, id est, dominica atque divino-apostolica; atqui singulis ætatibus suffragium testium authenticorum de verbo Dei est præsidium ad illud cognoscendum infallibile (2); singulis ergo ætatibus suffragium testium authenticorum de traditione divina (3) est infallibile ad illam cognoscendam præsidium. I. Thesis colligitur ex præcedenter statutis.

127. — Quod II. adeo verum est, ut ex præstitutis verbum Dei traditum non differat (4) ab eo, quod singulis ætatibus tanquam revelatum ab authenticis testibus prædicatur fidelibusque credendum proponitur; ergo testium authenticorum prædicatio ac credendorum propositio quum infallibilis exsistat, plane consequitur, infallibile verbi divini posteris tradendi ac traditi præsidium censendum esse testium authenticorum contestationem, sive hæc fiat simplici et ordinario testimonio, sive solemni singularique judicio. II. Eadem conclusio alio pacto eruitur ex disputatis in priori parte de auctoritate testium.

(1) Cf. in primis exposita prius de testium consensione.

(2) Cf. demonstrata prius de testibus.

(3) Quod ita pariter exponere licet : unanime testium singulis ætatibus de revelatione testimonium est infallibiliter verbum Dei ipso eorundem testimonio comprehensum; via ergo ac ratio infallibilis cognoscendi verbum traditum singulis ætatibus comprehenditur unanimi testium suffragio, sive hoc edatur communi atque ordinario testimonio sive singulari solemnique judicio.

(4) Cf. paulo prius probata.

128. Perinde est sive testes collecti sive dispersi testimonium edant.

128. — Hæc profecto iis omnibus constant, quæ superius disputata de testibus eorumque in testando auctoritate comperta habentur : ostendimus enim, a testibus singulis ætatibus plenum perfectumque ac infallibile testimonium revelationis christianæ edi. Ubi illud considerari debet, perinde esse ac minime ad rei caput pertinere, sive testes suffragium suum collecti sive dispersi atque in suis quisque cathedris præsidentes tulerint. Quæ egregie confirmat nomine sanctorum patrum beatus Augustinus (1) iis, quæ Juliano reponit : « Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent facile illic tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt ; sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab oriente et occidente congregatos vides ; non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem. » Scilicet testium conspiratio in unum eorumque proinde in re religiosa infallibilitas (2) a loci, ubi suum ferrent suffragium, unitate nullatenus dependet. Idipsum romanorum pontificum nomine declaravit sanctus Cœlestinus papa (3) in epistola data ad synodum ephesinam scribens : « Hæreditario, inquit, in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicunque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur : « Ite, docete omnes gentes : » advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, et omnes nos id agere voluit, quibus in commune mandavit officium ; necesse est, ut competenter nostros sequamur auctores ; subeamus omnes

Hac de re adfertur Augustini diserta sententia.

Idem declaravit Cœlestinus I.

(1) Cont. Jul. l. II. c. ult. Similia repetit l. III. c. 1.

(2) Cf. probata de testibus, tum quæ de unitat rom. probata dedimus l. II., quæque Orsi disputat. de rom. pontif. pp. 10. sqq.

(3) Cœlestini I. ep. ad synod. ephes. ap. Harduin concil. collect. tom. I. col. 1467.

eorum labores, quibus omnibus successimus in honore. Præstamus eorum diligentiam prædicatis : post quæ, monente Apostolo (1), nullam prædicationem jubemur adjicere. Non est minor tradentis officio custodia traditorum. Illi jecerunt fidei semen, nostra hæc sollicitudo custodiat, ut incorruptum et multiplicem fructum nostri patrisfamilias adventus inveniat, cui soli utique Apostolorum assignatur ubertas. Loquente namque electionis vase (2), plantare et rigare non sufficit, nisi Deus dederit incrementum. Agendum igitur nunc est labore communi, ut credita et per apostolicam successionem hucusque detenta servemus. Illud enim a nobis petitur, ut secundum Apostolum ambulemus. Non enim nunc species, sed fides nostra vocatur ad causam... Omnes nunc ibi positos beatus Paulus Apostolus monet, ubi (3) Timotheum remanere mandavit. Idem igitur locus, eadem causa etiam modo ipsum requirit officium. Nos quoque nunc agamus et studeamus illud, quod (4) agendum tunc ille suscepit : Ne quis aliter sentiat, et quæstiones præstantibus maxime fabulis ne quis intendat. Ut ipse præcipit, simus unanimes, unum, quia sic expedit, sentientes; nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam agere gestiamus. Una anima cum uno corde sit cunctis (5), quandoquidem fides, quæ est una, pulsatur: » scilicet, prærogativæ, quibus Christus Dominus apostolicam missionem instruxit, ad successorum quoque omnes gentes docentium officium prædicationemque porriguntur.

III. Thesis confirmatur modo testandi testium constante.

129. — Quemadmodum III. singulis ætatibus habita semper (6) est velut aliena a verbo divino quævis doctrina a suffragio testium authenticorum dissona : ita, si quando testes authentici (7) communi vel etiam modo quodam solemniori

(1) Gal. I. 6. sqq., quæ Cœlestinus non de scripturis, sed de traditione explicat.

(2) I. Cor. III.

(3) I. Tim. I. 3.

(4) I. Tim. I. 4. IV. 7.

(5) Philipp. II. 2. sq.

(6) Cf. superius allata plus semel, tum quæ habet pro oriente Theophil. ad Autol. II. 14., pro occidente Leo M. ep. 184. ad Leon. August.

(7) De conciliorum vi et auctoritate infallibili videsis Thomassin l. c. pp. 114. sqq.

(quod in conciliis potissimum œcumenicis contigit) suffragium suum de verbo Dei ediderunt, neque aliter illud edidere neque receptum aliter fuit, ac veluti suffragium humano-divinum, authenticum juxta ac infallibile omnino, et ad quod pertinerent (1) apostolica illa : « Visum est Spiritui sancto et nobis. » Ita sanctus Athanasius (2) scribens : « Necessario tibi fidem Nicææ, patrum confessionibus confirmatam tuæ religioni absque mora porrigere studuimus, considerantes damnum, quod populis adfert hujusmodi impietas, ut tua pietas et ea, quæ ibi exactissime scripta, et quantum errent illi, qui aliter sentiunt, intelligeret. Cognosce itaque, religiosissime Auguste, hanc esse, quæ ab ævo prædicata fuit, et quam Nicææ congregati patres confessi sunt, ejusque suffragatrices esse omnes omnibus in locis ecclesias sive in Hispania sint sive Britannia, Gallia, Italia universa, Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia, sive universa Græcia, universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphy-

S. Athanasius.

(1) Act. xv. 28.

(2) S. patris nostri Athanasii archiep. Alexandriæ ad Jovianum de fide nn. 1. sq. opp. tom. II. ed. Migne gr. pp. t. xxvi. col. 816. Ἀναγκαίως, θεωρήσαντες τὴν τῆς ἐκ τοιαύτης βλασφημίας βλάβην γινομένην (al. γενομένην) κατὰ τῶν λαῶν, ἐπιδοῦναι τῇ σῇ εὐλαβείᾳ τὴν ἐν Νικαίᾳ ὁμολογηθεῖσαν πίστιν ἐσπουδάσαμεν, ἵνα γνῷ σου ἡ θεοσέβεια ἃ μετὰ πάσης ἀκριβείας γέγραπται, καὶ ὅσον πλανῶνται οἱ παρὰ ταύτην διδάσκοντες. Γίνωσκε γὰρ, θεοφιλέστατε Αὔγουστε, ὅτι ταῦτα μὲν ἐξ αἰῶνός ἐστι κηρυττόμενα, ταύτην δὲ οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες ὡμολόγησαν πατέρες, καὶ ταύτῃ (al. ταύτης) σύμψηφοι τυγχάνουσι πάσαι αἱ πανταχοῦ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι, αἵ τε κατὰ τὴν Σπανίαν, καὶ Βρετανίαν, καὶ Γαλλίας, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης, καὶ Δαλματίας, Δακίας τε καὶ Μυσίας, Μακεδονίας, καὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος, καὶ κατὰ τὴν Ἀφρικὴν πάσαν, καὶ Σαρδανίαν, καὶ Κύπρον, καὶ Κρήτην, Παμφυλίαν τε καὶ Λυκίαν, καὶ Ἰσαυρίαν, καὶ αἱ κατ' Αἴγυπτον καὶ τὰς Λιβύας, καὶ Πόντον καὶ Καππαδοκίαν, καὶ αἱ πλησίον ἡμῶν καὶ αἱ κατὰ ἀνατολὰς ἐκκλησίαι, παρ' ἐξ ὀλίγων τῶν τὰ Ἀρείου φρονούντων. Ἁπάντων γὰρ τῶν προειρημένων καὶ πεῖραν ἐγνώκαμεν τὴν γνώμην, καὶ γράμματα ἔχομεν. Et ne quis existimet, Athanasium in parum rationabili illorum sententia fuisse, qui ad infallibilem et irreformabilem decretorum conciliarium vim exigunt unanime omnium pastorum et doctorum suffragium, subdit validissimus orthodoxiæ vindex : « Nec vero te fugit, piissime Auguste, tametsi pauci quidam huic fidei adversantur, præjudicium tamen facere non posse, quippe cum orbis universus, apostolicam fidem retineat. » Καὶ οἶδας, ὦ θεοφιλέστατε Αὔγουστε, ὅτι, κἂν ὀλίγοι τινὲς ἀντιλέγωσι ταύτῃ τῇ πίστει, οὐ δύνανται πρόκριμα ποιεῖν, πάσης τῆς οἰκουμένης τὴν ἀποστολικὴν πίστιν κρατούσης.

lia, Lycia, Isauria, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia; itidem quotquot nobis vicinæ sunt, nec non et orientis ecclesias, paucis admodum exceptis, quæ arianicæ opinionis sunt. Omnium enim istorum et adhuc longinquorum mentem experimento cognovimus, eorumque scripta habemus. » Atque ita magnus Basilius (1) scribens : « Justius est autem res nostras judicari non ex uno alterove non recte in veritate ambulantibus, sed ex multitudine episcoporum, qui nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam conjuncti sunt. » Et postquam provocarit ad episcopos variarum Asiæ, Europæ, Africæque provinciarum, pergit : « Ex quibus litteris tum quæ illinc efferuntur, tum quæ rursus vice versa hinc ad ipsos mittuntur, discere vobis licet, non omnes esse unanimes idemque sentire. Quapropter communionem nostram qui refugit, sinceritas vestra noverit, eum sese a tota ecclesia separare. » Agebatur porro de vera fide Basilii, quæ a neocæsariensibus in dubium vocata fuerat. S. Basilius M.

130. — Atque denique IV. idem data opera vaticanum concilium (2) declaravit : « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. » Quæ est diserta rei, qua de agitur, pro tota ipsius amplitudine declaratio, eaque authentica itemque infallibilis. IV. Rem diserte declaravit concilium vaticanum.

131. — Non levia porro sunt, quæ inde sua veluti sponte fluunt corollaria. 131. Corollaria.

132. — COROLLARIUM I. Traditio ergo ut et exsistat et 132. Corollarium I.

(1) Ep. 75. al. 204. ad neocæsar. n. 7. Δικαιότερον δὲ τὰ καθ' ἡμᾶς κρίνεσθαι μὴ ἐξ ἑνὸς ἢ δευτέρου τῶν μὴ ὀρθοποδούντων πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἐκ τοῦ πλήθους τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐπισκόπων συνημμένων ἡμῖν χάριτι τοῦ Κυρίου..... Ὧν ἔστιν ὑμῖν ἐκ τε τῶν ἐκεῖθεν φερομένων γραμμάτων μαθεῖν καὶ ἐκ τῶν ἐντεῦθεν πάλιν ἀντιπεμπομένων αὐτοῖς διδαχθῆναι, ὅτι σύμψυχοι πάντες ἐσμὲν, τὸ ἓν φρονοῦντες. Ὥστε ὁ τὴν πρὸς ἡμᾶς κοινωνίαν ἀποδιδράσκων μὴ λανθανέτω ὑμῶν τὴν ἀκρίβειαν, πάσης ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας ἀπορρήγνύς. Atque ita August. de bapt. II. 3. 4. aliique ap. Thomassin. tom. III. p. 82. Opportuna habet etiam Bossuet de traditione opp. tom. XVIII.

(2) Constitut. dogmat. de fide catholica ed. in sess. III. cap. III.

conservetur et absque formidine ab omnibus fidelibus cognoscatur, habet ut ὄργανον testes, et uti præsidium tales doctores et judices, quales eosdem illos dispensatione divina, ut cum Augustino loquamur (1), institutos (2) probavimus.

133. Corollarium II. 133. — COROLLARIUM II. Sunt ergo testes cum traditionis organum, tum præsidium: quatenus organum sunt, deposita apud eos vel in iis reposita est norma fidei objectiva; quatenus præsidium sunt, sita in iis est regula fidei directiva.

134. Corollarium III. 134. — COROLLARIUM III. Est porro ejusmodi præsidium, ut ex demonstratis ipsaque ejus indole patet, dogmaticum; est sociale, pro omnibus fidelibus, idque non sufficiens modo, sed, hominum conditione Deique institutione spectata, necessarium, itemque catholicum, tum quod pro omnibus Christi fidelibus sit, tum quod omnes fideles obliget; est tandem generale, quatenus in consensione omnium testium authenticorum situm est.

135. Corollarium IV. 135. — COROLLARIUM IV. Quæ ergo societates vel fidelium communiones authenticos ejusmodi testes rejiciunt, hæ infallibili speciatim verbi traditi et generatim totius verbi divini cognoscendi præsidio eoque catholico ac necessario destituuntur. Eo autem spectant communiones novatorum omnes, qui ut traditionem tanquam regulam objectivam rejiciunt, quod ex eorum confessionibus (3) liquet : ita præsidium regulamque directivam respuunt, ut declaravit (4) Schenkell : « Veritas evangelica ad sui conservationem nullo indiget speciali extrinseco instituto (seu testium œconomia); imo extrinsecum institutum illam obscuravit et evertit; illa porro nec quoad conservationem nec quoad explicationem pendet ab ecclesia ejusque munere. »

136. Generali præsidio alterum accedit particulare. 136. — Generali porro huic præsidio alterum, quod particulare est, accedit, quod in paucioribus collocatur, quorum

(1) L. s. c.

(2) Videsis exposita de testibus fidei.

(3) Cf. Niemeyr. collect. confess. reform. coll. Mayer. lib. symb. Luth.

(4) Ap. Edmund. Joerg hist. protestantismi, ubi de Schenklii responsione data Stahlio, qui statuerat, ad veram fidem in hominibus producendam, munus esse ecclesiæ, totam fidem in sua veritate conservandi.

suffragio reliquorum generatim omnium sententia vel doctrina comprehenditur atque cognoscitur. Itaque

THESIS XX. *Censeri deinde Majorum auctoritate ejusmodi præsidium debet concors illarum ecclesiarum prædicatio atque sententia, quæ proprie ac presse apostolicæ nuncupantur.*

137. — DECLARATUR. Hæc tanquam vera ostendi nequeunt, nisi prius ratio apostolicæ ecclesiæ exponatur. Itaque quum in symbolis simpliciter profiteamur : « Credo ecclesiam apostolicam, » et quum simpliciter verum sit, ecclesiam esse super Apostolos ædificatam (1) : consequitur, universim veram Christi ecclesiam, id est, ecclesiam Christi acceptam per modum, ut aiunt, unius apostolicam esse esseque debere. Id tamen non impedit, quominus spectata historica singulorum seu particularium cœtuum ecclesiasticorum origine, aliæ quidem ecclesiæ eæque Apostolorum prædicatione collectæ sint dicanturque proprie ac presse, immediate atque per sese apostolicæ; aliæ vero primum ab illis et ab aliis per successionem postea institutæ, quæ adeo a prioribus traducem fidei formamque vitæ christianæ ac disciplinæ acceperunt, vere quidem, sed laxius, mediate et per illas propterque priores illas apostolicæ (2) dicantur et sint.

137. Declaratur discrimen inter ecclesias presse et laxius apostolicas.

138. — Insignis est Tertulliani doctrina, qua ad rationem ecclesiæ apostolicæ duo requirit, tum fidem apostolicam, tum apostolicam fundationem cum successione non abrupta. Illam, fidem scilicet, instar formæ habet, collectam multitudinem instar materiæ; illa proinde fit, ut ubi ipsa inveniatur, ecclesia præferat faciem rationemve ecclesiæ apostolicæ; attamen nuspiam hanc reperiri significat, nisi in cœtibus vel immediata vel mediata institutione ab Apostolo aliquo derivatis, id est, per successiones sive rectas, sive obliquas pastorum ad Apostolum aliquem revocatis. E quibus consequitur, ecclesiam apostolicam pressius acceptam duo

138. Exponitur ex Tertulliani doctrina duo requiri ad rationem ecclesiæ apostolicæ.

(1) Ephes. II. 20.
(2) De præscriptt. c. XX.

dicere vel requirere, alterum, quod materiale est, ut sit ab Apostolo aliquo immediate fundata; alterum, quod formale est, ut apostolicam fidem caritatemque acceperit ac porro conservet. Apostolica autem laxius ea est, quæ licet parte materiali destituatur ac mediate tantum ad Apostolos revocetur, formaliter tamen fidem caritatemque apostolicam habet.

139. Demonstratio thesis.

139. — DEMONSTRATUR. Quibus prænotatis quod ad rem demonstrandam ipsam jam attinet, huc faciunt,

I. E diserto directoque suffragio Majorum.

I. quæ diserte directeque docet de illius veritate suffragium Majorum et universæ quidem antiquitatis. Etenim rei testis est Irenæus plena disputatione (1) e qua plura superius adducta exploratum faciunt, hanc certissimam fuisse mentem altero sæculo in oriente æque ac in occidente, cujus utriusque ille fidem suo testimonio perhibet. Testis porro ab Irenæo hac in causa non avellendus est Tertullianus (2) integris pariter disputationibus, quibus idem plane, quod a nobis statuitur, probat, et siquidem præsidii nomen a nobis adhibitum in regulæ vocem mutaveris, ad unguem, quod probatum volumus, expressum habetur. « In orbem profecti (Apostoli) eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ ceteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant; ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima (al. primæ) et Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis :

Irenæus.

Tertullianus.

(1) Adv. hær. l. III. cc. III. sq. Quibuscum omnino conveniunt, quæ ex Hegesippi commentariis narrat Euseb. h. e. IV. XXII. frequentatas nimirum ab illo ecclesias fuisse, quas fundarant Apostoli, ut ab iisdem apostolicam disceret doctrinam.

(2) De præscriptt. cc. XX. sqq. et contra Marc. IV. 5 de quibus cf. Christ. Lup. in scholiis ad cc. XX. XXXVI.

quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti (1) una traditio. » Tum infert capite sequenti : « Hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi et Dei... Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli (al. nulla) doctrina diversa : hoc est testimonium veritatis. » Ab hac autem trutina, qua Tertullianum tam victoriose usum esse deprehendimus, insequentes ætates nullatenus recessisse, docent apud syros Ephrem (2), apud armenios Isaac illorum patriarcha (3), apud græcos Basilius (4), et apud latinos Augustinus (5) quique eum sequi solebant, concordes in eo omnes, apud eas ecclesias tutissime quæri veritatem fidei, quæ ab ipsis Apostolis institutæ continuata antistitum serie gubernantur et in unitate fidei caritatisque cum aliis apostolicis pariter ecclesiis conservantur.

140. — Præterea II. eodem faciunt, quæ ab iisdem Majoribus virtute docemur et indirecte. Nam ratum iisdem fuit, II. Argumento indirecto. —

(1) Hoc est, adnotat Rigalt., ejusdem symboli seu regulæ, ejusdem fidei.

(2) Apud Asseman. biblioth. or. tom. I. p. 129.

(3) Invectiva 2. adv. suos.

(4) In c. II. Is. coll. Theodor. stud. in fragment. cont. Michael. imp. Porro istorum testimonium vel ipsa theodosiana legislatio confirmat. Nam l. XVI. tit. I. capite de summa trinitate id tenendum præcipitur, quod ut supremam credendi normam constiterit a catholica romana et alexandrina ecclesia doceri. De his vero deque objectis difficultatibus conferantur fratres Ballerinii de vi ac ratione rom. pontif.

(5) Ep. 161. ad Honoratum donat., cont. Faust. l. XXVIII. II, et de doct. christ. II. VIII., ubi inter catholicas ecclesias primum locum cumque necessarium illis concedendum affirmat, quæ apostolicæ sedes sunt et epistolas (de quarum origine agebatur) ab Apostolis habere meruerunt. Eodem spectant Agobard. lugdun. de eccles. et polit. regim. comparat. atque Fulgent. de trinit. ad Felic. nolan. c. I.

Doctrina Majorum affertur de necessitate communionis cum ecclesiis apostolicis.

servari non posse catholicam unitatem citra communionem cum ecclesiis apostolicis. Ita Augustinus (1) : « Si autem tu a me quæras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, objicio schismatis crimen : ego autem statim probabo; neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis. Hic dicturus es : « Non communico traditoribus et homicidis : » respondet tibi semen Abrahæ : « Hæc sunt illa crimina vel non vera vel non mea. » Sed hæc interim sepono; tu ostende ecclesiam. » Similia scribit ad Honoratum (2) : recensitis enim ecclesiis ab Apostolis per orbem fundatis, subdit : « Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare, manifestum est, sicut manifestum est vos istis ecclesiis non communicare. » Ideoque colligit, donatianos non esse in ecclesia catholica. Ad quæ respiciens Pelagius primus (3) hæc commemoratione dignissima scripsit : « Beatissimus Augustinus dominicæ sententiæ memor fundamentum ecclesiæ in apostolicis sedibus collocavit. In schismate esse dicit, quicunque se a præsulis earundem sedium auctoritate vel communione suspenderit. Nec aliam manifestat esse ecclesiam, nisi quæ in pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus. » Quibus gemina repetit (4) in litteris datis ad Viatorem et Pancratium : « Sicut beatus Augustinus dicit : « Omnis catholicus securus eam partem detestatur, cui ecclesiam universalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. » A qua insigni primi Pelagii doctrina non debet avelli alterius Pelagii (5), cui sanctus Gregorius magnus a secretis fuisse perhibetur (6), sententia : « Beatus Augustinus in his ait Dei ecclesiam esse constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem præsulum præsidere noscuntur. »

(1) Cont. litt. Petil. I. II. c. XVI.

(2) Ep. 49. al. 161. vel 102. n. 2. opp. tom. II. ed. Mign. lat. pp. t. XXXIII. col. 189. : Honorato ep. partis Donati Augustinus ep. ecclesiæ catholicæ : in qua epistola egregia habetur notæ, quam apostolicitatis vocant, expositio.

(3) In litteris ad Tusciæ episcopos.

(4) Ep. ad illustres viros Viator. et Pancrat.

(5) Ep. ad Eliam aquilei. episc.

(6) Cf. hist. eccles. viri admodum reverendi et clari, J. E. Darras. t. XV. pp. 127. sqq.

141. — Jamvero fieri nequit (1), ut absolute necessarium sit, cum ecclesiis communicare, quæ a veritate divinæ traditionis potuerint discedere; ratum ergo Majoribus fuit, inter ea, quæ juxta divinam œconomiam fieri nequeunt, id esse connumerandum, ut omnes ecclesiæ apostolicæ una deficiant a veritate divinæ traditionis. Concors ergo illarum suffragium haberi debet ut argumentum præsidiumque securum, ut ait sanctus Pelagius papa, id est, contra errorem falsitatemque securum ad traditiones divinas absque errandi periculo cognoscendas. Videlicet, quum ad illas ecclesias, uti ad originales, centrales, imo et principiales auctore Tertulliano, qui totius antiquitatis mentem sententiamque exprimit, reliquarum omnium ecclesiarum fides ac caritas revocatur revoceturque oportet; qui earundem fidem sententiamque de traditione divina cognovit, is absque dubio cognovit genuinam veritatem.

141. Ostenditur ejusmodi doctrina virtute contineri quod thesi assertum est.

142. — Veruntamen sicuti præsidium primum, de quo disseruimus, parum foret commodum, si singulæ ubivis ecclesiæ adiri et explorari singillatim deberent, neque compendia propemodum exsisterent aliqua, quibus ἀνακεφαλαιώσει quadam omnes veluti in fonte ac principio, capite vel centro colligerentur, adeo ut idem esset, nosse illorum et nosse universorum doctrinam ac fidem : ita licet paulo incommodum minus, parum tamen foret expeditum minusque efficax alterum istud præsidium, si ex apostolicis ecclesiis deficere ac cessare aliquæ vel plures possent, neque statuta præsidii vis ac ratio apud eas vel eam maneret, quæ deperditis aliis durant vel durat, atque successione continua suorum præsulum gubernantur vel regitur. Atqui ita res omnino habet. Quod ne dubitetur, facit hæc præclarissima in concilio VIII. consignata (2) doctrinæ, quam Bahanes patricius jussu Basilii imperatoris ex sententia legatorum romani pontificis, suffragantibus orientalium quoque sedium præsulibus, ad Theodorum, qui dicitur Crithinus, iconomachum missus ita exposuit : « Bahanes magnificentissimus patricius

142. An statuta præsidii ratio, aliis ecclesiis apostolicis deperditis, apud eas vel eam maneat, quæ durant vel durat.

Hac de re præclara consignatur doctrina in concilio VIII.

(1) Cf. de his. quæ disputavimus alibi, præcipue de unitate romana l. I.
(2) Act. VIII. ap. Harduin. tom. V. p. 880.

et præpositus dixit (ad Theodorum) : Imperator noster sanctus non vos adduxit ad hanc sanctam et universalem synodum ad disputandum, sed ad commonendum. Nam utique nostis, quia Paulus (1), Christi os, liquido monet, omnem hæreticum ab una et secunda admonitione devitare : tu autem (Theodorus scilicet iconoclasta) senescens in malitia tua et sciens in omni certitudine (2) tenebras, in quibus es, in lumine ignis tui (3) ambulabis, audiens ex quadrifido terrarum orbe, justo decreto sacrorum canonum anathematis damnationem : quo enim fugies? vel quo ibis? Posuit Deus ecclesiam suam in quinque patriarchiis et definivit in evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod capita ecclesiæ sint. Etenim illud, quod dicitur : Et portæ inferi non prævalebunt (4) adversus eam; hoc denuntiat : quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo; quum vero quatuor forte (5) ceciderint, unum, quod permanet, in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus ecclesiæ. Nunc autem toto terrarum orbe concordante, non habes excusationis modum, quemadmodum olim factum est. Reversis vero magnificentissimis judicibus, lectæ sunt voces Theodori, qui dicitur Crithinus, in audientia synodi voce majori; et dixerunt sanctissimi vicarii senioris Romæ et orientalium sedium : Legatur sanctissimi Nicolai papæ capitulum de imaginibus. Et accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius legit. » E quibus intelligitur, in oriente pariter ac in occidente acceptum pervulgatumque fuisse, in apostolicis sedibus utpote reliquarum fontibus ac centris, e quibus ad alias lumen emanavit sinceræ fidei atque vinculum caritatis seu

Rationes innuuntur, cur præsidium hoc in maximo fuerit pretio.

(1) II. Tim. III. 5. quodsi Paulus est os Christi, profecto verbum ejus verbum apostolico-divinum est.

(2) His describitur pertinacia hæretici atque ratio adeo formalis hæreseos, de quibus cf. quæ in com. de theologia generatim disputavimus circa censuras theologicas.

(3) Is. L. 11.

(4) Matth. XVI. 18.

(5) Quod facta tantum hypothesi atque conjectura duntaxat aliqua admisit Bahanes, id non longe post deprehenditur in thesim conversum atque in consummati facti veritatem.

communionis, collocatum fuisse utriusque habendæ præsidium; præsidium hoc irrefragabile habitum esse, utpote veritatem apostolicam necessario præferens et evidenter; idemque in controversiis dissidiisque orientalibus maxime adhibitum, utpote et ipsam præferens apostolicam antiquitatem orientis, et universalem totius orientis consensionem, et consonum apprime cum vulgato ejusdem orientalium hierarchico jure dilectisque sibi ecclesiæ canonibus. Hinc apparet, cur præsidium hoc in maximo fuerit pretio, sive consideretur historice, sive theologice, sive polemice.

143. Estne idem constans ac perpetuum, et quidem quo sensu?

143. — Sed estne idem constans ac perpetuum? Si spectetur materialiter, ut in scholis loquuntur, sive præ numero apostolicarum ecclesiarum, perpetuum illud non est; sin formaliter præque asserta illis vi, perenne est, quatenus forma vel ratio traditionis ab Apostolis propagatæ ac repetitæ perpetuo flagitat ex veterum doctrina formam rationemque ecclesiæ, quæ ab Apostolis ipsis primum profecta propagataque sit. Est itaque illud perpetuum, ita tamen ut perpetuitas hæc referenda necessario non sit sive ad singulas illas distributive Apostolorum sedes, sive ad eas omnes collective, sed certe ad singularem quandam eamque unam et solam. Atque hoc est, quod impedit, quominus in dubitationem (1) a quopiam advocetur, præsidii expositi vim, pluribus licet apostolicis ecclesiis intereuntibus, superstitem jugiter manere. Sed de his jam accuratius.

144. De assignato a Majoribus præsidio compendioso ad divinam traditionem ab omnibus fidelibus certo cognoscendam.

144. — Si veterum monumenta paulo diligentius pervestigentur, ut quænam antiquitatis sententia fuerit de revelata veritate generatim ac speciatim de divina traditione ecclesiæque fide cognoscatur : hoc apparet, in ea mente Majores ac persuasione constanter fuisse, criterium præsidiumque plane certissimum talis cognitionis fidelibus christianis nullatenus deesse, sed præsto esse omnibus, et brevissimo quidem compendio. Neque enim illud in ipsis ecclesiarum præsidibus duntaxat sive omnibus simul, sive pluribus tantum, qui tamen præ reliquis vel capitum instar, vel instar centrorum

(1) Cf. Orsi de rom. pontif. auctor. l. I. a. 2., quæque de unit. rom. disputata habentur.

ac fontium proxime saltem censerentur, collocabant; sed unico tandem, qui scilicet aliorum omnium verissimum caput esset, centrum atque principium totius catholicæ veritatis. Sane

THESIS XXI. *Sepositis in præsentia certis hypothesibus, infinite simpliciterque dicendum, in eundem præsidiorum censum e veterum doctrina referri debere judicium suffragiumque cathedræ Petri romanæque ecclesiæ.*

145. Declaratur quo spectet thesis.

145. — DECLARATUR. Non quæritur nunc speciatim de singulis romanæ sedis prærogativis, neque directe eam illius perfectionem probandam adgredimur, quæ cum ratione excellentiæ, qua illam insignem oculis modo objicimus, nexa consertaque intime est; sed quod ad rem nostram sufficit præsentisque tractationis œconomia requirit, historice tantum investigamus, fuerit necne constans Majorum doctrina, si controversia oriatur de verbo divino, sive scripto, sive orali, opportunissimum criterium tutissimumque veritatis præsidium in traditione veteris Romæ repositum censeri (1) debere.

146. Demonstratur.

146. — DEMONSTRATUR. Ita vero rem esse, colligitur

I. Thesis colligitur generatim per allata superius rationum momenta.

I. generatim per allata jam superius rationum momenta; scilicet colligitur

1) ex iis, quibus romana ecclesia inter apostolicas veluti principalis omniumque caput (2) distinguitur; adeo ut

2) cum ea maxime (3) necesse sit convenire, ad hoc ut formalis ratio ecclesiæ apostolicæ custodiatur; quibus apparet,

3) ad hanc, dum alia varient, constanter provocari, quoties fiat ad apostolicas ecclesias appellatio; et ita quidem, ut

4) dum ad apostolicas appelletur, vel illa nominetur sola (4)

(1) Vide Ballerin. de vi ac rat. primat. rom. pontif. c. XIII. et Christ. Lupum in schol. ad op. Tert. de præscriptt., deque unit. rom. l. s. c.

(2) Cf. hac de re com. de prærogat. S. Petri l. I. cc. XXV. sqq. evulgatum a Car. Passaglia, quum is adhuc S. J. esset adscriptus.

(3) De unit. rom. l. I.

(4) Ex his patet, eorum, quæ de apostolicarum ecclesiarum præsidio superius statuimus, sufficientem, supremam plenamque rationem ex præsenti ecclesiæ romanæ præsidio peti oportere.

vel una significata intelligatur. Scilicet, romana ecclesia est apostolica κατ' ἐξοχήν, inter apostolicas principalis, præ omnibus necessaria, et omnium fundamentum, ita ut pereuntibus reliquis sola ipsa sufficiat.

147. — Sed II. idem constat nominatim eo, quod solemne fuit Majoribus nostris, in controversiis de veritate revelata atque adeo de traditione, quæ suam a Deo haberet originem, ad judicium cathedræ Petri non secus provocare ac provocari ad archetypum solet necessariamque orthodoxiæ normam. Qua de re (1) audiendi sunt continuata serie præclare disserentes orientales æque ac occidentales ecclesiæ scriptores ac patres diligenterque vetusta illius evolvenda monumenta. Huc præ cæteris

II. Constat idem o doctrina Majorum de necessitate communionis cum cathedra Petri.

1) spectat sancti Irenæi disputatio insignis (2), qua a romana cathedra normam petit petendamque docet ad genuinam fidei traditionem cognoscendam. Spectat deinde egregia Tertulliani (3) sententia, felicissimam prædicantis romanam ecclesiam, quæ quum a pari Apostolorum principe fidei plenitudinem singulari prærogativa traxerit, tessera communis fidei exsistat. Pertinet præterea (4) Cypriani auctoritas, qui

1) Conspirant in hanc doctrinam antiquiores patres.

Irenæus. Tertullianus.

(1) Consule sis hac de re, quæ de unitat. roman. l. c. exposita sunt.

(2) Postquam l. III. c. III. n. 1. traditionem Apostolorum ab ecclesiarum apostolicarum antistibus ducendam docuit, n. 2. ita pergit: « Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis, traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, h. e., eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. » Quibus positis interpolatam nunquam præsulum in romana Petri cathedra successionem recenset, et transmissam per eosdem integritatem traditionis divinæ ac divino-apostolicæ demonstrat, adeo ut si quis hanc nosse desideret nulla alia disquisitione indigeat, quum romana prædicatione tutissima totum Dei verbum comprehendatur.

(3) Præscriptt. c. XXXVI. « Habes Romam, unde nobis quoque præsto est auctoritas. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt... »

(4) Ep. 35. coll. epp. 70. 73. coll. de unit. eccles. p. 76. « Hoc eo fit,

Cyprianus. Petri cathedram principalem prædicat, unde sacerdotalis (1) unitas exorta sit, ad quam perfidia accedere nequeat, et a qua desciscere idem sit ac hæresim gignere et schisma. A tanta antiquiorum conspiratione non recessere

2) Conspirat cum antiquioribus sequiores. Pacianus Optatus. 2) sequiores. Non recessit Pacianus (2) barcinonensis præsul, qui Cypriani premens vestigia universalis ecclesiæ unitatem et ipse a romana ecclesia repetit. Neque Optatus milevitanus (3) recessit, qui ut Petri cathedram primam habet in ecclesia Dei : ita eandem originem omnis potestatis, missionis, auctoritatis, fontem illam habet unitatis fidei, et centrum necessariæ omnibus communionis. Sed neque triumviri recesserunt illustrissimi Hieronymus (4), Ambrosius (5) atque Augustinus (6), qui in probata ab una romana sede traditione fidei agnoverunt firmamentum, veritatis conspexe-

Hieronymus. Ambrosius. Augustinus.

fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : « Ego dico tibi : Tu es Petrus, » etc.

(1) Sacerdotalis, hoc est, per excellentiam episcopalis unitas proficiscitur a cathedra Petri non secus ac circuli unitas a centro, a quo radii ad omnia totius peripheriæ puncta exeunt atque a singulis ad idem redeunt.

(2) Ep. 3.

(3) De schism. donat. adv. Parmenian. II. 2. sq. ed. Mign. II. pp. t. XI. coll. 947. sq. hæc celeberrima habet : « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in qua prima cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quique defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, » post quem summorum pontificum censum exhibet ad Siricium usque, « cum quo, pergit, nobiscum totus orbis commercio formatarum (i. e. communionis litterarum) in una communionis societate concordat. Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare. »

(4) Utraque epistola 57. et 58. al. 25. 26., c. Rufin. l. I, n. 4. et adv. Lucifer. ad calc. dial. ubi hæc : « Verum quia jam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque in hanc diem durat. » Atque his romanam digito ostendit.

(5) Ep. ad Satirum fratrem deque obitu illius or. n. 47. et in Ps. L. n. 30.

(6) Cont. Jul. l. IV., cont. ep. fundam. c. IV. n. 5., adv. Petil. III. LI., ad Generos. ep. 53. n. 2., de util. credendi c. XVII. et alibi.

runt argumentum, securum doctrinæ catholicæ sententiæque ecclesiarum omnium præsidium ac certissimum indicium. Ne quis vero hanc occidentalium duntaxat doctorum fideliumque persuasionem esse arbitretur, non sinunt

3) orientales : Epiphanius (1), qui romanorum episcoporum successione certam accuratamque veritatem et quidem semper ostendi affirmat; neque, ut omittamus alia de quibus alibi disputatum est (2), hæc sinunt Theodoreti (3), quibus supplex Leonem compellat : « Ego vero apostolici vestri throni expecto calculum (judicium seu sententiam), et oro atque precor sanctitatem tuam, ut provocatum me recto vestro et justo criterio juvet, et ad vos festinare jubeat, meamque doctrinam apostolica sequentem vestigia commonstret. » Tum allegatis suis, quæ eousque exaraverat, scriptis subdit : « Et facilius ex his est nosse, utrum indeclinabilem normam fidei tenuerim vel ejus rectitudinem fuerim transgressus. » A quibus sejungi ea non debent, quæ idem post alios allatos patres ad Leonis Magni ejusque sedis auctoritatem deveniens scribit (4) de integra humana Christi natura : « Et re quidem vera etiam is, qui nunc magnam Romam regit, et verorum dogmatum radios ab occasu ubivis diffundit, sanctissimus Leo, hunc nobis fidei characterem (h. e. regulam, formam) per proprias litteras proposuit. » Qui-

3) Conspirant cum occidentalibus orientales. Epiphanius. Theodoretus.

(1) Hær. VII. carpocrat. tom. I. p. 107. censum romanorum pontificum ex ordine diligenter præbet, atque ejus rei hanc affert causam : Καὶ μὴ τις θαυμάσῃ ὅτι ἕκαστα οὕτως ἀκριβῶς διήλθομεν· διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται.

(2) Cf. de unitat. rom. II. I. II.

(3) Ep. 113 ad Leon. Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην... καὶ ῥᾴδιον ἐκ τούτων καταμαθεῖν εἴτε ἀκλινῆ τὸν κανόνα τῆς πίστεως διετήρησα εἴτε τὴν τούτου παρέβην εὐθύτητα. Conferantur quæ nazianzenus in l. de vita sua de discrimine canit inter veterem novamque Romam, quo illam servare hanc autem perdere fidem significat.

(4) Ep. 145. Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ νῦν τὴν μεγάλην Ῥώμην ἰθύνων, καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων τὰς ἀκτῖνας ἐκ τῆς ἑσπέρας πάντοσε ἐκτείνων ὁ ἁγιώτατος Λέων τούτων ἡμῖν τῆς πίστεως τὸν χαρακτῆρα διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων προσήνεγκεν.

bus ad rem nihil præclarius desiderari potest : nisi forte insignius censeri illud debeat, quod

4) Conspirant in eadem professione præsules plus semel in unum congregati.

4) præsules in unum congregati plus semel de Petri suorumque successorum cathedra professi sunt. Atque huc sunt referenda,

a) Ea referuntur, quæ in concilio chalcedonensi disseruit Cecropius.

a) quæ in chalcedonensi synodo (1) disseruit Cecropius episcopus sebastopolitanus : « Emerserunt quæ ad Eutychen pertinent, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanæ urbis, et sequimur eum et epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt : Ista omnes dicimus, sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. » Et similia ibidem rursum postea repetuntur, quibus parallela sunt,

b) Quæ patres aquileienses ad imperatores scripserunt.

b) quæ ad Gratianum aliosque imperii principes synodus aquileiensis scripsit (2). Ita s. concilium, quod Aquileiæ convenit, affatur imperatores : « Cum igitur scriptum sit : Hæreticum post unam correctionem devita...., quomodo fieri potest, ut eum, quem societati eorum (arianorum) insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ judicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis romani caput romanam ecclesiam atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda commonitionis jura dimanant. » Addi his merentur,

c) Quæ acta sunt in concilio ephesino.

c) quæ Philippus presbyter in synodo ephesina dixit (3) : « Petrus enim fidei columna et ecclesiæ fundamentum per successores suos semper vivit; » et quæ iterum eadem synodo (4) patres scribunt : « Est enim vobis adeo magnis hoc

(1) Act. II. ap. Harduin. tom. II. p. 286. Ἀνεφύη τὰ κατὰ Εὐτυχέα· ἐπὶ τούτοις τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου καὶ στοιχοῦμεν αὐτῷ καὶ ὑπεγράψαμεν πάντες τῇ ἐπιστολῇ· οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν· ταῦτα πάντες λέγομεν· ἀρκεῖ τὰ ἐκτεθέντα· ἄλλην ἔκθεσιν οὐκ ἐξὸν γενέσθαι.

(2) Epistola data imperatoribus ap. Harduin. tom. I. p. 837 in causa Ursicini.

(3) In synodo ephes. p. II. act. V.

(4) Ibid. in ep. ad Cœlestin. pap. Ἔθος ὑμῖν τοῖς οὕτω μεγάλοις εὐδοκιμεῖν εἰς ἅπαντα ἔρεισμά τε τῶν ἐκκλησιῶν τὰς ἑαυτῶν ποιεῖσθαι σπουδάς.

in more positum, ut studia vestra ecclesiarum fundamenta efficiatis; » tum

d) quæ in sententia damnationis Dioscori ita in chalcedonensi concilio legati pronuntiant (1) : « Sanctissimus et beatissimus senioris Romæ archiepiscopus Leo per nos et præsentem synodum cum ter beatissimo et gloriosissimo Petro Apostolo, qui est petra et basis catholicæ ecclesiæ fideique orthodoxæ fundamentum, exuit illum ac privavit episcopali et omni sacerdotali dignitate. » Id

d) Quæ in sententia damnationis Dioscori in concilio chalcedonensi legati pronuntiarunt.

e) in epistola trium simul synodorum Numidiæ, Byzacenæ ac Mauritaniæ lecta in romano sub Martino I. concilio africani episcopi disertissime profitentur : « Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ (romani præsulis) fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. » Nimirum romana doctrina ac prædicatio (2) instar formæ est, typi, χαρακτῆρος, quemadmodum Theodoretus loquitur, genuinæ sanæque fidei, adeo ut ab illa deflectere non aliud sit, quam a recta via discedere. In hujus ergo ecclesiæ fide sita dici debet veræ traditionis tutissimum præsidium. Atque id

e) Quæ professi sunt patres trium simul synodorum africanarum.

5) vel in ipsis publicis solemnibusque liturgiis veteres sancte (3) profitebantur gratias Deo agentes, quod principa-

5) In eandem professionem

(1) Act. III. Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιεπίσκοπος Λέων, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας.

(2) Consule l. plus semel com. de prærogat. S. Petri l. I. cc. XXVI. XXVII., com. de eccles. Christi vol. II. l. III. c. 28., deque unit. rom.

(3) Cf. sacramentar. rom. editum a Blanchinio, recusum a Muratorio, illustratum a Balleriniis : in præf. missæ XIV. oratur : « Deus, qui secundum promissionis tuæ inviolabile constitutum apostolicæ confessioni superna dignatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine solidata nulla mortiferæ

convenient publicæ veterum liturgiæ.

lem Petri sedem constituere fideique firmam normam facere voluisset, fontemque omnium donorum deprecantes, ut universorum fidem efficere illius doctrinæ velit conformem.

III. Romani pontifices hanc, qua de agitur, suam suæque cathedræ auctoritatem nemine contradicente declararunt.

148. — Hinc III. nihil mirum, quod eam sibi suæque cathedræ factam auctoritatem et prærogativam romani ipsi præsules plus semel nemine contradicente declararint, qua fiat, ut doctoribus omnibus id officii impositum censendum sit, ut cum doctrina traditioneque romana colliment, neque minus sibi id muneris incumbere, ut illos ad hanc secum concordiam hortentur, adducant ac revocent. Id patet

a) Id patet ex ipsorum actis scriptisque generatim.

a) ex romanorum pontificum (1) actis scriptisque litteris maxime dogmaticis (2), quibus definitiones generalium conciliorum præformarunt, tum speciatim patet ex iis,

b Idem patet speciatim ex Leone M.

b) quæ Leo M. scribit ad Anastasium thessalonicensem, totius corporis connexionem requirere unanimitatem, sed præcipue exigere concordiam sacerdotum, quibus cum dignitas sit communis, non esse tamen ordinem generalem : et inter Apostolos Petrum excelluisse, et episcoporum distinctionem exsistere : hanc autem inductam esse, ut « ad unam Petri sedem universalis ecclesiæ cura confluueret, et nihil usquam a suo capite dissideret ». Quibus gemina idem Leo

falsitatis jura prævaleant,... ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quæ te dispensante devota subsequitur quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius ecclesiæ principatum. » Et iterum in præf. miss. xx. : « Deus, qui ut hanc fidem regimen ecclesiæ totius efficeres, et quod hæc prædicasset, ostenderes ubique servandum. » Atque rursum in præf. miss. x. de Petri cathedra affirmatur, jure eam insignem esse apostolici principatus, ut quæ ex illa fides quæve traditio permanasset, eam christianæ devotionis sequeretur universitas salubrique compendio, et hi, qui ab illorum tramite deviassent, haberentur externi, et tantummodo filii veritatis exsisterent, qui a principali nullatenus traditione discederent.

(1) Cf. romanorum pontificum epistolas editas a Constant. nec non eorundem decreta ap. Harduin. tom. I.

(2) Huc præ aliis referenda Damasi decreta ap. Hard. tom. I., Innocentii I capitula ibidem ; decreta Zozimi, Bonifacii, Cœlestini, Xysti ibidem ; tum aliorum prætermissis, Leonis III. ad Flavianum epistola dogmatica ap. Hard. tom. II., Agathonis ad imperatores ep. dogmatica ibid. tom. III. et Adriani I. adversus adoptianos ad confirmandam synodum francofordiensem : quibus plura eximia antecedentium, interjectorum sequentiumque ad nostram usque ætatem pontificum judicia normam figentia adjici possent, quæ ab collectis in unum dispersisque orbis catholici doctoribus æque ac fidelibus tanquam suprema litemque omnem dirimentia arbitria adoptabantur.

habet ad universos episcopos per Siciliam constitutos (1) epistola, qua universalem suam curam sollicitudinemque ad fidei caritatisque unitatem servandam exponit ita gravissime loquens : « Divinis præceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, celeri sollicitudine revocemus. Manente enim dominicæ vocis imperio, quo bb. Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum diligit, pascat; ipsius sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præsumus, reverentia coarctamur, ut periculum desidiæ quantum possumus declinemus : ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, non inveniatur in nobis : quia negligenter pascens toties commendatum gregem convincitur, summum non amare pastorem. » Sed piaculum foret, præteriisse sive ea,

c) quæ Innocentius I. scribit in sua responsione data ad carthaginiensem synodum (2) : « Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime vero a justo et catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla servastis; et ecclesiasticæ memores disciplinæ vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea, quum pronunciaretis, vera ratione firmastis : ut qui ad nostrum referendum adprobastis esse judicium, scientes quid debeatur apostolicæ sedi : quum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda : vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda; quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam (3)

c) Ex Innocentio I.

(1) Ep. 16. n. 1. coll. ad Julian. coens. ep. 118. al. 91. ad Maxim. antioch. ep. 119. al. 92.

(2) Rescriptum ad concilium carthag. ap. Hard. tom. 1. col. 1025. ep. Innocentii 24.

(3) Hinc causa Marciani arelatensis episcopi novatiani a Cypriano, Faustino

perveniret : ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret ; » sive

d) Ex Cœlestino I.

d) quæ ab initio decretorum habentur, quæ Cœlestini I. ad episcopos Galliæ litteris in antiquis libris adjecta leguntur (1) : « Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur in damnatis hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et quum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit : necessarium fuit, diligenter inquirere, quid rectores romanæ ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint ; ita ut africanorum conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites cum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum, compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non

aliisque Galliæ episcopis ad Stephanum relata fuit, a quo petierunt : « Dirigantur ad provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, ut grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. » Et ideo Cyrillus comperta jam Nestorii hæresi sui duxit officii esse, summo pontifici juxta antiquas traditiones hac de re scribere, ejusdemque suffragium expetere. Et propterea Chrysologus monuit Eutychen, « ut in omnibus his, quæ a beato papa romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attenderet, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim, pergit, pro studio pacis et fidei extra consensum romanæ civitatis episcopi causas audire non possumus. »

(1) Ita Harduin. t I. col. 1253. : « Incipiunt præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates de gratia Dei, » c. III.

nimium est contensiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat. » E quibus liquido constat, doctrinam ecclesiæ romanæ instar normæ ac certissimæ regulæ veritatis propositam fuisse. Ad quod confirmandum nihil desiderari luculentius potest, quam

e) quod Gelasius (1) decrevit in concilio romano, quodque Hormisdas (2) episcopis ab acaciano schismate ad unitatem redeuntibus subscribendum inter alia exhibuit. Et ille quidem sic : « Post has omnes propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica ecclesia nullis synodicis institutis ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit : Tu es Petrus, inquientis, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo. Cui addita est etiam societas b. Pauli..... et pariter supradictam sanctam romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt aliisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes, romana ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi. » Hormisdas vero

e) Ex Gelasio.

f) hanc orientalibus professionem proposuit : « Prima salus est, regulam rectæ fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia (3) dicentis : Tu es Petrus

f) Ex Hormisda.

(1) Gelasii decretum de scripturis canonicis editum in rom. concil. ap. Hard. tom. II. et H. Denzing., ed. 1857., n. 140.

(2) Regula fidei orientalibus schismatis acaciani participibus ab Hormisda proposita ap. Harduin. tom. II. p. 1030. et H. Denzing. n. 141.

(3) Matth. xvi. 18.

et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, etc. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta anathematizamus omnes hæreticos » ; et paucis interjectis : « Unde, sicut prædiximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem et prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et verax christianæ religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria (1) subscripsi, et tibi Hormisdæ sancto et venerabili papæ urbis Romæ obtuli. — Data XV kalend. aprilis 517. » A quibus avelli non debent hæc, quibus suam ad Possessorem (2) absolvit epistolam : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quid romana (hoc est catholica) sequatur et asseveret ecclesia, licet in variis libris b. Augustini et maxime ad Hilarium et Prosperum possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ, si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus. » Et. q. s. Jamvero quid flagitari merito his illustrius potest, ad romanæ sedis fidem, quam traditione sua complectitur, veluti exemplarem normalemque declarandam?

IV. Argumentum sumitur ex modo agendi Majorum in controversiis de schismate deque unitate ecclesiæ.

149. — Hinc tandem IV. ad idem confirmandum aliud accedit rationis momentum, quod est hujusmodi : Majoribus nostris in controversiis de schismate deque unitate corporis Christi mystici solemne fuit, hæc veluti indubitata stabilire :

1) extra communionem cathedræ Petri nullum cum Christi ecclesia consortium haberi (3) ; ac propterea

(1) Orientis porro subscripsere episcopi, tum imperator Justinianus, nec non patriarchæ constantinopolitani Epiphanius, Joannes et Menna, receptaque fuit unanimi suffragio patrum œcumenicæ VIII. synodi.

(2) Ad Possessorem episcopum ap. Harduin. tom. II. col. 1040.

(3) Huc præter superiora aliaque plurima referri debent, quæ de romana cathedra ut omnium capite ac principali ecclesiarum Majores docent (Car.

2) communionem cum Petri cathedra esse plane simpliciterque necessariam (1). Atqui

3) ex hac ipsa necessitate (2) dependet, prædicationem cathedræ Petri nunquam posse dissonam esse a genuina originalique traditione, atque adeo

4) et indeclinabilem orthodoxæ normam et firmissimum veræ traditionis præsidium esse.

150. — Post quæ tandem ita disserimus : Vera traditio concors est necessario et semper cum prædicatione ecclesiæ (3) universalis sive catholicæ. Sed ex Majorum suffragio, prædicatio ecclesiæ catholicæ et cathedræ romanæ (4) συν- 150. Conclusio infertur.

Pass. de prær. c. xxv. n. 350. et c. xxvii. n. 401.); hinc ap. Constant. ep. 5. Damasi papæ ad Paulinum antiochenum legimus, illum ad ecclesiam pertinere, qui fide, quam ipse præstituerat, recepta cum ecclesia romana per Paulinum communicant; atque hinc Ambros. in ps. l. n. 30. : « Ubi Petrus, ibi ecclesia; » atque hinc August. contra Crescon. III. xxxiv. sqq. orientalium cum africana ecclesia communionem ex communicatione illorum cum romana cathedra colligendam docet. Huc etiam spectant Hieron. in epp. 130. n. 10. ad Demetr. et 63. n. 2. ad Theophil.

(1) Omnino ad rem sunt, quæ scripsit Maximus m. ad Petrum illustrem de Pyrrho constantinopolitano antistite : « Festinet præ omnibus sedi romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prædicabunt. Si enim aliis quidem satisfaciendum ducit, et beatissimum romanum papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii vel alterius cujusdam criminis redarguatur, et insontem se non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat, sed tantum inutiliter et sine lucro aliis et privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habent se solvendi a crimine potestatem » Hanc porro necessitatem inde derivat, quod « apostolica sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi ». Cf. alia apud opp. s. cc., tum de prærog. s. Petri l. I. cc. xxv. xxvi., tum de unit. rom., et apud Dobmayr, systema theolog. cath. tom. IV. append. p. 122.

(2) De qua necessitate ita omnibus persuasum antiquitus erat, ut vel ipsi hæretici plus semel communionem romanam simularent vel affectarent. Ejusmodi fraudis testis est Cypr. ep. 55., Optat. l. II. c. iv., Aug. ad Generos. ep. 53., et universa passim hæreseologia. Cf. Moehler de unit. eccl. pp. 220. sqq. aliaque de unit. rom. l. c.

(3) Egregia sunt, quæ de hoc doctrinæ capite memoriæ tradidit Iren. adv. hær. l. IV. c. xliii.

(4) Huc faciunt, quæ de mente Cypriani disputantur op. laudato de prærog. b. Petri l. I. c. xxv. nn. 346. sqq., coll. iis, quæ ibidem repetuntur c. xxvi. nn. 369. sqq. et l. II. c. vii. nn. 100. sqq. de sententiis illustrissimi Africæ

ὠνυμοι existimentur oportet. Ratum ergo fixumque pariter sit oportet, a traditionis veritate neminem alienum exsistere, qui ad normam (1) doctrinæ romanæ prædicationisque exegerit suam sententiam. A qua quidem exploratissima veterum doctrina universalique antiquitatis persuasione ne ipsi quidem gallicani, quos dicere solent, funditus (2) dissidebant.

151. Corollarium 1. De universa externæ ac objectivæ fidei œconomia.

151. — COROLLARIUM I. Ex his omnibus, quæ de præsidiis divinæ sive dominicæ sive divino-apostolicæ traditionis diseruimus, innotescit universa externæ atque objectivæ fidei revelationisque œconomia, ordo nimirum providentiæ divinæ, quo Deus Verbum hypostaticum verbum suum revelatum, quod semel pro semper in hominum salutem dixit et manifestavit, conservatum constanter itidemque in forma verbi inprimis ad totum humanum genus derivatum jugiter jugiterque transmissum voluit : Ordo vivus et concors, ordo universalis et constans, ordo insonans auribus et omnibus accommodatus, firmissimus tandem atque ad veritatem deprehendendam maxime (3) compendiosus.

martyris, nec non Ambrosii, Hieronymi, Theodosii junioris, Fulgentii, Hormisdæ, aliorumque plurium ap. Ballerin. de vi ac rat. rom. pont. c. XIII. § 7. n. 37. p. 142.

(1) Specimen illis non dissimile, quæ superius in medium adduximus, illud est, quod præbet Bernard. ep. 174. ad canonic. lugdun. n. 9. p. 172. opp. t. I., tum Petrus abbas cellens., qui Nicolao S. Albani monacho ep. 23. opp. l. VI. p. 879. in max. pp. bib. tom. XXIII. post alia hæc scribit : « Est tamen auro locus, in quo conflatur (Job. XXVIII. 1.) et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam quæ claves cœli principaliter tenet. » Et ibid. l. IX. ep. 10. p. 906. : « Versa et reversa, in quolibet statu venerationis et glorificationis (bb. v. M.) tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis monetæ formam vis fabricare aliam, quam non adprobavit sedes Petri, cujus est vel adprobare vel improbare ordinem universalis ecclesiæ, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior. »

(2) Videsis Bossuet. or. ad comitia cleri gallicani 1681., tom. III. meditatt. in evang. die 62., in corollario ad defension. declaration. cleri gallic. § 8.

(3) Operæ in causa fidei pretium est, considerasse methodum compendii, qua ad probandam fidem usi patres Irenæus, Tert. Optat. ll. cc., August., Fortun., Alyp. et Generos. ep. 53. inter Augustin., auctor. quæst. V. et N. T. q. CX., Ephrem. ap. Asseman. bib. or. tom. I. p. 95., Epiphan. ad hær. carpocrat., quæ est VII. l. sup. c. Cf. com. de unit. rom. l. I., ubi Majorum doctrina explicata est.

152. — COROLLARIUM II. Hinc apparet, quo spectet distinctio inter regulam fidei objectivam atque remotam, quæ (sepositâ nunc scriptura) verbo Dei continetur a testibus jugiter tradito, et regulam fidei subjectivam vel directivam eamque proximam, quæ continetur eorundem testium magisterio, ipsum Dei verbum, quod traditum jugiter est, proponentium fidelibus, docentium, declarantium, definientium, ut ab omnibus rite credatur.

152. Corollarium II. De distinctione inter regulam fidei objectivam et subjectivam.

153. — COROLLARIUM III. Sed apparet insuper, quam sit contrarium Christi Jesu institutioni, constanti et universali antiquitatis doctrinæ ac fidei, ipsique rerum naturæ, quod legitur in fidei formula in ecclesia, quam evangelicam (1) vocant, recepta : « Sola sacra scriptura judex, norma et regula agnoscitur, ad quam ceu ad lydium lapidem omnia dogmata exigenda sunt et judicanda, an pia an impia, an vera an vero falsa sint. »

153. Corollarium III. De eo, an scriptura sit lydius lapis ad quam solam exigenda omnia dogmata.

154. — COROLLARIUM IV. Apparet etiam et multo luculentius, quam id ab initio disputationis concessum esset, habitus, qui testes inter et traditionem intercedit, is nimirum, qui est inter continens, contentum et hoc ex illo proponens, habitus videlicet objecti, organi simul et præsidii.

154. Corollarium IV. De habitu testes inter et traditionem.

155. — COROLLARIUM V. Percipitur deinde hierarchica tradentium subordinatio, qua subordinatione hierarchica fit, ut, quandoquidem tradentibus testibus traditio proportione respondeat, ad tuto constanterque necessariam divinæ traditionis fideique normam habendam cognoscatur stabilis ordo, firmum supremumque fundamentum, indeque veritatis traditæ in tanta temporum locorumque varietate summa unitas, ejusdem uti antiquæ perpetuitas originalis atque illius universalis per orbem diffusio sive catholicitas.

155. Corollarium V. De hierarchica tradentium subordinatione.

156. — COROLLARIUM VI. Hinc deprehenditur tandem, præsidiorum distinctioni respondere distinctionem qualitatum, quibus traditio ipsa ita afficitur, ut inde consideratione ac nomine distinguatur : et sic, quum primum ex præstitutis præsidiis omnium consensu episcoporum constet, traditio

156. Corollarium VI. De respondente præsidiorum distinctioni distinctione qualitatum, quibus traditio ipsa afficitur.

(1) Vide formul. concord. epitom. I. 7. ap. Hase lib. symb. eccles. evang. pp. 570. sqq.

considerata ut ab iisdem dimanans, eorum prædicatione judiciove comprehensa vel edita est universalis sive catholica; quum vero alterum ad apostolicas revocetur ecclesias, spectata traditio inde veluti apostolica menti oculisque objicitur; quemadmodum denique testium principio, centro unitatis in fide immobilique suo fundamento constituitur, quæ est romana Petri cathedra : ita traditio considerata uti ab eo dependens est immobiliter una, eaque romana, sive apostolico-romana. Ab his porro proprietatibus traditionis abesse eam non posse, qua sancta illa est, contemplatio (1) proprii principii et principis causæ flagitat, vi cujus eadem traditio ipsum est verbum Christi sanctique ejus Spiritus. Unde consequitur, quod ipsis rerum naturis etiam a priori, ut aiunt, præcipitur, traditionem, quæ hinc ministeriali ecclesiæ causæ (2) respondet, quæque inde universam complectitur fidem (3) et propterea causam ecclesiæ formalem ex parte complectitur, iisdem ex sese præditam dotibus seu proprietatibus esse, quibus vera Christi ecclesia distinguitur.

157. Alia inferuntur corollaria magis particularia.

157. — Atque hæc generatim de ejusmodi summa consectariorum, quæ gravissima, uti patet, ex sese videntur, dicta sint. Jam de aliis, quæ particularia magis seu specialia sunt.

158. Corollarium 1. Describitur

158. — COROLLARIUM I. Quemadmodum ergo traditio active spectata (4) jugiter constat jugiterque dignoscitur

(1) De hac videsis l. plus semel com. de eccles. Christi. vol. II.

(2) Cf. de hac ibidem l. LII. cc. VI. sqq.

(3) Cf. rursus ibidem cc. XLII. sqq.

(4) De distinctione inter traditionem active et passive spectatam expositum prius est. Quæ duo quum distingui secernive quidem, sed dividi avellique ab invicem non debeant : traditio passiva continuum habet firmissimumque nostra inter et apostolica tempora pontem, quem desiderant novatores cum Twesten l. c. p. 289. : neque eadem passiva traditio monetæ instar, ut illi crassius concipiunt et loquuntur, censenda, quæ paulatim atteratur, quum manus, per quas traditur, non atterant, neque terant, neque conterant, sed sint spiritaliter communitæ secundum illa sancti Irenæi adv. hær. l. III. c. XXIV. n. 1. scribentis : « Prædicationem vero ecclesiæ (ita significatur traditio passiva, ut activa connotetur) undique constantem, et æqualiter perseverantem, et testimonium habentem a prophetis et ab Apostolis, et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus per initia, et medietates, et finem, et per universam Dei dispositionem, et eam quæ secundum salutem hominis est solitam operationem, quæ est in fide nostra; quam perceptam ab

velut exsecutio continua divini illius præcepti : « Euntes docete, et prædicate evangelium » : ita spectata passive traditio est et rite dignoscitur veluti evangelium (1) per os missorum euntiumque jugiter vivum, jugiterque de regno Dei et ejus assecutione resonans : videlicet, quod annuntiare venit θεάνθρωπος singulari οἰκονομίᾳ, quod iverunt Apostoli annuntiare οἰκονομίᾳ speciali et exsorte, id ipsum iverunt euntque annuntiare οἰκονομίᾳ communi et ordinaria, qui cum inerrantiæ dote illos in docendo et prædicando secuti sunt et sequuntur.

traditio tam active quam passive spectata.

159. — COROLLARIUM II. Traditio ergo

1) non est vagarum dubiarumque sententiarum ferrago; nec unquam

2) errandi fallendique causa est ex sese (2); neque

3) cum hæreticorum commentis (3) quidpiam habet commune; neque

159. Corollarium IX Pluribus falsis notionibus sanior sufficitur idea traditionis.

ecclesia custodimus, et quæ semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens et juvenescere faciens ipsum vas in quo est. Hoc enim ecclesiæ creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; et in eo disposita est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum. In ecclesia, inquit (I. Cor. XII. 28.), posuit Deus Apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus : cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia : Spiritus autem veritas. » Quibus Irenæus recentes non minus quam antiquos traditionis hostes profligavit.

(1) Quod Petrus dixit, per os suum collectos primum gentiles, id per successores continuatur, dum aut novos ad ecclesiam fideles per os suum adlegunt, aut adlectos in fide per os suum conservant.

(2) Ut Neandro in historia dogmatum I. 76. confitente traditio oralis ætate apostolica princeps erat fons veritatis christianæ : ita perperam ab eodem contenditur, post Apostolorum mortem traditioni talem proprietatem esse detractam, solisque scripturis mansisse, eo quod illa obnoxia erroribus fieret. Sed si id verum foret utcunque in hypothesi, quod instituta traditionis œconomia non esset nisi humana, falsissimum id tamen est in hypothesi, quam uti certissimam thesim probavimus, quod traditionis œconomia divinitus et instituta est et protecta.

(3) Talia a novatoribus olim objici solebant, et etiamnum ab apostatis repeti solent, ut apparet ex Schenkel aliisque ap. Edm. Joerg. l. s. c.

4) simpliciter historia est (1), neque ad eam uti ad simplicem historiam provocatur et provocandum; sed

5) est fixa determinataque divinitus veritas, verbumque ipsum divinum a Christo perque Spiritum sanctum manifestatum, apostolica vero auctoritate promulgatum, et testificatione infallibili custoditum, propagatum jugiter, constanter (2) transmissum, idque ad salutem necessario credendum.

160. Corollarium III. Quod non soli articuli a conciliis definiti sunt credendi.

160. — COROLLARIUM III. Quare opinantur præpostere institutamque divinitus universalem credendi œconomiam aut impie aut inscite leviterque pessundant, qui nihil fide catholica credendum esse autumant, quam quod definitis numeratisque conciliorum articulis ad hæreticorum potissimum excludendam perfidiam per certas ratasque formulas tenendum fidelibus præscribitur (3). Scilicet, fide catholica

(1) Ita cum aliis ex protestantium secta Twesten dogmat. tom. I., ad traditionem appellari potuisse appellatumque esse prioribus ecclesiæ sæculis, quousque scilicet historice constare posset et constaret de Apostolorum incorrupta prædicatione doctrinaque orali. Hinc aliis illorum visum est, constare illud altero tertioque sæculo potuisse, aliis vero, usque ad sæculum quartum, nicænaque tempora, indeque esse factum, ut illis temporibus patres usi sint traditione veluti historico veritatis revelatæ argumento; postea autem id fieri cum historica certitudine amplius non potuisse, et propterea catholicam ecclesiam certitudini historicæ suam subrogasse auctoritatem, quam infallibilem dixit. Sed hæc gratis omnia et perperam adstrui, ex probatis omnibus patet, quæ sunt de testibus et testimonio, traditionis organo et præsidio, regula fidei objectiva et directiva.

(2) Quod si igitur scelesti homines more, ut Cyprianus dicit ep. 75. ad Jubaian., simiarum, quæ, quum homines non sint, homines tamen imitantur, ecclesiam æmulati traditiones ementito Apostolorum nomine (puta Petri, cujus interpreti Glauciæ sua tribuebat Basilides, vel Pauli, cujus familiari Theodoto sua vindicabat Valentinus, vel Matthiæ, cujus discipulis sua Marcion asserebat) confingant, quas genuinis ac sinceris opponant vel admisceant incautosque forte decipiant : id traditioni verti nequit vitio majori, quam scripturis, quod eædem multipliciter corrumpantur, pervertantur, perperam adhibeantur. Nihilominus illa ipsa hæreticorum experimenta veritatem traditionis supponunt, quemadmodum umbra supponit corpus, atque ostendunt necessaria esse cum conservationis organum tum cognoscendi infallibile præsidium.

(3) Ad id excludendum gravissima valet lirin. Vincentii disputatio in com. I. nn. 25–32. De quo consule sis, quæ habet Dobmayr. l. c. de auctor. eccles. dispersæ append. tom. IV. pp. 107. 126. 137., ubi de distinctione magisterii, testimonii atque judicii deque practica veteris ecclesiæ agendi ratione. Num forte priusquam haberentur concilia ac symbola ederentur,

teneri illud sancte debet, quod cathedræ episcopales credendum docent vel in unione catholica cum cathedris omnibus, vel in unione cum apostolicis omnibus cathedris, et certe in unione cum cathedra Petri. Id quod propositum declaratumque est in sacrosancto œcumenico concilio vaticano (1) : « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur : » et hoc quidem, quod ad primum ex affirmatis superius attinet; quod autem ad alterum, consensionem cum romana fide attinet, id ex definitis declaratisque in eodem vaticano concilio circa auctoritatem romani pontificis ejusque inerrantiam aperte consequitur.

CAPUT III.

DE TRADITIONIS MEDIIS RATIONEQUE EAM COGNOSCENDI.

161. — Licet porro revelatio divina ore tantum evangelii prædicatorum seu testium authenticorum ab initio contineretur : fuit tamen illa consignata litteris, et quidem partim litteris sanctis a viris θεοπνεύστοις, unde verbum Dei scriptum prodiit, de quo disputabitur postea; tum vero temporum lapsu paulatim et plus minusve plene ac perfecte consignata illa expressaque fuit monumentis christianis, e quibus eadem tanquam verbum Dei sive ore tantum traditum, sive etiam scriptum, aliter tamen et aliter, tam per organon rationis naturali lumine ac scientiæ theologicæ instructæ subsidiis, quam per organa eruitur Christi Domini sanctique ejus Spiritus lumine ac numine protecta. Hinc non est abs re, sed opportunum et ad penitiorem rei intelligentiam plenioresque scientiæ haustus necessarium, tam statuisse de

161. Opportunitas significatur præsentis disputationis.

Christi fideles cœlestia dogmata nulla fide divina et catholica tenebant? Num forte ante nicænum concilium Verbi divinitas ejusdemque cum Patri ὁμοουσιότης in ecclesia Dei inter ἀδιάφορα recensebatur? Id nemo dixerit. Cf. Kleutgen « die Theologie der Vorzeit » p. I. sec. I. de norma fidei pp. 46. sqq.

(1) Constit. dogm. de fide catholica, cap. III.

pretio atque valore ejusmodi monumentorum, quam de via ac ratione deque certitudinis vi, qua ex iisdem tradita dogmata derivantur. Res autem sic habet :

162. Præmittuntur aliqua de habitu inter œconomiam fidei et naturæ ordinem.

162. — Œconomia fidei divinitus instituta sicuti communem naturæ rerumque humanarum ordinem non excludit, verum potius supponit, exaltat, perficit atque absolvit : ita humana ingenia ac studia non interimit et extinguit, sed sumit et accipit, acuit et excitat, promovet et nobilitat.

I. Tituli innuuntur, quibus exigebatur traditionem divinam variis monumentorum generibus consignari.

163. — Hinc I. quemadmodum comparatum est, fieri non potuit, quin revelatio ac fides, quæ a testibus authenticis prædicabatur et a fidelibus pie credebatur, paulatim ac minori majorive perfectione ac plenitudine sive ab ipsis ecclesiæ doctoribus, sive ab ecclesiasticis viris aliisque hominibus litteris consignaretur ac variis monumentorum generibus exprimeretur. Id quum plures exigere tituli tam theoretici quam practici poterant atque debebant, tum fines pacifici ac polemici flagitare videbantur. Hoc, ut unum significemus, flagitabat hinc juvandæ posterorum memoriæ ratio, qua permoti antiquissimi testes itemque doctores summa fidei capita brevissimis formulis conceperunt litterisque etiam expresserunt, quæ professiones ac symbola vocantur : qua itidem impulsi Ignatius M., Hegesippus et Papias nec non Clemens alexandrinus veterum traditiones scriptis mandasse ab Eusebio perhibentur; inde vero consulendæ fidei causa ejusque ratio quærentibus reddenda facilius, ut ea vel probaretur, scilicet credentibus, vel vindicaretur contra incredulos et infideles.

II. Id jure factum fuisse aperitur.

164. — Quare II. consequitur, sua prope sponte consuetaque in humanis ratione ac via vel e rerum veluti ipsis naturis et ex temporum quoque adjunctis factum videri, ut in lucem prodierint monumenta, quibus pastorum et doctorum prædicatio veluti fixa inhæreret, adeo ut quod invisibili efferebatur verbo, idem visibili signo proponeretur; quod insonabat auribus, idem oculis conspiceretur; quod lingua prolatum diffluebat, id corporeis inhærens elementis consisteret, atque oralis traditio concreta prope atque incorporata exstaret.

165. — Quid porro III. inde? Hoc omnino præclarum, quod ipsa actarum fides ætatum, ad quas illa referuntur documenta, prædicatio illarum, sive traditio in propria temporum suorum forma, cum propria prædicatorum indole proprioque testium suorum charactere, licet illa diu effluxerint et isti diu decesserint, ad posteros transierit atque permaneat; tum hoc exsistit illustre, quod vivum illis temporibus evangelium, doctrina ac testificatio quondam viva inanimatis modo scriptis, signis monumentisque quodammodo duret ac propagetur, ita ut, dum succedentium illis prædicatorum ore vario pro ætatum varietate evangelium Domini vivit ac resonat, idipsum antiquitate venerandum monumentis præteritorum sæculorum præsens veluti sistatur sensibusque usurpetur. Vocem Clementis, Ignatii, Irenæi nostris auribus non excipimus : quid vero iidem de pluribus cœlestium veritatum capitibus senserint ac docuerint, legentium oculis animisque exponitur. Concionibus Gregorii, Basilii, Chrysostomi non adsistimus : nihilominus nunc etiam reliqui sunt eorum sermones, quorum sublimitate ille extollit, gravitate iste persuadet, aures hic flumine movet ac pertrahit. Vivunt in suis operibus Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Leo, Gregorius, et testimonium suum reliquum est, quid vetustas, quid subsecuta tempora crediderint. Id edicunt superstites liturgiæ, id templa loquuntur, altaria, imagines, et multiformia signa.

III. Quænam et qualia inde exsurgant commoda.

166. — Inde autem IV. prodit traditionis ætatum omnium expressa quædam et, ut ita dicam, concreta veluti ac realis continuitas, inde locus datur institutioni, collationi, communibusque rationibus comparandæ fidei, persuasionis atque scientiæ temporum anteactorum de rebus fidei ac morum.

IV. Aliæ indicantur facti ejusdem utilitates.

167. — Atque V. hæc, quæ cum humano rerum ordine cohærere diximus, si, ut res ipsa exigit, paulo altius considerentur, sapientissima Dei providentia ordinatissime cuncta, maxime in ordine rerum divino, disponente suaviterque per media apte ordinata suos augustissimos fines obtinente fortiter, dici debent ordinata et effecta. Quum enim Deus institutam a se œconomiam extraordinariis jugiter

V. Ostenditur, hæc sapientissima Dei providentia ordinata et effecta fuisse.

mediis administrare noluerit, verum per causas simul secundas, quæ suas nativas quoque exsererent vires, et via quadam ordinaria quam normalem vocant, quoad ejus fieri possit, exsequi illam statuerit : idoneum non modo et opportunum, sed necessarium plane erat, ut monumenta antiquitatis quoque nota in facie ecclesiæ Dei testiumque positorum exsisterent, quorum ope possent posteri de fide antiqua Majorum certiores reddi, quid credendum sit a Majoribus ipsis scite discere, veri nominis proprieque fidei exsistere posset disciplina atque scientia, qua nisi omnes et singuli fideles, illi tamen certe potissimumque excolerentur, qui Paulo mandante idonei esse deberent, qui in probandæ propagandæque fidei œconomia testes constituerentur, magistri et judices. Sed si nullum exstaret de fide Majorum documentum : profecto ratione ordinaria saltem atque communi, qua de rebus antiquis inter homines constare solet, prædicatio veterum nullatenus posset cognosci, nullus pateret locus historiæ fidei, nullus scientiæ dogmatum ex sensu veterum rite explicandorum ; deessent porro, quibus hæreticorum perfidiæ occurreretur, fraudes eluderentur continuique impetus retunderentur; reliquum tantummodo esset, ut divinæ eidemque extraordinariæ providentiæ omnia committerentur, et sepositis causarum secundarum curis in ordine fidei administrari universa regique a solo Deo crederentur.

VI. Habitus declaratur traditionem inter et ejusdem monumenta.

168. — Quapropter VI. monumenta illa non sunt traditioni adversa, neque ab ea penitus diversa ac disparata : sed quatenus continuam per ætates singulas traditionem præferunt, cum eadem quadamtenus confunduntur idemque cum ea sunt : scilicet, sunt medium traditionis objectivum, quo ea ad posteritatem traducatur; sunt instar canalium realium, ut aiunt, per quod Majorum ad nos traditio derivatur; sunt realis fons, cui illa inest, locus, quem materialem diceres, in quo eadem invenitur, ac sedes, mortua licet, in qua habitat.

VII. Quo sensu monumenta sint locus et fons verbi Dei.

169. — Nihilominus VII. locus ac fons sunt non formaliter, quum ipsum Dei verbum non sint, sed in quibus, ut in medio, est, et sunt medium neque semper neque omnibus ἀμέσως

obvium, neque proinde ἀμέσως commune omnibus : hinc nequeunt esse fons et locus fidei catholicæ omnibus sufficiens.

VIII. Quo modo medium universale fidei dici possint.

170. — Attamen VIII. ἐμμέσως et quadantenus medium universale sufficiensque fidei dici possunt, quatenus infallibile testium testimonium illis connexum ac prope innexum est : connexum est, quatenus traditio unius ætatis monumentis expressa semper excipitur porro jugi fluxu traditionis ore manifestatæ; innexum vero, quatenus traditio, quam monumenta manifestant, ipsa traditio testium est una ac simul edita ore, neque quod dicunt testes, ab eo quod monumentis vel ipsi exprimunt vel exprimere jubent expressumque probant et firmant, avelli debet; præterea dici universale medium ἐμμέσως possunt, quatenus ex ipsis potissimum testes infallibiles credenda hauriunt, quodque credendum omnibus, ex iisdem proponunt.

IX. De diverso habitu quo ad medium illud referuntur diversi exploratores.

171. — Apparet autem IX. non eodem plane habitu ad medium ejusmodi singulos quosque fideles vel exploratores referri, ac referuntur testes authentici : quum enim illi protecti duntaxat humanis præsidiis sint, isti contra protegunturdivino numine.

X. Quid ratio valeat ad explorandaejusmodi monumenta.

172. Verum X. si ratio humana internis omnibus subsidiis instructa apte fuerit, simulque media traditionis externa omnia pateant : nisi de scientia omni actum sit, nullum esse dubium potest, quin plus semel constare certissime valeat, quid revelatum divinitus traditumque jugiter fuerit. Ad hoc vero paulo accuratius inquirendum expedit ita statuere :

THESIS XXII. *Facto discrimine inter organum per quod, medium quo et objectum quod cognoscitur, affirmari debet, conspiratione atque summa monumentorum christianorum objectivum contineri fontem locumque infallibilem, e quo notitia divinæ ac divino-apostolicæ traditionis rationis organo certissime hauriatur.*

173. Declaratur discrimen inter organum, medium, objectum.

173. — DECLARATUR. De vero accuratoque trium illorum discrimine nulla potest esse quæstio, quum aliud profecto sit objectum, quod inquirendum proponitur, estque in hac nostra controversia sive divina sive divino-apostolica tra-

ditio; aliud vero sit illud, quo tanquam medio continente objectum comprehenditur, et unde propterea idipsum eruendum est; quumque aliud denique id exsistat, cujus ope veluti per quoddam ὄργανον (1) ex medio illo ipsum objectum eruendum sit.

174. Organum duplicis ordinis: discrimina notantur inter ea, quæ de uno asserta superius, interque ea, quæ de altero asserenda nunc sunt.

174. — Quum tamen ὄργανον duplicis sit ordinis, atque alterius profecto ordinis credi illud debeat, quod in iis situm est, quibuscum esse ipse Christus Dominus ejusdemque Spiritus creditur, quique propterea, quando de traditione divina cognoscunt, inerrantiæ (2) dote sunt præditi; alterius vero id, quod est apud eos, qui hac dote destituti in antiquitatis monumenta inquirunt : claritati conduxerit, discrimen animadvertisse intercedens ea inter, quæ superius de traditionis organo præsidiisque asseruimus, interque ea, quæ asserenda nunc præ manibus habentur. Itaque

I. Quoad utriusque subjectum.

I. in statutis superius ὄργανον præsidiumque conveniunt subjecto, quod est unum idemque, sunt ii divinæ traditionis testes, apud quos, ut est probatum, veritatis traditæ tradendæque perpetua conservatio, explicatio, vindicatio est (hinc revelatæ fidei veritas dicitur (3) esse tanquam depositum apud illos, uti organum vivum atque præsidium, in quo Christus Dominus per suum veritatis Spiritum custodit jugiter

(1) Ὄργανον instrumentum denotat, quo causa quædam princeps utitur ad opus aliquod effectumve producendum : potest autem illud et vivum esse animatumve, et mortuum vel inanime; jamvero quum et quatenus hic ὄργανον a medio distinguitur, vivum illud intelligitur et est, non mortuum, adeoque est instrumentum, quod vocant in schola conjunctum, scilicet unitum devinctumve cum subjecto vivo vel cum principio vitali, quod in illo perque illud se explicat atque operatur.

(2) Cf. de testibus supra deque præsidiis probata.

(3) I. Tim. IV. 20. quatenus revelata veritas apud testes deposita est, ac in ipsis veluti contineri concipitur, rationem ipsi medii habent; ὄργανον ex allata causa dicuntur, quod instrumentum vivum sunt, junctumque ad opus fidei apud homines perficiendum cum Christo sanctoque Spiritu, tanquam causa salutis principali. Sed idem fidei depositum apud illos inque illis concipitur, quatenus quod verbo orali edunt ac tradunt, id verbo mentali intellectuque ipsorum præconceptum habent ac retinent. Hinc ortæ phrases rationesque loquendi, quibus regulam traditionis sequendam intellectum dicunt, secundum quem sentimus, intellectum ecclesiasticum sive catholicum, ecclesiasticam intelligentiam vel sapientiam, conscientiam fidei, ut ait Hilarius de Trin. l. VIII. c. 1. De quibus videsis J. B. Franzelin tract. de div. trad. thes. XI. pp. 92. sq.

evangelium salutis), et per quos idem fidei auctor ipsum salutare evangelium hominibus jugiter cognoscendum absque erroris formidine credendumque proponit. In modo autem statuendis medium ab organo realiter secernitur.

II. Quoad utriusque auctoritatem.

II. In illis utrumque infallibile est; et infallibile quoque præsidium est, quum circa objectivum traditionis medium versatur deque eodem cognoscit vel judicat. In his vero medium quidem objective (1) infallibile dicimus, ὄργανον vero est ex sese errori obnoxium; potest tamen, omnibus rite adhibitis sacræ doctrinæ subsidiis, ab errore esse solutum.

III. Quoad utriusque characterem.

III. In illis utrumque est publicum, commune et obvium. In his est medium quidem de se publicum et commune, sed neque omnibus neque in omnibus per se obvium; ὄργανον vero in ratione exculta ut oportet situm, est privatum ac particulare sive personale. Hinc

IV. Quoad finem et fructum præstitutum.

IV. illis continetur præsidium catholicum ad traditionem cognoscendam credendamque, et propterea iisdem continetur præsidium catholicæ fidei. His vero continetur subsidium duntaxat proprium ad scientiam (2) pariendam,

(1) Objective infallibile dici id potest, quod in se non est falsum neque ad fallendum ex se factum est, quod proinde ex sese cum veritate consertum a falsitate alienum est; hoc sensu vulgari, communi et apud philosophos usitato certissime christiana monumenta ἀναμάρτητα sunt : verum sensu nobiliori, speciali atque theologico ἀναμάρτητα a nobis dicuntur et etiam sunt sive præ sua materia seu objecto, ejusque habitu ad fidelium mentem, sive præ altissima causa principioque conspirationis in unum considerentur.

(2) Quum novatores ad eruendam ex instrumentis revelationem non utantur nisi organo rationis privato et subsidiis scientiæ humanæ : liquet, substituere illos fidei eique communi seu catholicæ scientiam eamque personalem atque privatam. In suis autem antithesibus doctrinæ catholicæ oppositis inscite confundunt traditionis seu traditi verbi divini medium, quo illud secundum specialem quidem Dei providentiam, sed non per institutionem Dei positivam continetur, cum instituto divinitus organo ac præsidio, per quod idem infallibiliter semper conservatur, conservatumque proponitur, declaratur, asseritur. Ejusmodi antitheses imperite æque ac inepte statutæ continentur his professionis illorum articulis in formula concordiæ (apud Hase lib. symb. eccles. evang. pp. 570. sqq. coll. pp. 308. 632.) epitome I. 2. 8.: « Reliqua vero sive patrum sive neotericorum scripta, quocumque veniant nomine (scilicet, pontificum, conciliorum ac synodorum aliorumque similium documenta), sacris litteris nequaquam sunt æquiparanda (sed æquiparatur verbo scripto verbum traditum, non vero aliud qualecunque scriptum, quo verbum hoc comprehenditur), sed universa illis subjicienda sunt, ut alia ratione non recipiantur, nisi testium loco (quibus modis varia monumenta,

adeoque præsidium iis continetur (1) catholicæ scientiæ.

175. Organum quomodo comparatum, monumenta vera quæ et qualia debeant esse, ut fructus præstitutus hauriatur.

175. — Sed jam quæritur, quo modo ὄργανον comparatum et quænam monumenta sint vel qualia esse oporteat, ut fructus præstitutus hauriatur. Nimirum sicuti nomine organi intelligimus rationem instructam a philosophia, critica, hermeneutica aliisque ad rem theologicam ipsique adeo theologo necessariis disciplinis : ita summa et complexione monumentorum christianorum significantur potissimum gesta synodorum, decretales pontificum, documenta liturgica, opera omnia omnium patrum exegetica, didactica, polemica, libri virorum auctorumve ecclesiasticorum, annales historiæ, epigraphica, picta, sculpta (2) monumenta, atque ipsa tandem opportune adhibita (3) scripta hæreticorum.

quibus traditionis medium universim coalescit, accipienda sint, superius docetur), qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora et in quibus partibus orbis doctrina illa prophetarum et Apostolorum sincerior conservata sit (utrum illis hic tantum valor historicus insit, docetur pariter supra). Cetera autem symbola et alia scripta (sed hæ scriptorum classes non simpliciter permiscendæ invicem), quorum paulo ante mentionem fecimus (nimirum mentio fit apostolici, nicæni et athanasiani, quod dicunt, symboli, nec non augustanæ confessionis, articulorum schmalcaldicorum, catechismi Lutheri), non obtinent auctoritatem judicis, hæc enim dignitas solis sacris litteris debetur (inepte!) : sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt (si id de suis dicant, id ipsi sibi habeant, sed de ecclesiæ symbolis ferendum non est) eamque explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacræ litteræ in articulis controversis in ecclesia Dei a doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ et explicatæ fuerint (sed secundum catholicos vere, infallibiliter, et adeo irreformabiliter), et quibus rationibus dogmata cum sacra scriptura (secundum catholicos etiam cum traditione) pugnantia rejecta et condemnata sint. » Sic illi.

(1) Cf. de his disputata commentario de theologia generatim.

(2) Quam multa religionis christianæ dogmata hoc monumentorum genere probari queant, norunt qui inscriptos lapides, picturas, vasa vitrea in christianorum veterum cœmeteriis reperta, atque alia sacræ antiquitatis cimelia diligentius perlustrarunt. Cf. Raph. Garrucci, opp.

(3) Hæreticorum suffragio nostri Majores ad comprobanda orthodoxa dogmata suisque ipsorum armis confutandos incredulos passim usi sunt : præ ceteris commemoratione dignus est Theodoretus, qui id insigni specimine præstitit dial. I. de immutab. ad fin. ed. Schulz. p. 70., dial. II. de inconf. ab init. ib. pp. 70. 170. 174., dial. III. de impatib. ib. pp. 255. 257. sq. 262. sq., ita disputationem egregie absolvens : Οὐκοῦν, ὦ ἀγαθὲ, ζήλωσον τὰς μελίττας, καὶ τῷ νῷ περιποτώμενος τούς τε λειμῶνας τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῶν πανευφήμων πατέρων τὰ ἄνθη τὰ ἀξιέραστα, ὕφηνον ἡμῖν ἐν σαυτῷ τὰ κηρία τῆς πίστεως. Εἰ δέ που καὶ πόαν εὕροις οὐκ ἐδώδιμον οὔτε γλυ-

176. — DEMONSTRATUR. His, ut par erat (1), præstitutis, quod affirmatum est, ita brevi asseritur : 176. Demonstratur.

I. Medium infallibile illud vocatur, quod ex sese est necessario ab errore sejunctum, quodque cum veritate necessario ex sese consertum est. Atqui complexio et summa monumentorum christianorum haberi ejusmodi debet : hoc enim ostenditur I. Probatur summam monumentorum christianorum medium esse infallibile

1) partim certo theoremate philosophiæ, quo constat evidenterque adsequimur, harmonicam monumentorum omnium conspirationem neque ex omnium errore neque ex omnium mendacio dimanare potuisse ; confirmatur 1) Certo theoremate philosophiæ;

2) historice inductione (2) affirmante et negante (3) seu excludente ; demonstratur 2) Historica inductione ;

3) consideratione theologica, e qua liquet, illam monumentorum summam cohærere intime cum testium (4) suffragio ; et idipsum exploratum tandem habetur 3) Consideratione theologica.

4) argumento ad hominem, quum ne ipsi quidem innova- 4) Argumento ad hominem.

κεῖαν, ὁποῖος οὗτος Ἀπολλινάριος καὶ Εὐσέβιος, ἔχουσαν δέ τι πρόσφορον εἰς μελιττουργίαν, οὐδὲν ἀπεικὸς, τὸ μὲν χρειῶδες λαβεῖν, καταλιπεῖν δὲ τὸ βλαβερόν. Καὶ γὰρ αἱ μέλιτται, δηλητηρίοις πολλάκις ἐφιζάνουσαι θάμνοις, ὅσον μὲν ὀλέθριον καταλείπουσι, τὸ δὲ οἰκεῖον συλλέγουσι. Ταῦτά σοι, ὦ φιλότης, κατὰ τὸν φιλαδελφίας εἰσηγούμεθα νόμον. Σὺ δὲ εὖ μὲν ποιήσεις, δεξάμενος τὴν παραίνεσιν. Εἰ δὲ ἀπειθήσαις, ἡμεῖς τὸν ἀποστολικὸν ἐκεῖνον ἐροῦμεν λόγον· Καθαροὶ ἡμεῖς. Διεστειλάμεθα γὰρ κατὰ τὸν προφήτην, ὡς προσετάχθημεν : « Imitare igitur apes, o bone, et per sacræ scripturæ prata mente volitans et per laudatissimorum patrum pulcherrimos flores construe nobis in teipso favos fidei. Ubi vero herbam inveneris nec esculentam nec dulcem, cujusmodi est hic Apollinarius et Eusebius, quæ utile tamen aliquid habeat ad mel conficiendum, non erit alienum, quod utile est sumere noxio relicto. Nam et apes sæpe venenatis fructibus insidentes, quod perniciosum est relinquunt, sibi vero conveniens colligunt. Hæc tibi, o amice, fraternæ caritatis lege consulo. Tu autem recte feceris, si monitioni parueris. Quod si non audieris, nos apostolicum illud usurpabimus : Nos mundi sumus. Exposuimus enim secundum prophetam quæ jussi sumus. »

(1) De singulis traditionis instrumentis cf. Joann. Perrone de loc. theol. vol. II. p. II. sec. II. c. II. Car. Pass. de im. V. conc. vol. III. sec. VIII. n. 1746.

(2) Quod tali conspiratione innititur, id cum errore consertum nunquam ostensum est. De his speciatim agitur tum quum singula dogmata probantur et vindicantur.

(3) Quod falsum probatur, id nunquam cum ea, qua de agitur, conspiratione consertum fuit probatum.

(4) Id ex facta paulo superius declaratione luculenter patet.

tores ausi fuerint generatim negare, id esse verum, et in causa hac, id divinum esse, quod christianorum monumentorum summa comprehensum (1) evidenter ostendatur. Monumentis ergo christianis quemadmodum verissime ex dictis inest antiqua traditio : ita conspirantibus illis ratio competit sedis objective infallibilis doctrinæ revelatæ divinæque traditionis.

177. — Sed

II. Quænam rationum momenta ostendunt, ex monumentis notitiam divinæ traditionis certo posse hauriri.

II. liquet tum ex dictis pariter, tum ex patrologia (2) adeoque patrum consensione, universaque theologia (3) adeoque consensione theologorum, tum ex communi omnium consensione (4) ipsisque rerum (5) naturis, posse rationi, uti par est, theologice instructæ de re revelata credendaque ex monumentorum summa certo (6) constare ; et si quando rationi tanquam organo investigationis constiterit, pro doctrina aliqua credenda militare monumentorum christianorum summam, constare pariter certissime de divina ejus vel apostolico-divina origine.

178. Necessitas regularum declaratur ad genuinas traditiones cognoscendas.

178. — Jamvero quandoquidem christianis monumentis præter vera divinitus revelata alia insuper comprehendantur, quæ revelata non sunt ; neque cum singulis monumentis semper omnia, neque in rebus, quas continent, omnibus omnia conspirent ; difficile denique sit, omnia monumenta de omnibus ac singulis veritatibus explorata habere : hinc canonibus, normis, regulis opus est, quibus certi reddamur,

(1) Non negant illi generatim thesim, sed speciatim negant hypothesim, hoc vel illud doctrinæ caput, quod ipsi rejiciunt, tali monumentorum conspiratione probari.

(2) Id patefaciunt instruendo infideles, docendo fideles, refellendo inimicos fidei per Majorum traditionem a monumentis collectam.

(3) Huc faciunt, quæ disputavimus* comment. de theol. generatim de theologia, quæ sit scientia, deque theologiæ partitione in positivam et scholasticam, deque theologiæ fontibus atque præsidiis.

(4) Ipsi fidei hostes id sumunt ac supponunt, quum sua placita haud raro e Majorum doctrinis per monumenta antiquitatis asserere, et e contrario orthodoxa dogmata eodem pacto evertere conentur.

(5) Certis adhibitis regulis, quæ plus minusve perspicue continentur in antiquitatis monumentis erui vi rationis possunt : secus negatur vis rationis, utilitas seu valor monumentorum, omnisque revelationis probatio, fideique scientia, et intelligentia.

(6) Cf. quæ ibidem exposita habentur.

et si fieri possit, via quadam rationeque compendiosa innotescat, quandonam aliquid christianis contentum monumentis haberi nec ne debeat uti traditio divina vel revelata divinorum veritas ac fides. De ejusmodi itaque normis jam statuetur.

CAPUT IV.

DE REGULIS QUIBUS GENUINÆ TRADITIONES COGNOSCUNTUR.

§ I. — De regularum sententia et vi.

179. — Licet itaque verissimum sit, summa mediorum traditionis seu christianorum monumentorum revelationem divinam contineri : haud tamen ex æquo vera est propositio excludens, non contineri in iisdem nisi divinam revelationem. Criteriis igitur utendum quibus illa distinguantur. Horum vero numero in primis contendimus venire canonem (1) lirinensis, quem asserendum adgredimur :

179. Ratio prædictæ necessitatis assignatur, tum proponitur regula lirinensis.

THESIS XXIII. *Ad ea autem certo assequenda, quæ in summa monumentorum comprehensa ad divinam pertinent revelationem, in primis et citra erroris periculum conducit regula a Vincentio lirinensi his fere verbis concepta : Tenendum esse quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est ; sive sequendam esse antiquitatem, universitatem, consensionem.*

180. — DEMONSTRATIO. Profecto I. illud ceu objective spectans ad divinam revelationem haberi debet, quod fide ab Apostolis incepta, ubivis diffusa jugiterque continuata absque mutatione idem apud omnes conservatum est; sed ejusmodi est, pro quo militat universitas, antiquitas et consensio fidei, sive quod ubique, quod semper, quodque ab omnibus creditum est; in hoc ergo securissima norma reposita est ad dominicam seu divino-apostolicam traditionem ex medio traditionis cognoscendam et definiendam. Præterea

180. Demonstratio. I. Thesis probatur positive;

(1) Common. I. n. 3.

II. Negative.

II. nisi hoc admittatur, admittendum foret, contingere posse ut quod semper, quod ubique, quodque ab omnibus creditum est, id ab alio objectivo fonte quam a divina revelatione dimanarit; atqui hoc est evidenter falsum; est igitur evidenter verum quod lirinensi regula effertur.

181. Κριτήριον proponitur augustinianum.

181. — Ab hoc porro haud multum augustinianum κριτήριον abludit, quod propterea similiter ac illud exponendum proponimus.

THESIS XXIV. *Eodem spectat, quanquam paulo sit laxior, regula ab Augustino frequenter inculcata : Quod universa tenet ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.*

182. Demonstratio.

182. — DEMONSTRATIO. Regulam hanc

I. Quod regula hæc ab Augustino frequentata sit.

I. ab Augustino haud raro frequentari, patet conferentibus, quæ idem scribit de baptismo (1), quæque de cura pro mortuis gerenda (2) idem disputat. Eandem regulam

II. Quod eadem, quoad rei caput, cum lirinensi conveniat.

II. cum ea, quam Vincentius exposuit, quoad rei caput convenire, demonstrat instituta inter utramque comparatio : utraque enim tota pendet ex universitate, antiquitate et consensione. At vero

III. Quod regula augustiniana lirinensi paulo laxior sit.

III. augustinianum canonem paulo esse vincentiano laxiorem, ex eo deprehenditur, quod Vincentius adhibito verbo, « creditum est », illius amplitudinem una fide objectiva coercuerit. Duplici namque sensu auctoritate apostolica aliquid traditum dici potest : vel dici potest auctoritate apostolica traditum id, quod Apostoli tradendum a Deo acceperunt, et hoc sensu Paulus scripsit (3) : « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis; » vel dici aliquid potest apostolica auctoritate traditum, hoc est, sua ipsorum auctoritate institutum : quo sensu idem Apostolus (4) scri-

(1) Cont. donat. II. 7. IV. XXIV. V. XXIII., ep. 54. al. 118. ad Januar. n. 1. cf. du Perron l. sæpe c. p. 733. sq.

(2) Ad Paulin. n. 3. et cont. Faust. XI. II.

(3) I. Cor. XI. 23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.

(4) I. Cor. VII. 12. Ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος.

psit : Ego dico, non Dominus. » Quare illud traditur ab Apostolis (1) testibus verbi divini, hoc vero ab iisdem traditur uti pastoribus et rectoribus (2) ecclesiæ Dei; illo continetur traditio specifice divina, hoc autem traditio specifice apostolica. Jamvero id omne idque solum credi debet, quod ab Apostolis priori sensu traditum est; quum ergo hoc objecto Vincentius regulam suam diserte circumscripserit, Augustini contra κριτήριον ex sese ad alterum etiam semet porrigat : nihil est clarius quam hoc laxius illa patere. Nihilominus

IV. canonem augustinianum idoneum paremque esse iis tuto cognoscendis, quæ in summa monumentorum contenta ad divinam revelationem pertinent, intelligitur, si spectetur

IV. Quod tamen regula Augustini par sit traditionibus divinis tuto cognoscendis.

1) in se, dummodo attendatur nunc ad rerum naturas, nunc etiam ad adæquatam cum norma Vincentii conspirationem, si scilicet constet credi, quod criterio illo firmatur. Profecto forma utriusque criterii eadem est : continetur enim utrumque antiquitate, universitate, consensione seu unitate. Si quo igitur differunt, id ad materiem spectat. Verum quum identitas criterii potissimum pendeat ab iden-

1) Id intelligitur, si illa in se spectetur.

(1) Hoc autem bifariam rursus patet : vel enim est divinum vel apostolico-divinum ex recepta a nobis et declarata superius atque probata distinctione.

(2) Si quid ergo hujusmodi sit in ecclesia Dei perpetuo custoditum, cujus originem nec ad summos pontifices nec ad episcoporum concilia referre possis, ab apostolico fonte id recte derivabis, quanquam tale sit, quod ab ecclesia institui potuerit. Hac regula jejunium, quod quadragesimale vocant, ab ipsis Apostolis repetitur, secus ac dissidentes arbitrantur, qui corrupto eusebiani chronici loco ad annum 135. nec non commentitia Telesphori epistola apud Isidorum decepti, Telesphorum illius institutionis auctorem statuunt. Eos tamen satis redarguunt Hieronymus ep. 54. ad Marcellum, Leo M. ser. 6. et 9. quadrages., Dorotheus inst. 15., Isidorus hispal. orig. VI. 19. qui jejunium quadragesimæ aperte tribuunt Apostolis. Addi porro illis episcopi possunt, qui ap. Euseb. h. e. V. XXIV. vi traditionis apostolicæ non modo paschatis celebrationem, sed varietatem quoque jejunii suis in ecclesiis tuebantur. Quod vero Telesphorus aliquando piæ hujus consuetudinis auctor a nonnullis crederetur, ex eo non ægre factum fuisse diceres, quod ille primus lege scripta eandem confirmavit. Cf. Natal. alex. in sæc. II. dissert. IV. Sed de his confer, quæ superius exposita, illata et adnotata sunt de partitione traditionum deque regula seu norma reali, qua traditiones divinæ haud raro ab aliis distinguuntur, inspectis ipsis rerum materiarumve naturis.

titate formali, tum facile constat, quale objectum quæve materia sit, ad quam aptandum est, seu, qua de agitur, utrum videlicet de re fidei nec ne sermo sit; atque id facile constat vel ex rerum naturis, vel ex verbis disertis vel ex adsignificatis aliisque adjunctis. Perinde ergo in usu ipso haberi omnino possunt atque haberi etiam solent. Idem apparet, si spectetur

2) Idem apparet, spectata auctoritate Augustini.

2) auctoritas suffragiumque Augustini, qui usus eodem est, ut tum valorem collati ab hæreticis baptismi, tum preces pro defunctis oblatas, tum canonem sacrarum litterarum probaret atque vindicaret. Licet ergo pro eadem accipere Augustini Vincentiique regulam ad traditum Dei verbum citra erroris periculum deprehendendum; itemque apparet manifesto, quam perperam sit, quod cum Pfaffio atque Dallaco protestantes reponunt, Vincentium lirinensem, quæ de ritibus et disciplina præcipue dixit Augustinus, ad dogmata fidei perverso sensu detorsisse.

183. Proponitur quæstio, unde regulam suam dicti doctores hauserunt.

183. Sed unde regulam hanc præstantissimi doctores hauserunt? Estne ab illis vel conficta arbitrio vel novitate penitus invecta, an potius ex indole ac fontibus revelationis deprompta atque collecta? Id si constiterit, de insito regulæ pretio congenitoque ejus charactere perfectius constabit. Atqui constat de eo abunde. Itaque

THESIS XXV. *Eo autem pluris Augustini ac Vincentii regula facienda est, quo evidentius constat, illam in scripturis fundatam et ecclesiasticam esse.*

184. Demonstratio partis prioris, regulam illam in scripturis esse fundatam.

184. — DEMONSTRATIO PARTIS PRIORIS. Sane in scripturis canonem esse fundatum, colligitur, iis scripturarum testimoniis rite collatis, quibus testium traditionisque divinæ antiquitatem originalem, quæ scilicet a Christo ipso Domino incipit, universitatem unitatemque probavimus. Cui hæc addimus propria rationum momenta : fundatum est in scripturis dicique biblicum potest, quod

1) frequenter in bibliis utriusque testamenti recurrit; quod occurrit

2) non obscure sed aperte;

3) non modo indirecte et oblique, sed etiam directe et proposito consilio;

4) sententiis excludentibus non minus quam affirmantibus;

5) quod commendatur, inculcatur, præcipitur ipsaque anathematis pœna jubetur. Atqui hisce omnibus modis occurrit in bibliis

I. antiquitas tanquam veritatis κριτήριον. Id occurrit

I. Antiquitatem esse veritatis κριτήριον colligitur:

1) in V. T. (1) quibus doctrina patrum uti τύπος atque χαρακτὴρ, seu norma veritatis tenendæ a filiis exhibetur; tum (2) quibus id, quod patribus de uno vero Deo cultuque ejus erat ignotum quodque adeo novi faciem præferebat, falsum perhibetur Deoque invisum. Hinc (3) interdicitur, ne præfiniti a patribus fines dimoveantur. In mosaica ergo œconomia (4), præformatrice christianæ, antiquitas, quæ originibus coæva sit, tanquam veritatis tessera, origo autem opposita antiquitati, uti falsitatis errorisque κριτήριον multimodis proponitur. Id quod luculentius etiam

1) E doctrina V. T.

2) doctrina novi testamenti comprobatur. Nam præter quam quod vel ipsa incarnata Veritas ad originalem antiquitatem appellet (5) veluti ad normam divinitus decretam, ad primordia rem revocat Lucas ab exordio evangelii sui; ad primitivam suam institutionem provocat Paulus (6) sub anathematis pœna præscribens contra quodvis aliud posterius inductum; provocat idem (7) ad primam suam prædicationem, asserens eam credendorum regulam complectentem ipsum Dei verbum; ad primigeniam suam tandem doctrinam pro-

2) E doctrina N. T.

(1) Deuteronomii I. 18. IV. 8. sqq.

(2) Deuteronomii XXXII. 7. 17.

(3) Proverbiorum XXII. 28.

(4) Licet mosaica et christiana revelatio perfectione distent; genere tamen conveniunt; quumque insuper vetus illa novam hanc œconomiam adumbrando præformet, nisi aliunde certi aliquid obstet, ex norma illius ad hujus normam servata proportione concludi potest.

(5) Matth. XIX. 4-8. Ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς. Ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτως.

(6) Galat. I. 9. sqq. Εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

(7) Coll. I Cor. XI. 2. XV. 1., I. Thessal. II. 13., II. Thessal. II. 14., alibi.: de quibus cf. prius exposita.

vocat idem (1), præcipiens illius custodiam uti revelationis divinorumque dogmatum sanctissimam complexionem; et cum utroque ad antiquitatem fidemque initio prædicatam atque receptam fideles revocat, sollicite cavens ne quid novi videatur dixisse, Joannes (2) scribens : « Carissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio... Quod audistis ab initio, in vobis permaneat », ita ut ab hoc recedere argumentum æque habeat erroris, atque argumentum veritatis eidem inhærere. Hinc de communi fidelium salute sollicitus pariter Judas (3), supercertandum deprecatur semel traditæ sanctis fidei : nimirum semel pro semper divinitus revelata fides ac tradita est; ea ergo perpetua fides manet ac sola est, quæ originalem refert antiquitatem. Quam trium Apostolorum sententiis fundatam doctrinam sua tandem auctoritate princeps Apostolorum Petrus confirmat (4), quando quod traditum fuit, sanctum mandatum, viam rectam viamque justitiæ nuncupat, retrorsum vero ab eo converti pessimis criminibus æquiparat. E quibus hoc, quod maximi plane momenti est, liquet decretum nimirum divinitus institutumque fuisse, ut id totum idque solum ad christianæ fidei veritatem pertineat, quod primordiali Apostolorum prædicatione (5) comprehensum est. Nullum ergo esse dubium potest, antiquitatem juxta scripturas inter veræ traditionis κριτήρια referri, et referri oportere. Sed referri etiam

II. Præterea in scripturis

II. consensionem debere, docemur in scripturis a Luca præstituente uti paradigma ecclesiæ fidelium conjunctis-

(1) II. Tim. I. 14. III. 14. coll. I. Tim. VI. 3. Τὴν καλὴν παραθήκην φύλαξον. Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης. Ταῦτα δίδασκε. Εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ... τετύφωται.

(2) I. ep. II. 7. 19. 24. 27. Ἀδελφοί, οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ' ἐντολὴν παλαιάν, ἣν εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς· ἡ ἐντολὴ ἡ παλαία ἐστὶν ὁ λόγος ὃν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς.

(3) Ep. cath. vv. 3-20 : Ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει. Ὑμεῖς τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτούς.

(4) II. Ep. II. 15. sqq. Καταλιπόντες εὐθεῖαν ὁδὸν... γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων.

(5) Videsis Car. Passaglia com. de eccles. Chr. vol. II. l. III. c. XVII. n. 171.

simam primitivam (1) credentium societatem; docemur a Christo declarante voluntatem suam, ut unione consensioneque sui cohæreant (2); docemur a Paulo, qui (3) excluso dissensu a credentium societate, unitatem exigit animi et oris, qui unitatem (4) spiritus et corporis ecclesiæ asserit, qui unitatem membrorum ejus per fidem maxime conciliari (5) affirmat, ideoque evangelizantium conspirationem (6) necessariam esse significat, ne in vacuum currant; atque toties in sacris litteris de omnium consensione tanquam argumento (7) veritatis docemur, quoties dissidium inter credentes proscribitur, contra animorum in unum conspiratio præcipitur vel commendatur. Denique

docemur, antiquitatem referri inter κριτήρια veræ traditionis.

III. universitas iis indicatur, quibus Paulus (8) pietatis sacramentum prædicatum gentibus, creditum dicit in mundo, et quibus rursum (9) fidem romanam in universo annuntiari mundo perhibet, et (10) in omnem terram, scribit, « exivisse fidem, prædicantium sonum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Verum quod ultimum sit,

III. De universitate idem asseritur.

IV. tria illa simul iis continentur, quibus superius plus semel verbum Dei revelatum, quod unum est adeoque tenendum credentium consensione, idipsum semper ab Apostolis incipiendo usque ad consummationem sæculi, et quidem

IV. Tria illa simul ostenduntur argumento ex superius probatis desumpto.

(1) Act. IV. 32. Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν καρδία καὶ ψυχὴ μία.

(2) Joan. XVII. 11. 21. sqq. Unitati consulitur primo et maxime fidei unitate consensioneque in unum.

(3) Rom. XV. 5. sq. coll. I. Cor. XI. 16.

(4) I. Cor. XII. 11. sqq.

(5) Galat. III. 23. sqq.

(6) Galat. II. 2. coll. I. Cor. XV. 11. Εἴτε οὖν ἐγὼ εἴτε ἐκεῖνοι, οὕτω κηρύσσομεν καὶ οὕτως ἐπιστεύσατε.

(7) Una est veritas revelata, una proinde credentium fides sit oportet; credentium porro societas regitur veritate divina, in quam proinde ut fideles conspirent jure exigitur; quod si ergo illi credendo conspirent reapse, in veritatem eosdem divinam conspirare manifestissimum est.

(8) I. Tim. III. 16.

(9) Rom. I. 8.

(10) Rom. X. 18. Si fides apostolica ubivis diffusa sit, si rursum fide apostolica credentes nutriantur atque fide se apostolica pasci confidant: profecto nisi universalem in falsitatem, errorem illusionemque in societate christiana consensionem admittere lubeat, fides tum certissime apostolica obtinet, quum universali aliquid fide recipitur.

omnibus gentibus, prædicandum esse sacrarum litterarum suffragio ostendimus. Ex his enim constat, voluisse Christum, ut verbum revelatum semper, ubique et ab omnibus crederetur; indicium ergo revelatæ veritatis sunt antiquitas, universitas, consensio.

185. Demonstratio alterius partis, eandem regulam ecclesiasticam esse.

185. — DEMONSTRATIO ALTERIUS PARTIS. Ea igitur bibliis expressa leguntur, quæ Augustini Vincentiique regulam biblicam satis demonstrant; convenire autem illi vim rationemque regulæ ecclesiasticæ, facile dabunt, qui cum allegatis jam prius hæc Irenæi (1) testis pro utraque plaga, Tertulliani (2) testis pro occidente, et pro oriente Basilii (3) testimonia contulerint. Et Irenæus quidem expositis principibus quibusdam fidei capitibus ab Apostolis transmissis, ita pergit : « Acceptam hanc, ait, prædicationem ac fidem, uti ante diximus, ecclesia tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio et cura perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet et

Allegatur Irenæus testis pro utraque plaga.

(1) Adv. hær. I. I. c. x. n. 2. Τοῦτο τὸ κήρυγμα προειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κοσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάττει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύττει, καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη Καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιοι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. Κ. τ. λ. Ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸ κτίσμα τοῦ θεοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν.

(2) Con. Marc. IV. 5. et de præscriptt. c. XXI. præclare apostolicam esse veritatem revelatam debere patefacit, idque capite demonstrat XXVIII.

(3) De spiritu s. c. 29. nn. 71. 75. coll. cc. x. 27. 30. Ἀποστολικὸν δὲ οἶμαι, καὶ τὸ ταῖς ἀγράφοις παραδόσεσι παραμένειν... ὧν μία ἐστὶ καὶ ἡ παροῦσα αὕτη, ἣν οἱ ἐξ ἀρχῆς διαταξάμενοι παραδιδόντες τοῖς ἐφεξῆς, συμπροϊούσης ἀεὶ τῷ χρόνῳ τῆς χρήσεως, διὰ μακρᾶς τῆς συνηθείας ταῖς Ἐκκλησίαις ἐγκατερρίζωσαν. Ἆρ' οὖν εἰ ὡς ἐν δικαστηρίῳ τῆς διὰ τῶν ἐγγράφων ἀποδείξεως ἀπορροῦντες, μαρτύρων ὑμῖν πλῆθος παραστησαίμεθα, οὐκ ἂν τῆς ἀφιείσης παρ' ὑμῶν ψήφου τύχοιμεν ;..... Πῶς οὖν καινοτόμος ἐγὼ καὶ νεωτέρων ῥημάτων δημιουργός, ἔθνη ὅλα καὶ πόλεις, καὶ ἔθος πάσης μνήμης ἀνθρωπίνης πρεσβύτερον, καὶ ἄνδρα στύλους τῆς Ἐκκλησίας, ἐν πάσῃ γνώσει καὶ δυνάμει Πνεύματος διαπρεπεῖς, ἀρχηγοὺς καὶ προστάτας τῆς φωνῆς παρεχόμενος;

tradit. Quanquam enim dispares inter se mundi linguæ sint, una tamen et eadem est traditionis vis. » Et q. s. Quibus uti apostolicitatem traditionis, ita ejus deinde cum universitate consensionem summam extollit, de qua post pauca iterum pergit : « Sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est : sic et lumen, prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. » Est ergo prædicatio veritatis una, ea est, quæ ubique et apud omnes manifestatur, et apostolica est semperque propagatur, quemadmodum l. III. c. II. n. 1. egregie plane, ut supra exposuimus, declarat.

186. — Tertullianus vero postquam ab Apostolorum doctrina alienam deceptionem esse declaravit, his continuat : « Nullus inter multos eventus unus est exitus : variasse debuerat error doctrinæ ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. » Quibus conspirationem omnium argumento philosophico cum veritate connexam demonstrat. 186. Tertullianus pro occidente.

187. — Tandem Basilius disputatione gravissima de sancto Spiritu hæc habet : « Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere : » quod quum allatis scripturæ testimoniis (1) probavit, subdit : « Quarum (traditionum apostolicarum) una est et hæc, de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in ecclesiis irradicaverunt. Ergo si velut in tribunali, probationibus e scripto destituti, multos vobis testes provocamus, nonne sententiam absolventem a vobis consequemur? » Et adductis testibus tandem concludit : « Qui fit igitur, ut ego sim innovator, et recentiorum verborum architectus? Cum totas nationes, civitates, et consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper et viros ecclesiæ columnas, omni scientia ac virtute spiritus claros, duces ac patronos hujus vocis exhibeam? » Quibus nihil clarius. Eo igitur Majores spectant, ut fidei non minus uni- 187. Basilius pro oriente.

(1) I. Cor. XI. 2. II. Thess. II. 14.

tatem, quam fidelium in eam conspirationem doceant, neque minus illam continua ab Apostolis generationum successione perpetuam, quam gentium ubivis conversione universalem esse atque esse debere affirment. Quod ergo repetitur ab Apostolorum ætate continuaque et universali prædicatione in Dei ecclesia prædicatur, illud affectum veritatis revelatæ charactere insigni testantur.

188. Id de quo in thesi, non omnino negatur ab hæreticis.

188. — Id quod ab ipsis hæreticis non omnino negatur. Non negatur a Calvino adversus Pighium disputante; non negatur a Philippo Melanchtone (1), non a Calixto (2), non a Grotio (3); neque tandem negatur (4) ab anglicanis. Quod quidem argumento est, in œconomia fidei divinitus instituta id esse evidenter verum atque credendum, quod ubique, quod semper, quodque ab omnibus creditum est.

189. Corollarium I.

189. — COROLLARIUM I. Cum his consertum est κριτήριον reale, quo divina traditio distingui possit. Res ergo de fide vel moribus, quæ authenticorum suffragio testium obtinet vel invaluit, quæque sacris litteris non continetur, ea certissime ex traditione divina vel apostolico-divina descendit (5).

190. Corollarium II.

190. — COROLLARIUM II. Quare divinitus traditum est dicendum, quod quum a solo Deo institui potuerit, et in sacris litteris nuspiam reperitur, ab ecclesiæ tamen præsidibus custodiendum omnibus præcipitur (6).

(1) Ap. Grotium opp. theol. t. III. p. 674. in voto pro pace, ubi sic: « Universalis consensio omnium temporum est testimonium, quod hæc ordinatio est apostolica. »

(2) Calixtus, theol. helmstad. proœm. lib. August. de doctrina christ.

(3) In voto pro pace eccles. con. exam. Andreæ Riveti l. c. p. 673.

(4) Cujus rei testis est Guill. Wake archiep. cantuar. in exposit. doctr. eccles. anglic. adv. Bossuet. Cf. Zorn in vindiciis ss. patrum.

(5) Hinc Vincent. lirin. com. c. IX. e traditione certissime ductam affirmat consuetudinem, de qua Stephanus ad africanos episcopos; nec non Augustinus de Gen. ad litt. x. 23, ex eadem infantium baptisma repetit.

(6) Ita Aug. cont. Crescon. l. I. c. XXXIII. : « Proinde, inquit, quamvis hujus rei (id est baptismi hæreticorum non iterandi) certe de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod universæ jam placuit ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam sacra scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis,

191. — SCHOLION. Utrique superiori regulæ adjici sequentes a theologis passim solent : 191. Scholion, in quo adjiciuntur aliæ regulæ theologicæ.

a) quod universa ecclesia veluti fidei dogma propugnat, eos inter hæreticos referens, qui contradictorium docent, hoc divinæ traditionis est, licet in sacris litteris non inveniatur (1). Specimina præbent perpetua bb. Deiparæ virginitas, Christi Domini ad inferos descensus, certus evangeliorum numerus et id genus alia. Addunt deinde quartam :

b) quidquid in ecclesia universa ab ultimis usque temporibus servatur, quod non potuit humana potestas efficere, id divinæ traditionis sit oportet. Huc referunt baptismum infantibus collatum et collatum ab hæreticis (2); tum huc revocant dissolutionem votorum et juramentorum abrogationem (3). Accedit præterea quinta :

c) si quid communis ecclesiasticorum doctorum consensus ab Apostolis traditum fuisse testatur, gravissimo id firmissimoque est argumento, apostolicæ illud esse originis (4). Ita defensæ a veteribus imagines fuerunt, neque secus symbolum vindicatur Apostolis (5). Sextam subdit Bellarminus :

d) illud certissime ex traditione apostolica descendere, quod pro tali in illis ecclesiis habetur, ubi integra est et continuata ab Apostolis successio (6).

§ II. — De regularum usu.

192. — Quum itaque ad divinam traditionen eruendam determinandamque regulæ in primis Vincentii et Augustini tantæ auctoritatis tantique pretii sint, maximi fieri debet 192. Scopus indicatur præsentis disquisitionis atque commoda inde oritura

eandem ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra scriptura demonstrat. » Atque huc referri plura e sacramentis debent, quæ ss. litteris significari potius quam evidenter et sine exceptionibus demonstrari dicuntur.

(1) Regulam hanc necnon et alteram, quam immediate subjicimus, illatis modo præoccupavimus corollariis.

(2) De quibus videsis Aug. de Gen. ad litt. x. 24. et de bapt. cont. donat. II. VII.

(3) De quibus consulatur Melchior Canus. III. IV.

(4) Hac de re non pauca inferius dicentur.

(5) Vide Natal. al. in sæc. I. dissert. XII.

(6) Cf. dicta superius de præsidiis.

plurimumque interest novisse, quonam pacto tres a regula postulatæ notæ semet ad ipsam revelatam veritatem habeant, cujus sint necessitatis, et utrum tres simul omnes necessariæ sint, an una vel altera sufficiat? Hoc autem in compertis exploratisque habere ideo etiam utile est ac necessarium, ut usus earum reddatur securior, et consequentiarum fallaciæ (1) secludantur. Ad hæc explicanda ita statuimus.

THESIS XXVI. *Ut vero sincerus sit atque expeditus utriusque regulæ usus, animadvertendum est : I. comperta antiquitate nihil præterea requiri; II. antiquitatem cum universitate et consensione non semper necessario cohærere; at vero III. universitatem juxta ac consensionem cum antiquitate semper et necessario conjungi; proindeque IV. regulam Vincentii prolatam verbis, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus, esse quidem positive verissimam, sed dempta antiquitate urgeri negative non posse.*

193. Demonstratio.

193. — DEMONSTRATIO Quæ his simul complexi sumus, ea singillatim atque ex ordine expendenda sunt. Itaque

I. Probatur, comperta antiquitate nihil præterea requiri.

I. quod ad primum attinet, res evidens est

1) Ex ipsis rerum naturis.

1) ex ipsis rerum naturis. Quod ut patefiat, ita disserimus : compertam habere doctrinæ christianæ antiquitatem, idem valet ac novisse originalem testificationem : siquidem (2) illud proprie simpliciterque antiquum habetur, quod ecclesia ab Apostolis, Apostoli acceperunt a Christo sanctoque ejus Spiritu, et Christus, a quo Spiritus sanctus accepit (3), audivit a Patre; quisque porro intelligit, hac comperta originali testificatione nihil præterea esse reliquum,

(1) Quam periculosa sit regulæ vincentianæ minus vera ac genuina interpretatio, ejusque inde usus omnino perniciosus, excitatæ ante, apud et post vaticanum concilium quæstiones, difficultates, exceptiones, quæ ex illo canone repeterentur, de necessitate unanimitatis omniumve sive præcedentium sive præsentium ecclesiæ episcoporum et horum sive dispersorum sive in concilio collectorum consensione, ad oculum, ut aiunt, et quidem nostrum demonstrarunt.

(2) Tertull. de præscriptt. c. xxi.

(3) Joann. xvi, 13. sqq.

ut cognita divina revelatio existimetur. Sane hoc sequitur ex ipsa natura, seu vi ac ratione institutionis christianæ, de qua paulo ante (1) dictum est : hæc enim apostolica absolvitur prædicatione ac testificatione : ædificati enim sumus super fundamentum Apostolorum (2). Certissime ergo christianam fidem tenet, qui cum apostolica cohæret doctrina, sicuti devius est ab institutione christiana, quisquis ab illa est alienus; sed prædicatio apostolica et antiquitatis testificatio ejusdem sunt potestatis. Hinc idem comprobatur

2) sacris scripturis, quibus, ut in antecessis est, antiquitas, quæ originalis et quoad initium Apostolis non est recentior, cum positive tum negative ad fidem christianam declaratur necessaria. Probatur 2) E sacris scripturis.

3) auctoritate Majorum idipsum confirmantium, necessariam proprietatem veritatis christianæ in antiquitate esse originis, sed ita, ut doctores scriptoresque ecclesiæ illam itidem plenissimam ex sese penitusque sufficientem veritatis revelatæ ostensionem habuerint. Sane præsulibus in synodis coactis ad omnem dirimendam quæstionem abunde fuit, novitatem adversæ sententiæ detexisse et antiquitatem doctrinæ orthodoxæ aperuisse (3); hinc trita patri- 3) Ex auctoritate Majorum.

(1) Vide dicta superius.

(2) Cf. quæ superiori thesi declarata sunt.

(3) Satis est, unum adduxisse specimen ex actis ephesini concilii, in quo p. II. act. I. coll. 1421. sq. ap. Harduin. lecta fuit epistola Capreoli carthagin. ad synodum, qui post alia hæc scripsit : « Quamobrem vestram sanctitatem iterum atque iterum rogatam cupio (etiamsi fidem catholicam per tantam venerandorum sacerdotum synodum Dei nostri auxilio in omnibus stabilem ac firmam futuram certo confidam), ut Spiritu sancto cooperante, quem cordibus vestris in omnibus, quæ acturi estis, præsto futurum non dubito, novas doctrinas et antehac ecclesiasticis auribus insinuatas (ἀπείροις, incompertas, inauditas) priscæ auctoritatis robore instructi e medio profligetis; ne hos, quos pridem impugnavit ecclesia, hisque temporibus repullulantes apostolicæ sedis auctoritas sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secundæ disputationis prætextu vox jamdudum ablata renovare videatur. Nam si quid forte novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet, ut vel recte dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At vero si quis ea, quæ jam olim dijudicata sunt, denuo in disputationem vocari sinat, is sane aliud nihil facere censebitur, quam de fide, quæ hactenus valuit, ipsemet dubitare. Deinde ad posteritatis exemplum, ut ea, quæ nunc pro catholica fide definita sunt, per-

bus (1) omnibus vox, abjectis vitatisque profanis novitatibus inhærendum esse antiquitati; hinc summorum pontificum

petuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conservare, quæ superioribus temporibus a sanctis patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de catholica fidei ratione statuerit, is non propria auctoritate, sed antiquorum patrum judicio sententiam suam corroborare debet : ita ut ea ratione partim veterum, partim recentiorum decretis et sententiis placita sua comprobans, unicam ecclesiæ veritatem jam inde ab initio ad præsens usque tempus simplici puritate invictaque constantia et auctoritate decurrentem se asserere, docere, et tenere ostendat. » Hac africanorum nomine scripta epistola coram patribus ephesinis lecta dixit Cyrillus : Καὶ ἡ ἀναγνωσθεῖσα ἐπιστολὴ τοῦ εὐλαβεστάτου καὶ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου τῆς Καρθαγίνης Καπραιόλου ἐμφερέσθω τῇ πίστει τῶν ὑπομνημάτων, φανερὰν ἔχουσα διάνοιαν. Βούλεται γὰρ τὰ μὲν ἀρχαῖα κρατύνεσθαι τῆς πίστεως δόγματα, τὰ δὲ νεαρὰ καὶ ἀτόπως ἐξευρημένα καὶ ἀσεβῶς εἰρημένα ἀποδοκιμάζεσθαι καὶ ἐκβάλλεσθαι : « Et hæc reverendissimi piissimique Carthaginis episcopi Capreoli, quæ lecta est, epistola quum dilucidam sententiam in se contineat, fidei gestorum inseratur. Vult enim antiqua fidei dogmata confirmari; nova vero et absurde excogitata et impie divulgata reprobari ac proscribi. » Ad quæ præclaro concentu episcopi : Αὗται πάντων αἱ φωναί· ταῦτα πάντες λέγομεν αὕτη πάντων ἡ εὐχή : « Hæ omnium voces, hæc omnes asserimus, hoc omnium est votum. » Quibus 1) conciliarium definitionum et infallibilitas et immobilitas declaratur; hinc 2) exclusio cujusvis illarum retractationis, qua definita a prioribus in causam a sequentibus vocentur; nominatim 3) sedis apostolicæ auctoritas, et 4) character veritatis antiquitas originalis esse perspicue statuitur.

(1) Loco omnium sint, quæ habet Iren. l. III. c. IV, quo a) docet n. 1., apud antiquissimas ecclesias quærendam veritatem : b) n. 2., veterem Apostolorum traditionem custodiri apud gentes barbaras etiam sine scriptis, et c) Valentinum, Cerdonem, Marcionem antiquitatem omnino non præferre, sed « multo esse posterius, mediantibus jam ecclesiæ temporibus », ideoque initiatores et inventores eos esse perversitatis. His similia repetit l. V. c. XX. n. 1. : « Omnes enim ii valde posteriores sunt quam episcopi, quibus Apostoli tradiderunt ecclesias : ei hoc in tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. Necessitatem ergo habent prædicti hæretici, quoniam sunt cæci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum. Eorum autem, qui ab ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem, omnibus unum et eundem Deum Patrem præcipientibus, et eandem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eandem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus præcepta, et eandem figuram ejus, quæ est erga ecclesiam, ordinationis custodientibus, et eundem exspectantibus adventum Domini, et eandem salutem totius hominis, id est animæ et corporis sustinentibus. Et ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc sapientia Dei per quam salvat omnes homines, in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris prædicatur, in portis autem civita-

declarata sententia : « Nihil innovetur, nisi quod traditum est; » et hæc altera : « Desinat novitas incessere vetustatem (1). » Quemadmodum ergo deficiente antiquitate deficit certissime revelata veritas : ita originali data antiquitate, certissime datur christiana eaque apostolica fides; adeoque præterea nihil ad acquisitionem cœlestis doctrinæ exigitur.

194. — Verum

II. Negatur antiquitatem cum universitate et consensione semper necessario cohærere.

II. quum antiquitas ex se sola sufficiat : quæri jure potest utrum ea exsistente simul etiam aliæ duæ superius commemoratæ notæ consensio et universitas obtineant? Cui quidem interrogationi satisfecimus affirmando, cum illa non necessario neque semper has esse consertas. Atque id

1) Id vel ipse Augustinus declaravit frequenter.

1) luculentissime frequenterque vel ipse Augustinus (2) declarat, licet is communi consensioni haud minus raro insistat. Quemadmodum ergo antiquitatem necessariam duxit :

tis constanter loquitur. Ubique enim ecclesia prædicat veritatem, et hæc est ἑπτάμυξος (septem habens ellychnia, ad quæ respexisse Vincent. lir. videtur com. I. n. 6.) lucerna, Christi bajulans lumen. » Est ergo 1) in antiquitate sita veritatis tessera; 2) in recessu vero ab ea situm criterium erroris; 3) cum antiquitate conserta fidei unitas simul atque universitas; hæc autem 4) prædicationi ecclesiæ conveniunt, quæ ad salutem hominum instituta divino lumine Deique sapientia regitur atque protegitur. Eandem doctrinam complectitur Tertullianus de præscriptt. cc. XXI. XXIX. et con. Marc. I. I. II. II. V. XIX. adv. Hermog. c. I. et con. Prax. c. II. ubi hæc memoria digna : « Hanc regulam ab initio evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræque adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum fuit, id esse verum quodcumque primum, id esse adulterum quodcumque posterius. » Eam significat Clem. al. strom. l. VII. § 16., Epiphan. hær. LXXV. n. 6. LXXVI. n. 1., Basil. de sp. s. cc. VII. XXIX., Aug. c. Jul. IV. 135. V. 9. VI. 1–3. ad Bonifac. III. ult. et ser. XIV. 14. 7. 3. 16. 17. atque Vincent. lir. com. cc. III. sqq. XXI. sqq.

(1) Decrett. Stephani et Cœlestini.

(2) Nihil profecto illustrius proferri in medium potest disputatione Augustini contra donatianos, I. III. II. IV. sqq. V. XXII. alibi. Irritum illi baptismum a pravis collatum ministris contendebant; contrarium pro munere Augustinus defendebat, utens suo frequenter canone superius expenso. Atqui dissidebat aliquando ecclesia carthaginiensis, dissidebat cæsareensis Cappadociæ, neque deerant aliæ orientis ecclesiæ quæ dissiderent, editisque synodorum decretis collatum ab hæreticis baptisma rejicerent et conferendum rursum ab orthodoxo ministro præscriberent. Sed quid ad hæc Augustinus? Reponit, similiter ac lir. Vinc. com. I. n. 6., aliter illas olim sensisse ecclesias, recentes esse earum constitutiones, novitatemque subrogatam an–

ita ab ea universalem conspirationem separabilem censuit. Et sane

2) Idem discimus e verbis Leonis M.

2) recordatione digna sunt hæc Leonis M. verba (1) : « In his fratribus meis, quod vice mea misi, me quoque adesse cum ceteris qui adfuerint, æstimate; quibus secundum causam, satis mihi ex gestorum serie et ipsius de quo agitur professione patefactam, evidenter et plene quid servandum esset, ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostræ, quæ minus dilucide declarata (2) sit, quæritur, sed hoc stolidissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in ecclesia sua neminem sexus utriusque voluit ignorare. » E quo summi plane doctoris effato discimus, fidei veritates esse secernendas, quando aliæ plene evidenterque patefactæ

tiquitati fuisse ostendit. Ex Augustino igitur apertissime ab antiquitate sejuncta universalis esse consensio potest. Cum hoc autem cohæret, 1) quod vere antiquum est, id latere aliquos posse; imo 2) latere præsules etiam oculatiores nonnunquam posse; quin etiam 3) latere posse synodos particulares; adeoque 4) studio et curis opus esse, et tutis præsidiis ad veritatem certo assequendam, de quibus supra statuimus. Quod vero ad mentem Augustini de Cypriani aliorumque rebaptizantium sententia Stephanique adversus eos οἰκονομία attinet : ea ex omnibus simul Augustini hac de re locis colligi debet, nominatim vero ex l. III. iv. cont. donat. apparet : nimirum censuit Augustinus, a) Stephanum nunquam actu separasse a sua communione Cyprianum; b) Stephanum in ea re dogmaticum decretum non edidisse; hinc c) Cyprianum cathedræ Petri præfracte omnino non restitisse; verum d) Stephanum jussisse tantum, ut antiqua praxis novitate eliminata restitueretur, ubi ea disparuit; contra e) Cyprianum putasse, hanc praxim ad rem tantummodo disciplinarem spectasse; adeoque f) quum disciplinæ varietas fidei unitatem non tollat, conclusisse Cyprianum, nihil obstare ac impedire quominus ecclesiæ diversæ diversam in illa causa, qua de agebatur, praxim sequerentur : porro g) ad dirimendam quæstionem, utrum praxis ejusmodi apostolica tantum an vero divino-apostolica sit, οἰκονομικῶς generale concilium opportunum fuisse; maxime quod h) in materiis, ut aiunt, practicis, ubi magnarum ecclesiarum provinciarumque consuetudines discrepant, et magni hinc inde episcopi uti patroni exsistant, apostolica prudentia dogmaticam definitionem differre soleat. — De concilii vero opportunit. cf. Orsi de rom. pont. auctor. l. I. a. 1. p. 5. quæque disputavimus de unit. rom. II. 1. II.

(1) In litteris, quas per suos legatos ad Pulcheriam Augustam misit.

(2) Significat ergo Leo, principalia fidei capita, quibus maxime totum coalescit corpus, satis dilucide declarata innotuisse; quæ vero illorum prope complexione concluduntur, ea minus dilucide explicata ignorari posse; hinc eadem a fidelibus in illis et cum illis teneri quidem una et simul, intento tamen digito neque ab omnibus ostendi posse neque distinctis ab omnibus ideis apprehendi.

omnibus semper innotuerint, aliæ vero minus lucide declaratæ neque omnibus neque semper pari ratione fuerint compertæ. Atqui ex tali discrimine repeti causa debet, propter quam neque semper neque necessario cum antiquitate cohæret universalis consensio. Huic autem distinctioni expoliendæ

3) Manifesta hac de re mens adfertur Augustini iterum tum Vincentii lirinensis.

3) conferunt Augustini verba (1), quibus fatetur, loca scripturarum (adeoque divinam revelationem) occasione pelagianæ hæreseos copiosius et enucleatius fuisse enarrata, quam si nulla talis necessitas coegisset. Tum conferunt et multo etiam evidentius, quæ idem habet in psalmum LIV (2) : « Etenim ex hæreticis asserta est catholica, et ex his, qui male sentiunt, probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim latebant in scripturis ; et, quum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitaverunt ecclesiam Dei : aperta sunt, quæ latebant et intellecta est voluntas Dei. Inde dicitur in alio psalmo (3). « Congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur hi, qui probati sunt argento. » Excludantur enim dixit, emineant, appareant. Unde dicuntur et in arte argentaria exclusores, id est, ex quadam confusione massæ, formæ expressores. Ergo multi, qui optime possent scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quæstionum difficilium, quum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de trinitate tractatum est, antequam oblatrarent ariani? Numquid perfecte de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores : nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant, quæ dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jam illi, qui noverant hæc tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus et disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent. Ergo illi divisi sunt præ ira vultus ejus, et nobis ad

(1) De bon. persever. n. 53.
(2) In ps. cit. n. 22. coll. cont. donat. II. IV. IX. V. XXII.
(3) Ps. LXVII. 31.

intelligendum appropinquavit cor ejus. » Fieri ergo potest factumque esse ab Augustino refertur, ut quæ in se sunt antiqua fidei dogmata, ea licet non diserte negentur, tamen vel non ab omnibus distincte apprehendantur, vel non clare semper proponantur, vel silentio etiam a multis premantur, ita ut expressa omnium consensio nullatenus illis respondeat. Conferunt tandem, quæ de criterio in obortis dissensionibus adhibendo pluribus splendide disserit in suo commonitorio (1) lirinensis Vincentius, e quibus compertissimum est, neque semper neque etiam necessario consensionem et universitatem cum antiquitate esse consertam. Quærit diligentissimus et accuratissimus regularum præceptor de norma, quando non omnes una sententia conveniant: «Et si quando, inquit, pars contra universitatem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contra omnium vel certe multo plurium catholicorum consensionem rebellaverit : præferant partis corruptioni universitatis integritatem. » Et q. s. Nihil ergo manifestius, quam ex mente sanctorum Augustini Vincentiique conceptam, declaratam, usitatamque ab ipsis regulam ita intellectam non esse, quasi cum doctrinæ christianæ antiquitate semper juncta esset et omnium conspiratio et adeo plena perfectaque. Atque hoc tandem

4) Hoc historia dogmatum abunde probatur.

4) historia dogmatum probat, non raro contigisse, ut intra ecclesiæ ambitum ante dogmaticas definitiones haud exigua obtinuerint dissidia, et quæ postea stabilita fuerunt, ea prius modo a pluribus, modo a paucioribus impugnata sint (2). Est ergo extra dubium quodvis positum, cum uni-

(1) NN. 22. sqq. « Intelligatur, inquit, te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. » Quibus logicum fidei profectum significat. Sed referri huc quoque possunt, quæ de re liturgica habet Chrysostomus hom. in diem natalem Domini opp. tom. II. pp. 355. sqq.

(2) Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, verba Pauli (I. Cor. xi. 28.): « Probet autem seipsum homo, » intelligi oportere de probatione, quæ sacramentali confessione absolvitur? Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, sanctum esse ratumque baptismum ad præfinitam a Christo normam ab hæreticis administratum? Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, apocalypsim s. Joannis divinæ esse originis atque in s. scripturæ album refe-

versitate alias duas notas non semper adeoque nec necessario cohærere.

195. — At contrarium plane cum antiquitate contingit præ universitate et consensione. Etenim

III. hæc duo quotiescumque obtinent, toties conjunctam habent antiquitatem. Cujus rei

III. Affirmatur universitatem et consensionem cum antiquitate semper et necessario conjungi.

1) locupletissimus sane auctor est ipse iterum sanctus Augustinus (1) scribens : « Quam consuetudinem (non iterum baptizandi hæreticos) credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, nec in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur ». Similia non semel (2) repetit, et gemina ab aliis (3) ecclesiæ patribus probantur, quorum nomine Basilius (4) ita : « State in fide, circumspicite orbem terrarum, et videte exiguam esse hanc partem, quæ morbo laborat, reliquam autem ecclesiam, quæ a terminis usque ad terminos evangelium suscepit, in sana hac (de Spiritu sancto) versari et incorrupta doctrina. » Ex universitate igitur doctrinæ et consensione, qua, ut ait ibidem, non alia doctrina, ac in Cappadocia ab ipso, teneretur Seleuciæ, Constantinopoli, Zelis, et Lampsaci, et Romæ, arguit ejus sanam

1) Auctores hujus rei adferuntur Augustinus et Basilius.

rendam? Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, libros δευτέρους generatim esse inspiratos? Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, Spiritum sanctum a Patre Filioque tanquam ab uno principio sempiterna procedere spiratione? Fuit nec ne ante definitionem impugnatum, immunem esse ab omnis peccati labe beatissimæ Virginis conceptum? Quo etiam hæc Hieronymi spectant e commentario in Jerem. l. IV. de justorum beatitate, secus ac Joannes XXII. deinceps definivit, usque ad corporum resurrectionem differenda : « Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et martyrum ista dixerunt, et unusquisque in suo sensu abundet et Domini judicio cuncta reserventur. »

(1) Cont. donat. II. VII.

(2) L. c. c. XXIII. coll. III. 1. sqq. IV. VI.

(3) Cf. Athanasium de nicæn. synod. decret.

(4) L. s. c. ep. 72. al. 251. ad Evæsenos : Στήκετε ἐν τῇ πίστει, περιβλέψατε εἰς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἴδετε, ὅτι μικρόν ἐστι τοῦτο τὸ μέρος τὸ νενοσηκός· ἡ δὲ λοιπὴ πᾶσα Ἐκκλησία, ἡ ἀπὸ περάτων εἰς πέρατα δεξαμένη τὸ εὐαγγέλιον, ἐπὶ τῆς ὑγιοῦς ἐστι ταύτης καὶ ἀδιαστρόφου διδασκαλίας.

incorruptamque veritatem, quæ est doctrina antiqua, apostolica. Et jure (1) omnino. Etenim

2) Ostenditur ipsos jure ita sensisse.

2) universalis consensio non discrepat ab unanimi suffragio testium de iis, quæ revelata credendaque sunt; ostendimus porro ab ejusmodi suffragio veritatem nunquam sejungi; quod ergo circa rem credendam universali consensione stabilitur, idipsum necessario dici revelatum debet. Sed hoc idem necessario antiquum est et primordiali Apostolorum prædicatione vetustum. Cum conspiratione ergo eaque universali necessario vincta nexaque est originalis antiquitas. Quod quidem

3) Idem demonstrat præclare Tertullianus.

3) alia insuper eaque præclara oratione demonstrat Tertullianus (2) conceptaque formula effert : « Age nunc, inquit, omnes erraverint, deceptus sit Apostolus de testimonio reddendo quibusdam, nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret (3), ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis (4); neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat : ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus : variasse debuerat error doctrinæ ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse, qui tradiderunt? » Scilicet, quum hinc veritas revelata fideque amplectenda ab antiquitate avelli nequeat, inde autem illud pariter haberi certissimum debeat, quod (5)

(1) De his digni qui conferantur sunt du Perron op. sup. cit. p. 637., Vincent. Severinus claravall. de eccles. præsent. temp. c. III. pp. 42. sqq. et Moehler de unit. eccles. p. 46.

(2) De præscriptt. c. XXVIII.

(3) Joan. XIV. 26.

(4) Joan. XV. 26.

(5) Animadverti et illud meretur, quod universale est, nisi ipsi naturæ humanæ congenitum sit, ejus origines in tempora priora rejici oportere, a quibus profectum universitatem paulatim occupavit. Universitas ergo rei extrinsecus ad homines accedentis antiquitatem certe relativam, ut aiunt, supponit. Hac porro universitate, quæ in re christiana obtinet, postulari antiquitatem absolutam sive originalem, ex enarratis rerum naturis constat.

unanimi fidelium conspiratione tenetur, concludendum esse apparet, antiquitatem ab universali fidelium omnium consensione separari nullatenus sive posse sive debere.

196. — Hinc autem

IV. liquido patet, canonem lirinensis positive acceptum esse verissimum, quod quæ demonstravimus omnia evidenter patefaciunt; sed negative urgeri præ complexione trium simul notarum non posse. Ut enim fieri id posset,

IV. Quod regula vincentiana etsi positive verissima, præ tribus simul notis urgeri negative non possit.

1) necessarium foret; tres illas notas, antiquitatis, universitatis, consensionis individuo semper vinculo copulari; sed earum vinculum non esse individuum, paulo prius effecimus. Profecto

2) Vincentii canonem urgere negative, idem valet ac contendere, illud nullatenus esse divinitus revelatum, pro quo ex æquo non militant et antiquitas et universitas et consensio, et illud esse falsum et erroneum in re religiosa, quod non semper, quod non ubique, quod non ab omnibus; sed ostendimus, aliquid esse posse divinitus revelatum, atque ad fidei veritatem pertinere, pro quo tria illa tamen ex æquo non militant (1).

197. Quod si nihilominus sola accipiatur antiquitas, negative regula urgeri plane potest. Id enim, præter ea, quæ jam demonstrata dedimus, rite hoc pacto urgetur, quod si desit, nullum amplius caput doctrinæ ambitu revelationis christianæ comprehensum censeri potest; id autem, deficiente antiquitate, contingit. Quo celebris Tertulliani præscriptio pertinet (2), veritati deputandum esse, quod antiquum est, errori contra tribuendum, quod novum.

197. Excipitur antiquitas, quæ vel negative urgeri semper potest.

(1) De his videsis quæ disputavimus una cum auctore, cujus nomen præfert commentarius de imm. Virg. concept. vol. III. sec. VIII. p. 2024.

(2) De præscriptt. c. XXXI, con. Marc. I. 1., con. Prax. c. II. et alibi. Cf. Bossuet, instruct. 1. pastor. sur les promesses de l'Eglise et instruct. 2. opp. tom. XXII., du Perron tom. III. p. 629, ubi gravissimus auctor ita commentatur : « Non eo spectat lirin. canone universitatis, ut per singulas ætates recurrendo singularum in medium proferantur auctoritates; verum eo spectat, ut antiquitatis et perpetuitatis ope præscribat titulo possessionis contra hæreticos, opponatque τὸ semper catholicæ possessionis τῷ nuper hæreseos novitatique posterioritatis : sufficit ergo ex lirin. canone, ut quotiescumque hæresis prodeat, ostendatur, ad hunc usque diem ejusmodi

198. Corollaria inferuntur.

198. — Ex his autem non pauca neque levissimi momenti intulisse juverit :

9. Corollarium I.

199. — COROLLARIUM I. Consequitur ergo, indolem christianæ veritatis, ideoque et christianæ societatis (1) historicam esse factique supernaturalis, non vero rationalisticam, ut aiunt, inventionisque naturalis, adeoque nec inniti nec probari novis humanæ rationis placitis, sed probis accuratisque antiquitatis interpretationibus (2).

200. Corollarium II.

200. — COROLLARIUM II. Consequitur ergo, christianam veritatem, licet profectum (3) logicum, hermeneuticum et exegeticum admittat multiplicem, nullum tamen in se admittere profectum ontologicum, sed unam semper eandemque ὄντως (4) immutabiliter manere. Hinc revelationi divinæ christianæque fidei prorsus opponuntur commenta eorum omnium, qui novam vel aliam vel etiam pleniorem perfectioremve universalis salutis revelationem in hoc sæculo præstolantur.

201. Corollarium III.

201. — COROLLARIUM III. Colligitur ergo, lege possessionis veritatem statui, errores revinci. Illa enim titulus regitur antiquitatis (5) et præscriptio contra quamvis novitatem. Hinc Clemens alexandrinus (6) ut gnosticos ostenderet a veritate alienos, probavit, ea esse conciliabula ecclesia catholica posteriora ; quo probato (7), infert : « Clarum est ex antiquissima et verissima ecclesia, has recentiores et

doctrinam non fuisse auditam, nec posse ostendi, aliter unquam in ecclesia Dei fuisse creditum, quam modo credatur. » Id autem sic se habere ex ipso Vincent. common. I. c. III. et II. ostenditur.

(1) Non quod propria auctoritate inventum, sed quod traditum est, id christianum est. Cf. Moehler de unit. eccles. p. 65.

(2) Cf. disputata in comment. de eccles. Christi vol. II. l. III. c. XVIII.

(3) Confer quæ de his secundum Majores sacrumque vaticanum concilium disputavimus commentar. de theologia generatim, qui est in sacram doctrinam ὁδηγός.

(4) Secus manifesto antiquitas tollitur.

(5) Quod prius, id verum : Tertull. de præscriptt. l. c.

(6) Str. l. VII. c. XVII. l. c. p. 898. al. col. 548. Ὅτι γὰρ μεταγενεστέρας τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τὰς ἀνθρωπίνας συνηλύσεις πεποιήκασιν, οὐ πολλῶν δεῖ λόγων.

(7) Ibid. p. 900. al. col. 552. Ὧν οὕτως ἐχόντων συμφανὲς ἐκ τῆς προγενεστάτης καὶ ἀληθεστάτης ἐκκλησίας, τὰς μεταγενεστέρας ταύτας καὶ τὰς ἔτι τούτων ὑποβεβηκυίας τῷ χρόνῳ κεκαινοτομῆσθαι παραχαραχθείσας αἱρέσεις.

quæ his sunt adhuc inferiores tempore (1) innovatas esse adulterinæ notæ hæreses. »

202. — COROLLARIUM IV. Consequitur etiam, per traditionem christianæque fidei œconomiam humana studia non retardari, multoque minus opprimi, sed potius flagitari et excitari : quum hæc ad multiplicem, quem commemoravimus, revelationis profectum exigantur. Quæ quidem mirifice ecclesiæ christianæ itemque romanæ monumentis omnium oculis perspicue exponuntur, in quibus non secus antiquæ revelatæque rei unitas ac identitas, immutabilitas ac constantia perpetuo comparet, ac pro temporum populorumque varietate et cultura multiplicitas, varietas formæ ac multiplicitas eruditionis atque doctrinæ admiranda exhibetur. 202. Corollarium IV.

203. — Quum antiquitas inprimis sit, qua errores tutissime detegantur ac contra eosdem valide præscríbatur : hinc plurimum interest novisse, quo pacto eadem tuto ac facile deprehendi valeat. Eam autem certo deprehendi posse atque secure cognosci, non modo in dubium vocatur, sed propterea nonnunquam, præpostere licet, penitus negatur, quod vel nulla vel modica tantum eaque non satis luculenta supersint tantæ antiquitatis monumenta, e quibus de primigenia societatis christianæ persuasione ac fide constare possit. Quod quum generatim censeri falsissimum debeat, tum ex eo etiam nullo pacto admitti potest, quod ad certum de priorum sæculorum fide religiosaque persuasione ferendum judicium necessarium supponitur atque significatur, singula 203. Quantæ necessitatis sit, novisse, quo pacto antiquitas deprehendi valeat.

(1) Quanto magis hæc animadversio ac nota Clementis quadrat in novatores, quos veteres protestantes et novos appellare solent! Sed valent etiam præclare in eos, quæ Clemens subdit : Ἐκ τῶν εἰρημένων ἄρα φανερὸν οἶμαι γεγενῆσθαι, μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ ἐκκλησίαν, τὴν τῷ ὄντι ἀρχαίαν..., ἣν εἰς πολλὰς κατατέμνειν βιάζονται αἱρέσεις. Κατά τε οὖν ὑπόστασιν, κατά τε ἐπίνοιαν, κατά τε ἀρχὴν, κατά τε ἕξοχὴν, μόνην εἶναι φαμὲν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν. « Ex iis, quæ dicta sunt, manifestum esse existimo unam esse veram ecclesiam, eam quæ vere (τῷ ὄντι, non fictione ac mendacio) est antiqua..., quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia (secundum realitatem veritatemque objectivam) ergo, et opinione (secundum conceptum veritatemque subjectivam), et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam et catholicam ecclesiam, » ita ut vera non sit nec catholica, quæ antiqua non est.

eorum scrutari. Atqui id tam longe abest a veritate, quam est non modo propinquum errandi periculo, sed cum ipso errore consertum. Etenim

THESIS XXVII. *Distincta antiquitate ab universitate et consensione firmis rationum momentis statuitur, ad illam certo cognoscendam necessarium nullatenus esse singulare eorum examen, quæ tribus prioribus ecclesiæ sæculis dicta fuerunt, verum sufficere, si sententia sæculi quarti et quinti probe comperta habeatur.*

204. Demonstratur.

204. — DEMONSTRATIO. Hæc fuit recepta et constans Majorum sententia, non ad antiquissimos omnino recurri debere ad antiquitatis doctrinam dignoscendam, sed satis esse ad paulo superiores attendisse, quemadmodum ex historiæ traditionisque monumentis abunde innotescit. Innotescit

I. Consideratur ratio practica sive conciliorum sive patrum seorsim.

I. ratione practica, considerata ratione agendi conciliorum œcumenicorum, quæ quidem sicut juxta superius dicta de antiquitate erant sollicita, ita illis ad eandem stabiliendam satis superque fuit, ad testes paulo (1) duntaxat antiquiores provocasse; tum considerata æque ratione agendi patrum seorsim, quæ illi simillima est, quam sequendam (2)

(1) Inspectis conciliorum actis hæc res in oculos ipsos incurrit. Conferatur, quæso, concilium œcumenicum V., et apparebit, generatim quidem ad quatuor priora provocari concilia, speciatim vero ad patres appellari ducto ab Athanasio principio. In chalcedonensi rursum concilio patres orthodoxi vix ad alios quam ad Majores quarti quintive sæculi respiciunt. Sane Cecropius Sebastopoleos episcopus ad Athanasium, Cyrillum, Cœlestinum, Hilarium, Basilium, Gregorium ac demum ad Leonem tum temporis docentem appellat; Dioscorus vero ipse act. I. non aliorum nisi Athanasii, Gregorii atque Cyrilli auctoritate semet tuetur. Porro Cœlestinus in concilio romano adversus Nestorium celebrato ad Damasum, Ambrosium, Hilarium provocat. In lateranensi tandem sub Martino I. ad concilia quinque priora potissimum attenditur. Neque secus insecutæ synodi, ita ut apertissimum sit, episcopos simul unitos persuasum habuisse, ad antiquitatem patefaciendam satis esse si de conspiratione doctrinæ patrum sæculi quarti quintive constiterit.

(2) Speciminis ergo conferantur Athanasii ad Afros ep., qua nicænos patres veterum usos traditione affirmat, tum ad id ostendendum ad episcopos Romæ et Alexandriæ provocat centum et viginti annis ante florentes; rursum S. Cyrilli ad Acacium epistola, qua Athanasium appellat, Theophilum alexandrinum, Basilium, Gregorium, Atticum; Leonis M. ep. ad August. data, qua ad Hilarium, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theo-

sibi concilia proposuerunt. Jamvero jure quam quo optimo Majores sive collectos sive dispersos sic se gessisse et secundum eorum exemplum merito ad sæcula paulo superiora, speciatim ad quartum quintumve provocari, colligitur, si in Majoribus sequentia considerentur : scilicet

II. character eorum traditionalis, id est, omnibus generatim patribus et speciatim patribus sæculi quarti quintique communis sentiendi ratio docendique, qua nullum permittendum esse (1) locum novitati dicebant, antiquitatem vero sedulo esse custodiendam. Si consideretur porro

II. Consideratur patrum speciatim sæculi quarti et quinti character traditionalis.

III. eorundem patrum, speciatim quarti quintique sæculi character historicus, id est, scientificus atque moralis nec non conditio ætatis, qua iidem florebant : his fiebat ut a scientiæ, hoc est, antiquitatis cognoscendæ præsidiis essent muniti contra errorem, et a sanctitatis virtute roborati contra falsitatem. Sane sicut plura illis (2) ad antiquitatem deprehendendam præsto erant adjumenta, quæ posterioribus adempta fuere : ita pro utroque ordine morali et litterario sic (3) comparati erant, ut nec affirmare vellent quod

III. Eorundem character historicus.

philum alexandrinum, Gregorium nazianz., Basilium, Cyrillum ; Gregorius M. epp. l. I. ep. 25. (opp. tom. II. p. 515) data ad Joannem constantinop., qua simpliciter ad quinque priora concilia provocat. His deinde addantur, quæ ad antiquitatem suæ causæ e Majoribus defendendam adducunt Augustinus cont. Julian. III. XVI., Vincent. lir. com. II., Bernard. ep. 77., Petrus cluniac. adv. Petrobrus. et ep. 44. ad Eugen. III. : tum animadvertatur a) nullo facto discrimine ætatis promiscue antiquos recentioresque adlegari; b) adlegari immediate præcedentes, c) maxime vero e florentissimis duobus sæculis quarto et quinto; et nemo dubito inficias ibit vetustos ad originalem antiquitatem aperiendam haud necessarium duxisse ad originalia plane monumenta appellare. Ad quæ præclare faciunt, quæ habet Petav. de inc. l. XIV. c. XV., quæque disputantur de im. V. conc. vol. III. sec. VIII. nn. 1750. sqq.

(1) Hoc satis superque ex iis omnibus liquet, quæ de antiquitatis nota superius secundum Majores disseruimus. Præ ceteris vero dignus qui consulatur est lirinensis Vincentius, qui in utroque commonitorio hac de re suam aliorumque veterum sententiam data opera explicat, tum Epiphanius hær. LXXV. n. 6.

(2) Huc referri non modo debent scripta monumenta, quæ jamdudum desiderantur, verum ipsa quoque oralis traditio, a cujus originali fonte illi patres non admodum distabant.

(3) Quum plurimi ex illis explorata pietate sanctimoniaque eminerent, a mendacio in re adeo gravi tantique momenti omnino alienissimi dicendi sunt. Voluisse autem eos antiqua referre, e superioribus constat. Huc spe-

nescirent, et vicissim neque profecto simul omnes deceptioni paterent; præterea si

IV. Eorundem character theologicus ac dogmaticus.

IV. consideretur character eorum theologicus ac dogmaticus : plurimi namque ex ipsis fungebantur authenticorum testium, doctorum atque judicum munere, quibus facta Domini promissio, qua cavebatur, ne sive ore sive scripto testarentur ac docerent aliud ab eo, quod πατροπαραδότως (1), accepissent, et efficiebatur, ut singulis ætatibus vel sæculis

ctant Athanasii verba op. de synodis, ubi nicænos patres non ex sese finxisse vocabulum (ὁμοουσίου), sed accepisse, non statuisse nova, sed patefecisse apostolica, non sua proposuisse inventa, sed revelata dogmata affirmat. Huc Hieronymi c. Helvid. et ep. 47. ad Pammach., qua se in omnibus veteres secutum esse declarat. Huc Augustini cont. Jul. l. II. c. x. n. 34. 37. « Quod invenerunt, ait, in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt... Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministrarunt... Talibus post Apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces novitatis vestræ expavit, et cauta ac sobria ex admonitione apostolica, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et mens ejus corrumperetur a castitate, quæ est in Christo (II. Cor. xi. 3), catholicæ fidei virginitate, insidias vestri dogmatis surrepentis exhorruit, et tanquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit. » Huc Fulgentius ep. 3. ad Probam, atque huc reliqui omnes, de quibus plura superius diximus ipsi et egregie disputant Santabarba in vindic. ss. patrum dissert. I. § 2. pp. 24. sqq. et du Perron l. c. Quum porro iidem doctrina quoque atque eruditione non minus profana quam ecclesiastica potissimum excellerent : præjudicium erroris ab illis simul omnibus in negotio hoc gravissimo æque ac doctoribus omnibus communi depelli omnino debet, siquidem fides historica suum adhuc locum obtinere apud homines debeat. Eo vel magis quod ne ipsi quidem hæretici eosdem mendacii accusant : quod certe fecissent, si a veritate illi declinassent. Cf. Petav. præfat. in ll. de trin. c. i. n. 12.

(1) De hoc theologico atque dogmatico eorum charactere deque fixa ipsorum norma tractatione de testibus, tum initio hujus de testimoniis seu traditionibus non semel dictum est. Memoria digna hæc sunt Cœlestini I. ex ep. ad conc. ephes. : « Hæreditario in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicumque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur : Ite, docete omnes gentes. Advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, et omnes nos id agere voluit, quibus in commune mandavit officium : necesse est, ut competenter nostros sequamur auctores, subeamus omnes eorum labores, quibus omnes successimus in honore... » Ergo ab initiis sæculi quinti supremi pastores ratum habebant, ne lato quidem ungue ab apostolica prædicatione recedere successoribus apostolicis fas esse, iisdemque cum docendi officio collatas quoque docendi cum inerrabili auctoritate prærogativas.

doctrina ac prædicatio eorum consentiens esset infallibilis ac necessaria antiquitatis, id est, apostolicæ revelationis ac fidei regula ac lex; si ergo de sæculi quarti quintique doctrina circa divinam traditionem constiterit, manifesto itidem constat de apostolica ejus origine.

205. Colligitur, securam et compendiosam haberi viam qua de antiquitate constare possit.

205. — Ita vero, ut ducamus consectarium, quod in votis esse maxime debebat, secura et certa simulque perspicua et compendiosa habetur ratio ac via, qua de antiquitate, necessaria illa atque principali nota, in diversissimis plane controversiis de rebus fidei constare liquido possit. Si quid enim consensione sæculi quarti quintive firmum ratumque fuerit, hoc certissime teneri ex dictis debet veritas antiquitus tradita, quamvis de consensione antiquissimorum sæculorum judicium ferre e propriis eorum monumentis sive datum sive visum non sit.

206. Quod ob disciplinam arcani pristinis sæculis non omnia dogmata perspicue scripta fuerunt.

206. — Id quod eo affirmandum fidentius, quod pristinis illis sæculis disciplina arcani in societate christiana religiose observaretur, ob quam non omnia dogmata publicis monumentis perspicue committerentur, quæ tamen ἀκροαματικῶς, ore tenus fidelibus proponerentur. Si de ejusmodi ergo doctrinis monumenta antiqua exstarent nulla, quartum vero quintumve sæculum perhiberent validum testimonium, nihil amplius requireretur ad habendam de illarum antiquitate certam notitiam (1).

(1) Ut traditio sæculi primi in traditione sæculi secundi resonabat, et traditio sæculi secundi in ea resplendebat, quæ sæculo tertio viguit : ita refulgebat doctrina sæculi tertii et secundi et primi in recepta a sæculis quarto et quinto fidei veritate. Id quod frequenter hujus ætatis scriptores edicunt, disertisque prope verbis efferunt. Huc faciunt speciminis ergo illa Epiphanii in Ancorat. nn. 63. et 82. ed. Mign. tom. III. col. 129. inquientis : « Ita quippe ab initio ad hanc usque diem sancta Dei ecclesia sensit. » Οὕτω γὰρ δοξάζει ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν ἀνέκαθεν : et iterum : Καὶ οὕτω γέγραφα τῷ βουλομένῳ τὴν τῆς ζωῆς ἡμῶν ἀκολουθίαν καὶ βεβαίαν ὁμολογίαν τὴν ἀπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν καὶ εὐαγγελίων καὶ Ἀποστόλων, καὶ ἀπὸ τῶν χρόνων τῶν Ἀποστόλων ἕως ἡμερῶν χρόνων ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἀχράντως πεφυλαγμένην : « Hæc a me scripta sunt in gratiam illorum, qui vitæ ac salutis nostræ congruam ac consentaneam rationem et certissimam professionem scire amplectique voluerint, quæ jam tum ab lege, prophetis, evangeliis, Apostolis apostolicisque temporibus ad hæc nostra tempora in ecclesia catholica incorrupta servatur. » Conf. syn. œcum. V. can. IX., lateran. sub

207. Quod alia dogmata mentione tunc caruerunt, ob pacificam eorum in Dei ecclesia possessionem.

207. — Quod de iis pariter dogmatibus repeti debet, quæ propterea secundum Majorum mentem commemoratione frequentiori clariorive carerent, quod pacificam in Dei ecclesia possessionem haberent nec in discrimen olim essent adducta. Rem ab Augustino docemur reponente (1) pelagianis objicientibus silentium patrum vetustiorum : « Non habuerunt, inquit, necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent, immorarentur vero in eis, quæ adversus alios inimicos ecclesiæ disputabant. » Quamvis hoc porro contingeret, si tamen deinceps de explorata ecclesiasticorum virorum sententia moveri dubium non posset, dubitare pariter de priorum persuasione nullus deberet, quæ, ut sequioribus aliunde compertissima esse, ita ex relictorum monumentorum vi innotescere poterat atque debebat.

208. Falsum eripitur traditionis hostibus fundamentum, rara plane fuisse monumenta a prioribus sæculis profecta.

208. — Id enim falsum quam quod maxime censendum, quod a traditionis hostibus nonnunquam profertur et excipitur, priores rei christianæ ætates steriles plane et infœcundas fuisse. Nam si fides adhibenda Eusebio, qui (2) fatetur « propositum sibi in texenda historia fuisse, studiose colligere, aptosque instituto suo veterum scriptorum locos velut flosculos ex sapientiæ pratis decerpere, narrationemque in unum compingere corpus », tum (3) « eorum tantum nomina commemorare, quorum monumenta apostolicam illorum temporum doctrinam continentia adhuc supererant » : haud spernenda sane scriptorum documentorum seges atque copia ex illa antiquitate quarto sæculo exstabat. Ad Ha-

Mart. I. can. 17., syn. œcum. VII. definit. de ss. imag., Gregor. nyss. c. Eunom. or. 3., et alii s. cc.

(1) Lib. de prædest. ss. c. XIV. n. 27.

(2) H. h. I. I. Τῶν αὐτοῖς ἐκείνοις σποράδην μνημονευθέντων ἀναλεξάμενοι, καὶ ὡς ἂν ἐκ λογικῶν λειμώνων τὰς ἐπιτηδείους αὐτῶν τῶν πάλαι συγγραφέων ἀπανθισάμενοι φωνὰς, δι' ὑφηγήσεως ἱστορικῆς πειρασόμεθα σωματοποιῆσαι.

(3) Ibid. III. XXXVII. Τούτων εἰκότως ἐξ ὀνόματος γραφῇ μόνων τὴν μνήμην κατατεθείμεθα, ὧν ἔτι καὶ νῦν εἰς ἡμᾶς δι' ὑπομνημάτων τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας ἡ παράδοσις φέρεται.

driani enim, ut alia prætermittamus, ætatem veniens : « Porro, inquit (1), cum eodem tempore plurimi ecclesiastici viri patrocinium veritatis susciperent et pro ecclesiastica (2) apostolicaque doctrina disertissime decertarent, nonnulli etiam assertiones suas scriptis proditas, tanquam remedia ad cavendas supradictas hæreses comparata, posteris reliquerunt. » Et rursus (3) paulo post : « Ceterum illis temporibus veritas iterum plures sui patronos in medium produxit, qui non solum viva voce, sed etiam scriptis disputationibus adversus impias hæreses decertarunt. » His autem fidei contra hæreticos vindicibus alios deinde (4) suis appel-

(1) Ibid. IV. VII. Πλείστων οὖν ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῆς ἀληθείας ὑπεραγωνιζομένων, λογικώτερόν τε τῆς ἀποστολικῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς δόξης ὑπερμαχούντων, ἤδη τινὲς καὶ διὰ συγγραμμάτων τοῖς μετέπειτα προφυλακτικὰς αὐτῶν δὴ τούτων τῶν δηλωθεισῶν αἱρέσεων παρεῖχον ἐφόδους.

(2) Ad id confirmandum nihil adferri aptius potest, quam Tertulliani I. adv. valentinianos c. v. : « Mihi autem cum archetypis (i. e., originalibus auctoribus) erit limes (i. e. circumscripta disputatio) principalium magistrorum, non cum affectatis ducibus passivorum (i. e., accipientium duntaxat ab illis, ideoque pedissequorum) discipulorum. Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot (ergo non pauci) jam viri sanctitate et præstantia insignes, nec solum nostri antecessores (quorum ipse erat suppar), sed ipsorum hæresiarcharum contemporales (ergo ad primum sæculum appropinquantes) instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt : ut Justinus philosophus et martyr, ut Miltiades ecclesiarum sophista (i. e., versatissimus in omni re christiana disputator, adeoque multiplex orthodoxiæ contra heterodoxos defensor ac vindex), ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus (i. e., diligentissimus) explorator, ut Proculus noster, virginis senectæ, et christianæ eloquentiæ dignitas, quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi. »

(3) Facta ecclesiæ catholicæ præclara descriptione, quæ uti sola vera, semper sibi similis et constans, sancta et præ sectis omnibus prævalens contra has omnes tandem victrix permansit, Eusebius caput VII. absolvit scribens : Ὅμως δ' οὖν κατὰ τοὺς δηλουμένους αὖθις παρῆγεν εἰς μέσον ἡ ἀλήθεια πλείους ἑαυτῆς ὑπερμάχους, οὐ δι' ἀγράφων αὐτὸ μόνον ἐλέγχων, ἀλλὰ καὶ δι' ἐγγράφων ἀποδείξεων κατὰ τῶν ἀθέων αἱρέσεων στρατευομένους.

(4) Ibid. V. XXVII. Πλεῖστα μὲν οὖν παρὰ πολλοῖς εἰσέτι νῦν τῶν τότε σώζεται παλαιῶν καὶ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν, ἐναρέτου σπουδῆς ὑπομνήματα· ὧν γε μὴν αὐτοὶ διέγνωμεν... Καί ἄλλων δὲ πλείστων, ὧν οὐδὲ τὰς προσηγορίας καταλέγειν ἡμῖν δυνατὸν. ἦλθον εἰς ἡμᾶς λόγοι, ὀρθοδόξων μὲν καὶ ἐκκλησιαστικῶν, ὡς γε δὴ ἡ ἑκάστου παραδείκνυσι τῆς θείας γραφῆς ἑρμηνεία, ἀδήλων δὲ ὅμως ἡμῖν, ὅτι μὴ τὴν προσηγορίαν ἐπάγεται τῶν συγγραψαμένων.

latis nominibus non paucos addit, quos exegetarum seu interpretum prope personam egisse dixeris. Etenim « multorum, ait, lucubrationes ad nos pervenerunt, quorum ne ipsa quidem nomina possumus recensere. Qui orthodoxi quidem et ecclesiastici fuerunt omnes, ut sacræ scripturæ expositio a singulis eorum allata testatur; obscuri tamen nobisque ignoti sunt, propterea quod libri ipsi auctorum non præ se ferunt nomina ». Jamvero plurima omnino veterum ecclesiæ scriptorum monumenta servari affirmat, e quibus aliorum quidem complurium nomina silentio premit, aliorum vero haud exiguo numero recenset. Ex his autem omnibus, quæ sua auctoritate Hieronymus (1) confirmat, id est manifestissimum, jam inde ab originibus christianis verbum prædicationis ab ipsis pastoribus aliisque hominibus doctis scripto quoque ad posteritatem fuisse propagatum luculenter, neque proinde caruisse doctores sæculi quarti et quinti mediis, quibus de præcedentium generationum fide prorsus certi redderentur. Falsa ergo est ac præpostera hypothesis, monumenta a prioribus profecta sæculis adeo esse rara, et tot iis doctrinarum lacunas contineri, ut de antiquitatis traditione constare perfecte nunquam potuerit et adhucdum nequeat.

CAPUT V.

DE ALIQUOT MEDIIS SPECIATIM QUIBUS TRADITA VERITAS COGNOSCITUR.

§ I. — De patribus.

209. Inter media traditionis principem locum occupant ecclesiæ patres.

209. — Inter varia traditionis media, quorum mentionem prius injecimus, principem sane locum occupant ecclesiæ patres, sive præ materia, sive præ forma considerentur : scilicet, tum propter copiam monumentorum, quam nobis de re christiana reliquerunt, tum propter manifestissimam communicandi antiquitatis doctrinas viam ac rationem, quæ

(1) Cont. Helvid. : « Multos, inquit, apostolicos viros plena sapientiæ volumina scripsisse. » Cui de scriptoribus ecclesiasticis tractantes addendi Gennadius et Photius.

lingua scripta continetur, nec non propter eximiam auctoritatem, quæ iisdem convenit, et universim ab omnibus tributa semper est secundum illa concilii VII. (1) verba vocantis viam illam regiam, et illa sancti Basilii (2) græcorum nomine : « Patrum fidem prosequor. In hac certitudine etiam ipsi martyres, qui heic siti sunt, adepti sunt coronas. Hoc itaque nomine me accusa. » Et nomine latinorum Hieronymus in epitaphio Paulæ : « Doceo quod didici non a meipso, id est, a præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus ecclesiæ viris. » Præclara sane sunt, quæ de illis deque eorum vi ac potestate ad probanda dogmata veteres ipsi tam seorsum quam conjunctim docuerunt. Neque mirum, quum id nexum vinctumque sit vel cum ipsa patrum notione ac idea, quam paucis illustrasse e re plane est plurimumque juverit.

210. — I. Quis igitur pater, unde et quando pater aliquis vocatur? Quæstioni satisfecerunt ipsi patres tum

I. Apetur universim origo et titulus appellationis eorum.

1) generatim exposita ratione filiationis in institutione sitæ secundum hæc (3) Irenæi : « Quum igitur a Deo omnia facta sunt, et diabolus sibimetipsi et reliquis factus est abscessionis causa, juste scriptura eos, qui in abscessione perseverant, semper filios diaboli et angelos dixit maligni. Filius enim, quemadmodum et quidam ante nos dixit, dupliciter intelligitur : alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius, alius autem secundum id, quod factus est, reputatur filius, licet sit differentia inter natum et factum (4). Quoniam ille quidem ex eo natus est, ille autem

1) Secundum ipsos patres generatim exponitur ratio filiationis in institutione sitæ. Irenæus.

(1) In definitione de sacris imaginibus. Cf. ap. Henr. Denzing. enchir. n. 243.

(2) Hom 29. Τὴν τῶν πατέρων πίστιν μεταδιώκω· ἐν τῇ αὐτῇ πληροφορίᾳ καὶ οἱ μάρτυρες ἐνταῦθα κείμενοι τῶν στεφάνων ἠξιώθησαν· τοῦτο νῦν ἐγκαλοῦ μοι.

(3) Cont. hær. l. IV. c. XLI. n. 2.

(4) Ab hac Irenæi distinctione illa, ut patet, differt, quæ est recepta apud græcos scriptores potissimum post S. Cyrilli ætatem distinctio inter υἱὸν φύσει et υἱὸν θέσει, filium Dei natura et positione : de qua plura apud Petav. de incarnat. Irenæus distinguit inter filium translato acceptum sensu et proprio, sive hic, qui proprio sensu dicitur filius, sit per generationem sive per conditionem.

ab ipso factus est, sive secundum conditionem, sive secundum doctrinæ magisterium. Qui enim ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater. Secundum igitur naturam, quæ est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes filii Dei sumus, propter quod a Deo omnes facti sumus (1). Secundum autem dicto audientiam et doctrinam non omnes filii Dei sunt, sed qui credunt ei, et faciunt ejus voluntatem (2). Qui autem non credunt, et non faciunt ejus voluntatem, filii et angeli sunt diaboli. » Quibus Irenæus aperte magistris rationem patrum præ discipulis asserit.

Clemens alexandrinus.

211. — Sed multo etiam apertius eandem illis asserit alexandrinus Clemens (3) inquiens : « Pulchrum autem esse et honestum existimo, iis etiam, qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere. Ac filii quidem (alii) corporum, animæ autem liberi sunt dicta (οἱ λόγοι, sermones vel institutio). Jam patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt. Philosophia autem humana est, et se lubenter communicat (secundum mentem Clementis ad sapientiam alludentis sic : est autem sapientia sui communicativa et hominum amator). Dicit itaque Salomon : Fili, si susceptam præcepti mei dictionem apud te absconderis, exaudiet sapientiam auris tua. Sermonem, qui seminatur, in ejus, qui discit, anima abscondi dicit, tanquam in terra, et hæc est plantatio spiritalis.

(1) Est ergo Deus omnium pater, sed οὐσιωδῶς non ὑποστατικῶς.

(2) « Quotquot autem ex Joanne I. 12. receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt; » hinc veri filii Dei vere credentes sunt, θέσει tamen, gratiosa adoptione, non vero naturali generatione.

(3) Strom. I. n. 1. ed. Pott. p. 316. Καλὸν δ' οἶμαι καὶ παῖδας ἀγαθοὺς τοῖς ἔπειτα καταλείπειν· οἱ μέν γε παῖδες σωμάτων, ψυχῆς δὲ ἔγγονοι οἱ λόγοι. Αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμέν· κοινωνικὸν δὲ ἡ σοφία, καὶ φιλάνθρωπον. Λέγει γοῦν ὁ Σολομῶν· Υἱὲ, ἐὰν δεξάμενος ῥῆσιν ἐντολῆς ἐμῆς, κρύψῃς παρὰ σεαυτῷ, ὑπακούσεται σοφίας τὸ οὖς σου. Σπειρόμενον τὸν λόγον κρύπτεσθαι μηνύει, καθάπερ ἐν γῇ, τῇ τοῦ μανθάνοντος ψυχῇ· καὶ αὕτη πνευματικὴ φυτεία. Διὸ καὶ ἐπιφέρει· καὶ παραβαλεῖς καρδίαν σου εἰς σύνεσιν· παραβαλεῖς δὲ αὐτὴν εἰς νουθέτησιν τῷ υἱῷ· ψυχὴ γὰρ οἶμαι, ψυχῇ, καὶ πνεῦμα πνεύματι συναπτόμενα, κατὰ τὴν τοῦ λόγου σποράν αὔξει τὸ καταβληθὲν καὶ ζωογονεῖ· υἱὸς δὲ πᾶς ὁ παιδευόμενος καθ' ὑπακοὴν τοῦ παιδεύοντος· υἱὲ, φησὶν, ἐμῶν θεσμῶν μὴ ἐπιλανθάνου. Quibuscum ea conferenda, quæ rursum habet I. III. n. 15. p. 555.

Unde etiam infert : Et applicabis cor tuum ad intelligentiam, applicabis autem ipsam ad admonitionem filio tuo. Anima enim animæ et spiritus spiritui copulatus, per sermonis seminationem id, quod in terram fuerat conjectum, augent et vivificant : filius autem est, quisquis eruditur (1) quatenus ei, a quo eruditur, morem gerit : Fili, inquit, præscriptorum meorum ne obliviscaris. » Quibus nihil præclarius ad efferendum habitum spiritalis generationis inter præceptorem discipulumque desiderari potest.

212. — Tum eidem satisfecerunt

2) speciatim secundum hæc, quæ exposita ratione filiationis theologicæ in christiana institutione positæ Augustinus (2) ad rem scribit : « Sed ecce, inquit, quo te introduxi, conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis; non solum filii, sed et patres ecclesiæ sunt. Ex illo numero sunt, de quibus (3) prædictum est : Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filii generati sunt, ut hæc discerent, ejus patres facti sunt, ut docerent. » Qui ergo docendi auctoritate in ecclesia Dei excellunt aliosque salutari doctrina fidei instituunt, ii charactere quoque patrum in ecclesia distinguuntur.

2) Secundum eosdem speciatim exponitur ratio filiationis theologicæ in christiana institutione positæ. Augustinus.

213. — Hinc Hieronymus (4) eadem psalmistæ verba interpretans : « Pro Platone, inquit, et pro ceteris diversorum dogmatum et errorum magistris, nati sunt tibi filii, quos constituisti principes tuos, et fecisti in populis præceptores. Vel certe aliter : O ecclesia, filii tui, quos genuisti tibi, vertentur in patres tuos, quum de discipulis eos feceris magistros, et in sacerdotali gradu omnium testimonio collocaveris. Sin autem patres ecclesiæ intelligimus Abraham, Isaac, et Jacob, et reliquos patriarchas; filios, qui ei in patrum

Hieronymus.

(1) Hinc apud græcos a παῖς, filius, παιδεύειν, instituere, παιδεία, institutio, et παιδάγωγος, institutor : sed τῷ παιδὶ respondet ὁ πατήρ, qui instituendo, animum fingendo, moresque componendo generat.

(2) Cont. Julian. pelag. l. I. c. VII. n. 31.

(3) Ps. XLIV. 17., ad quæ præclaros huc facientes patrum commentarios collegit Corder. in cat. sua.

(4) Ad Principiam ep. 140. al. 65. Similia habet s. Maxim. h. 59. de s. Euseb. e. m.

honore sunt nati, Apostolos (1) intelligamus, qui missi sunt a Domino prædicare usque ad extremum terræ et baptizare credentes in nomine trinitatis. » Sed quomodocumque speciatim intelligantur sive patres sive filii apud psalmistam, hoc generatim juxta Hieronymum apparet, munus ac officium magisterii, quo in fide alii instituuntur, rationem spiritalis paternitatis fundare.

214. — Quorum quidem omnium sententiam

3) Ostenditur, horum omnium sententiam a Paulo fuisse præformatam.

3) jam olim præformaverat Paulus (2), qui filios et quidem carissimos Corinthios dixit, eo quod ab ipso primum in evangelio instituti fuissent. Appellationis vero causam, quæ tamen Apostolis, quia præstantissimi et primi in fide doctores essent, sensu nobilissimo conveniebat, graphice descripsit (3), quando Galatas filiolos vocavit partu a se editos iterumque edendos, quia suis laboribus Christum induti christiani homines facti essent. Hinc diserte Onesimum (4)) genitum a se et quidem in vinculis genitum perhibuit, adeoque patris sibi partes tribuit, scilicet, propterea quod christiana illum religione imbuisset. E quibus nihil manifestius, quam auctore Paulo inter doctorem edoctosque in fide habitum patris (5) filiorumque intercedere illi analogum, qui

(1) Apostoli, qui primi et plane exsortes fidei christianæ doctores fuerunt, et quorum institutio ita ad omnes derivanda est, ut super eos fundati omnes dici debeant, principali sensu patres exsistunt atque dicuntur in ordine ministerii divinitus instituti ad cœlestem Christi doctrinam veritatemque prædicandam ac propagandam.

(2) I. Cor. IV. 14. sq. Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ (moneo, vox de parentibus filios emendantibus usitata sap. XI. 11. XII. 26.). Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχετε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγῶ ὑμᾶς ἐγέννησα. Quibus Apostolus rationem patris in spirituali generatione reponit, ejus tamen principem singularemve rationem sibi tribuit.

(3) Gal. IV. 19. Τεκνία μου, οὺς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν : ac si diceret, matris instar in utero vos gesto (hoc namque est ὠδίνω, הרית, ἐν γάστρι ἔχω, ut ex LXX. apud Isaiam XXVI. 27), usque dum fœtus suam formam receperit. Hæc est differentia inter naturalem et spiritalem generationem, ut illa repeti non possit, hæc autem possit et etiam debeat.

(4) Παρακαλῶ σὲ περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου : scilicet quum Romæ Paulus vinctus esset, Onesimum christianum fecit.

(5) Is toto cœlo erraret, qui hanc Pauli doctrinam oppositam arbitraretur illi Christi Domini sententiæ apud Matthæum XXIII. 9. : Πατέρα μὴ καλέσητε

inter naturalem genitorem genitosque intercedit, et patrem illum, hos autem filios esse vocandos.

215. — Aperta igitur universim origine tituloque appellationis, de qua solliciti sumus, jam

II. de proprietatibus quas constituentes appellant, deque conditionibus ad patris sensu ecclesiastico dignitatem efficiendam requisitis paulo accuratius disserendum. Hæc porro vel ex ipsa præstituta analysi ideæ patris, habita ratione rei naturæ ordinisque, de quo agitur, haud ægre colliguntur. Itaque animadvertatur :

II. Accuratius disseritur de proprietatibus constituentibus deque conditionibus ad patris ecclesiæ dignitatem requisitis.

1) nomen patris, quod nomen est excellentiæ et auctorita- 1) Nomen patris excel-

ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Reprobat enim eo loci Salvator denominationes appellationesque plures ad magisterium pertinentes ob modum in primis finemque, quo adhibebantur, nimirum eo sensu eoque usu, quo illæ a scribis et pharisæis usurpabantur atque etiam ambiebantur, quemadmodum ex toto contextu inde ab initio capitis constat. Ut enim illi amabant eruditi apud vulgus haberi : ita appetebant doctores ac rabbi dici, et eam sibi auctoritatem vindicabant, ob quam suis adhærendum placitis suisque sententiis atque doctrinis standum esse credendumque exigerent : eorum autem, qui tanquam asseclæ ipsos veluti sapientes ac principes adsectabantur, patres nominari affectabant. Verum præterquam quod ejusmodi studia christianæ ταπεινοφροσύνης, humilitatis rationi opponerentur : a Christo Domino interdicenda propterea etiam erant, quod missi ab ipsomet doctores tradere deberent non quæ sibi visa essent sibique placerent, sed quæ ipse Magister cœlestis servanda dixisset. Hinc illico subdit : Εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, videlicet, unus est vestræ familiæ princeps, de quo Isaias vaticinatus erat, unus dogmatum auctor Deus, qui per Filium in sinu Patris edoctum vobis ipse omnia scitu necessaria revelabit, ita ut sitis διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, Joan. VI. 45., et θεοδίδακτοι, I. Thess. IV. 9. Quare eo sensu quo scribæ et pharisæi hisque adhærentes judæi suos sapientes patres vocabant, fideles Christi patrem agnoscere neminem debent : et ideo Paulus ipse nefas esse declaravit I. Cor. I. 12., inter christianos simile quid audiri, dum alius Cephæ, alius vero Pauli et alius Apollo esse vellet. Nullatenus enim licere scribit II. Tim. IV. 3., ἐπισωρεύειν διδασκάλους, coacervare magistros, quando credentes omnes uni Christo inserti eidem uni adhæreant. Sed uti Deus Pater est diciturque pater sensu principali, originali, non participato : ita ab eo participatione pater dicitur qui per institutionem in ejus revelatione alios ipsi filios gignit : hi igitur referuntur ad illos ut patres eos quidem non primarios ac principes, sed secundarios et subjuges, illos, inquam, qui locum tenent vicesque gerunt supremi magistri, qui visibilem ipse aliquando œconomiam subiit missus a Patre unico omnis paternitatis fonte atque radice. Quod tam evidens est, quam hoc, quod alii præter supremum principemque omnium doctorem exsistunt doctores, teste Paulo I. Cor. XII, 28. sqq., Eph. IV. 1. coll. Act. XIII. 1., I. Tim. II. 7., II. Tim. I. 11., non quidem illi novorum auctores dogmatum, sed recepti dogmatis nuntii.

lentiam et auctoritatem dicit.

tis, non omnibus promiscue docentibus conceditur; patres ergo præ reliquis sunt, qui in docendo instituendoque auctoritate excellunt;

2) Patris conceptu sua continetur prioritas et relativa antiquitas.

2) explicato patris conceptu sua continetur prioritas eaque ex sese pro ordinum varietate varia; quare exigitur, ut quis pater habeatur et sit in ordine doctrinæ et institutionis christianæ, præstans quædam vel certe relativa (1) antiquitas.

216. — Atque hæc est externa potius ad constituendam rationem patris conditio; quod vero

3) Ad rationem patris ecclesiæ eximia doctrina requiritur.

3) formæ instar existimari debet, hoc ad vim filiorum generatricem refertur, idque situm est in vera christianæ fidei rectaque institutione, qua porro gignuntur, finguntur formanturque ecclesiæ filii; hinc ad rationem patris in ecclesia Dei eximia quædam doctrina requiritur. Jamvero

4) Huic doctrinæ addenda præclara morum sanctimonia.

4) ab eximia doctrina fideique scientia haud sejungi solet sejungique vix potest (2) excellens quædam morum honestas ac sanctimonia. Sed insuper quum genuinus ecclesiæ filius alius non sit, quam qui christianam vitam ex regula fidei agat vel etiam fide, ut aiunt, caritate informata præditus sit, quumque adeo ut sit perfecta et plena, imo etiam vera et recta fidelium institutio, non verbum tantum oris sed exemplum quoque vitæ postulet, quo non solum intellectus salutari doctrina ad credendum instituendus in eaque obfirmandus sit, sed voluntas quoque supernis ad vitam christianam agendam normis ac rationibus imbuenda et quam efficacissime promovenda sit: hinc genuinus ecclesiæ pater non est, quam qui præclara quadam fidei scientia morumque sanctimonia ecclesiæ Dei genuerit filios. Scilicet, is est per-

(1) Pendet hæc a rectorum judicio receptoque in ecclesia usu; atque ita duodecimum sæculum circiter patristicæ ætatis limes censetur; licet vero S. Bernardus e patribus dici ac numerari communiter vel a plurimis postremus soleat, ab aliis tamen scholæ primum doctores successisse patribus censentur. Qua de re videsis C. Passagl. de imm. Vir. con. vol. III. sec. 8. c. I. a. 3.

(2) Cf. quæ de hoc capite disputavimus in commentario de theologia generatim.

fectus juxta mentem alexandrini Clementis γνωστικός (1) scientia ac sapientia ornatus, cœlesti enutritus innixusque veritate sanctitateque morum conspicuus, qui docendo instruendoque spiritales Christo ecclesiæque ejus filios gignat et elevet, id est, qui filios aut gignat primum seu faciat, aut factos genitosve conservet atque porro perficiat.

217. — E quibus

5) Ex dictis colligitur patris ecclesiæ descriptio.

5) hæc prodit communiter recepta et a Mabillonio (2) expressa ecclesiæ patris descriptio : « Patres vocat (ecclesia) eos, quos sanctitas, doctrina et antiquitas commendat; doctrina, inquam, scripturæ et traditioni potius quam rationibus philosophicis inhærens. » Itaque doctores appellari possunt statim a morte viri sancti doctrina illustres, patres vero nonnisi quos recepta jamdudum auctoritas venerabiles fecit et modus tractandi res a philosophica ratione alienus.

218. — Quamvis porro

6) Ea, quibus patris idea conflatur, gradus admittunt.

6) tria illa, quibus patris idea conflatur, præstanti excellentique in patribus modo obtinere debeant : varios tamen gradus admittunt (3) et in quadam latitudine versantur, ita ut ex illis, qui patrum nomine frequentantur, aliis alii illustriores esse possint et dicantur. Profecto gradus admittit antiquitas, qua spectata, nihil impedit, quominus patres (4) in vetustissimos, vetustiores atque vetustos diribeantur. Sed præter hanc externam potius patrum qualitatem, suos gradus interior quoque illorum ratio habet, quatenus scilicet alii aliis fœcundiores filiis, quos genuere, clariores luce, cujus splendore universam Dei ecclesiam collustrarunt, insignioresve fuerunt in confutandis hæreticis vindicandaque orthodoxa doctrina (5) exstitere. Inde epitheta sive appo-

(1) Cf. de vera τοῦ γνωστικοῦ christiani idea Clement. al. str. l. VII. c. IX. : « Virtutibus pollere doctorem debere; » ac commentar. de theol. generatim.

(2) Præfat. ad opera s. Bernard. § 2. n. 23.

(3) Hanc graduum differentiam patrumque distinctionem significat Georgius Scholar. in flor. syn. or. III. ap. Hard, t. IX. p. 538.

(4) Vetustissimi quidem patrum ii facile habentur qui tribus prioribus ecclesiæ sæculis floruerunt; vetustiores vero, qui tribus sequentibus christianam societatem illustrarunt; vetusti tandem reliqui omnes.

(5) Ita Athanasius, cujus propterea nomen summæ apud omnes auctoritatis semper erat.

sita patrum ἐγκρίτων (1), probabilium (2), θεολόγων (3), θεηγόρων (4), θεσπεσίων (5), πανευφήμων (6), magnorum (7), in fide communione catholica sancte, sapienter, constanter viventium, docentium et permanentium, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter merentium (8), aliaque his similia, quibus antiquis scriptoribus ecclesiasticis alii præ aliis excellunt. Quæ quidem excellentia tum est insignior ac certior, quum diserta et authentica de eadem judicia prolata habentur. Ejusmodi sunt, ut pauca seligamus, quæ de Athanasio, Gregorio nazianzeno, Leone, Cyrillo et aliis paulo superius significavimus; quæ non semel de Augustino prædicantur (9) in litteris pontificum; ejusmodi, quæ in concilio romano sub Gelasio I. (10) occurrunt de operibus patrum, quæ legi tuto possent, quæ vero non; et ejusmodi, quæ plane egregia in synodo valentiniana (11) leguntur, in qua Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus diserte tanquam doctores pie et recte tractantes verbum veritatis scripturæque sacræ lucidissimi expositores proponuntur, tum ceteri commendantur universim, qui in catholica pietate quiescunt. Quibus ut universim forma patris statuitur : ita nominatim aliquot e patribus velut eximii

(1) Cf. syn. œcum. VI. const. III. act. x. : in definit. fid. Ephrem et Anastasius antiocheni hoc titulo recipiuntur.

(2) Synod. lateran. sub Mart. I. can. XVIII.

(3) Ita in syn. œcum. VI. l. c. s. Gregorius laudatur.

(4) Ita ibidem S. Leo M. effertur, et conc. VIII. c. XI. indefinite alii.

(5) Ita ibidem S. Cyrillus distinguitur.

(6) Ita conc. VIII. can. I.

(7) Ita Vincent. lirin. common. I. n. 27.

(8) Vincent. lirin. common. I. n. 28.

(9) Cf. Cœlestin. ep. ad epp. gall., Bonif. II. ep. ad patres arausic.

(10) Cf. decret. Gelas. ap. Hard. tom. II. p. 939., in quo post. ss. scripturas conciliorumque decreta « opuscula atque tractatus omnium orthodoxorum patrum, qui in nullo a sanctæ ecclesiæ romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes », legendi decernuntur : et hæc quidem infinite; definite vero exhibentur recipienda opera Cypriani, Gregorii nazianzeni, Basilii cappadocis, Athanasii alexandrini, Hilarii pictaviensis, Ambrosii mediolanensis, Augustini hipponensis, Prosperi religiosissimi viri, nominatimque b. Leonis papæ ad Flavianum constantinopolitanum epistola.

(11) Can. de prædest. adv. Joan. Scot. a. 855.

efferuntur; adeoque significatur, in tanta veterum omnium ecclesiæ patrum præstantia suas dari differentias, neque omnes omnibus ornamentis excellentiæ æquali gradu decoratos apparere.

219. — Ex his autem prodit

7) Distinctio declaratur patrem inter et doctorem pressius atque specifice acceptum.

7) distinctio patrem inter et doctorem, si tamen appellatio hæc non accipiatur laxius et generice, sed pressius et specifice. Sane « doctoris nomen, ait Mabillonius (1), ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio adprobata est, maxime ubi sanctitatis concentus accedit ». Pressius illud Bonifacius VIII. accepit (2), qui ad maximos duntaxat e latinis respiciens, qui reputabantur doctores, hoc titulo præter Ambrosium, Hieronymum, Augustinum et Gregorium insignivit neminem. Sed laxius nonnihil appellatio consuevit accipi; qua quidem acceptione S. Pius V. B. Thomam et Sixtus V. S. Bonaventuram in numerum doctorum retulerunt, et alii sancti eruditique ecclesiæ sive patres sive scriptores ab aliis pontificibus relati fuerunt, usque ad Pium IX, qui hoc titulo non Hilarium modo nostrum, sed alios quoque insignivit. Huc spectant, quibus multo uberius luculentiusque doctoris speciem describit Benedictus XIV (3) : « Militantis ecclesiæ auctor rectorque Deus, quum eam super fundamentum Apostolorum et prophetarum ædificaverit, summoque angulari lapide Christo Jesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque præsidium usque in sæculorum finem advigilarent egregii sanctique doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo fidelium mores ad sanctitatem justitiamque componerent, sed etiam doctrinæ vi et excellentia eosdem in fidei sinceritate et salutaris scientiæ veritate continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus et Magister, ut eos sal terræ et lucem mundi appellaverit, utpote qui non vivæ tantum vocis offi-

Benedictus XIV.

(1) Præfat. in opp. s. Bern. §. II. n. 23.

(2) In decretali « Gloriosus Deus ».

(3) In brevi, quo Leoni I. papæ et confessori missam et officium decrevit sub ritu ss. doctorum, a. 1754. idid. octob.

cio, quemadmodum ceteri sanctarum plebium pastores, præsentium sibi populorum saluti consulturi erant, sed peculiari sapientiæ lumine Spiritus sancti dono ditati, doctissimis conscriptis libris, universam ecclesiam instruere et omnium sæculorum posteritatem in religione erudire debebant. Hinc ecclesia ipsa, sponsi sui spiritu imbuta ejusque instituta servare studens, eosdem gloriosos viros uberiori doctrinæ munere a Deo repletos hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in solemnibus sacris quæ recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam scilicet in sacrificio missæ, quam in ecclesiasticis officiis, ejusmodi preces, lectiones et laudes adhiberi jubeat, in quibus et sancti doctoris titulus ipsis tribuitur et eorum sapientia ac doctrina specialius prædicantur. » Ad doctoris ergo rationem præter sanctitatem eximia quædam requiritur sapientia atque doctrina ecclesiastica litteris evulgata scriptisque monumentis ad posteritatem transmissa, qua lux fidei orthodoxæ (1) constanter in ecclesia Dei refulgeat. Sed nemo est, qui non intelligat, inde

a) contingere omnino posse, quemadmodum reapse contingere novimus, ut quis pater habeatur et sit, quin tamen dignitatem ac titulum præferat doctoris speciali illo exsortique sensu accepti; vicissim

b) contingere posse, quemadmodum vere contingit, ut quis doctor κατ' ἐξοχήν acceptioneque vocabuli strictiori illa ecclesiastica existimetur et sit, quin propterea pater exsistat. Primum illud obtinet, quando declarata deest excellentia scientiæ atque sapientiæ eaque manifestata relictis sacræ doctrinæ documentis : hoc vero alterum accidit, quando hac conditione expleta communiter recepta deest antiquitas.

220. — Quid jamvero de iis, qui nec eximia morum pietate ac sanctimonia celebres, neque conspicuum doctrinæ

(1) Ex probatis prius declaratisque nemo non intelligit, hac luce eos in primis illustrari, qui post doctores porro in ecclesia Dei munere officioque doctorum utuntur; et quemadmodum apud hos solos, qui authentici sunt, authenticum de illorum doctrina judicium est : ita per eosdem illorum traditio jugiter ad credendum universitati fidelium prodest.

illius gradum consecuti, sed ut scriptores probe orthodoxi rem christianam juvant, vel qui sive una sive altera ex illis perfectionibus tantum ornati exsistunt? Nimirum

8) a patribus et doctoribus pressiori illo strictiorique sensu acceptis scriptores ecclesiastici distingui solent atque etiam (1) debent. Licet enim isti nomine paulo laxius accepto non infrequenter, maxime si antiquitate ac christiana eruditione præcellant, cum patribus connumerentur; quum tamen memoratæ in illis conditiones omnes non impleantur, e nobiliori patrum doctorumque censu exciderunt. Et alii quidem propterea exciderunt, quod perpetuam cum fide orthodoxa conspirationem (2), alii vero quod perfectiorem sanctitatis formam, alii (3) etiam quod dignam patribus sapientiam auctoritatemque non præ se tulerint. Quanquam vero conferri cum astris primi ordinis nequeant, sed vel alterius vel tertii inferiorisque ordinis exsistant; quia tamen vel in communione catholica sive semper sive aliquando scripserunt (distingui scilicet apud inconstantes vel postea heterodoxos tempora debent), vel eruditione excelluerunt christiana, qua receptam ecclesiæ fidem probe noverunt, atque Majorum vestigia olim prementes, ipsi probati ab anti-

8) A patribus et doctoribus pressiori sensu acceptis distinguuntur scriptores ecclesiastici.

(1) De hac distinctione consule sis comm. de immac. V. concept. l. c. nn. 1745. sqq.

(2) Huc pertinet Tertullianus de præscriptt. c. III. : « Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi christianus; nemo autem christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit. Neque enim, pergit c. IV., eos probabiles (en quod posteriores scriptores non raro usurparunt, jam a Tertulliano adhibitum) intelligi juvat, qui in hæresim fidem demutant. » Quod fecisse utinam Tertullianus visus nunquam fuisset! Profecto inter celebriores sive patres sive doctores recenseretur, neque in ipsum retorqueretur justissima illa animadversio, neque hæc lirinensis Vincentii ad eandem expressa com. c. XVII. : « Magna profecto res, et ad discendum utilis, et ad recolendum necessaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus, ut omnes vere catholici noverint, se cum ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus ecclesiæ fidem deserere debere. »

(3) Propter unum alterumve e titulis allatis tum aliorum tum nominatim notantur scripta Tertulliani et Lactantii in decreto gelasiano, notatur Euseb. cæsar. antist. in conc. III. const. act. V. et VI.

quis ecclesiæ viris fuerunt, merito (1) cum patribus ac post patres et ipsi consuluntur. Atque hoc confirmarunt usu ipso præstantissimi theologi, viri eminentes, illustres præsules, qui ad comprobanda dogmata suffragium quoque scriptorum ecclesiasticorum haud raro usurparunt (2); itemque viri illi

(1) Commemoratione digna hac de re habet Joseph. Weissenbach de eloquent. sacr. l. I. disp. I. c. II. : « Ut illos quoscumque demum laxiore sensu patres dicamus, qui unam alteramve ex memoratis conditionibus impleverunt, et si sanctitate non præstabant, doctrina certe sana sinceraque vel per tempus aliquod (puta Tertullianus) valuerunt, aut antiquitate ipsa venerabiles doctrinæ traditionis et disciplinæ ecclesiasticæ testes idonei (puta Origenes, si tamen is cum origenistis commisceri possit) exstiterunt. Multum ergo vel sic juverunt ecclesiam et patres ejus aliqua saltem ratione dici a nobis possunt. Mercatores mali sunt, et antiquissimas pretiosissimasque merces offerunt, et qui errores vel vitia sectando offecerunt sibi, lectoribus non possunt non quamplurimum prodesse. Atque hac ratione iterum alia plura velut unico ictu amputantur, quæ ex vario genere scriptorum ecclesiasticorum objici adhuc possunt. Donatistas secutus est Ticonius? Non nego. Sed regulæ ejus ab Augustino ipso probatæ sunt, aut quod libris de doctrina christiana eas inseruit, etiam adoptatæ. Photius inaudito scelere et fœdissimis artibus sedem constantinopolitanam bis invasit, et horrendo schismate distraxit ecclesiam? Ita sane. Verum jam antea quam ambitione corrumperetur, multa non catholice modo sed utiliter quoque ac præclare scripsit : criticus ac censor est gravissimus, qui libros, quos ingenti numero legit, summo ingenio, judicio nihilo minore dijudicat. Fragmenta vero et excerpta secus certo peritura, ea nobis servavit, ut magnorum virorum judicio armamentarium aliquod relinqueret ecclesiæ, in quo omnis generis opes, spolia et arma recondita sunt, pro re nata eripienda illi e manibus, nec raro in eundem ipsum convertenda. Quid ergo vetat, quum personam oderis et scelera exsecrere, scripta habere in pretio et inter auctores nostros hominem recensere? Joannes Maxentius ex monachis illis Scythiæ, quorum post chalcedonense concilium ad quæstiones et turbas movendas nota pervicacia est, fere præcipuus, superbiam utique et mordacitatem prodit in scriptis suis; at eruditus vir est, et verius catholicus quam eutychianus, nonnullaque habet minime contemnenda, quæ proin et ipsa inter patrum libros collata sunt. Sit Leo philosophus dictus iis moribus, qui neminem minus quam imperatorem decerent, fastu ad scribendum appulerit animum, et auram popularem non fructum spectaverit, in ipsa etiam dictione declamatorium quid et vanum sapiat; sed sæculi decimi initio cum scripserit, multaque præclara afferat, quid prohibet, ut præstantissimi viri fecerunt, ex his spinis uvas, ex his tribulis ficus colligere? » Etsi ergo inter patres et doctores et scriptores ecclesiasticos differentia sit : misceri tamen solent, quum de antiquitatis agitur monumentis; idque licet, eo quod omnes, etsi vario auctoritatis gradu et pondere, si seorsum spectentur, ad faciem nobis antiquitatis exhibendam conferunt.

(2) Usurparunt cardinales eminentissimi Hosius, du Perronius, Bellarminus, Thomasius, Bona, Orsius : usurparunt præsules clarissimi Bossuetus, Fenelonius, fratresque Wallemburgici : usurparunt insignes doctores Petavius,

eruditi ex vetustioribus non minus quam recentioribus (1) ætatibus confirmarunt studiis suis, quibus e tenebris ad lucem protulerunt ecclesiasticorum scriptorum tum nomina et auctoritatem tum maximam vim ac copiam operum atque monumentorum, de quibus universis ea repeti jure possunt, quæ jam de collectis a se Hieronymus (2) scripsit : « Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, et adornaverint; et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant. »

221. Investigandum quænam qualisque sit patrum auctoritas.

221. — His, ut par videbatur, præoccupatis, de patrum vi et ratione generatim nullum amplius moveri dubium potest. Sed quænam qualisque sit eorum auctoritas, et quænam via ac ratio ad antiquam traditionis sententiam ex iisdem eorumve monumentis eruendam certoque cognoscendam, investigari jam debet. Itaque

THESIS XXVIII. *Quod de summa monumentorum christianorum tanquam de loco objective infallibili, e quo notitia divinæ traditionis certissime hauriatur, in antecessum præstituimus, id nominatim de omnium patrum consensione pari jure repetendum est.*

222. Demonstratio. I. E variis rationibus considerandi patres : 1) Litterarie. 2) Ethice.

222. — DEMONSTRATIO. Id manifestissimum evadit,

1. si pro variis, quas præbent considerandas, rationibus patres spectentur. Porro spectari patres possunt

1) a scientia seu litterarie;

2) a moribus seu ethice : et hac duplici ratione spectati

Thomassinus, Ripalda, Lessius. Qui nomina plura nosse amat, consulat c. s. comm. de im. V. conc. vol. III. sec. VIII. n. 1747.

(1) Huc spectat interrupta nunquam series eorum, qui ecclesiæ scriptorum catalogos texuerunt, quæque ducto initio ab Eusebio in sua hist. eccles. et Hieronymo de vir. illustr. et ad Magnum orator. ep. 70. al. 84. ed. Mign. opp. tom. I. coll. 664. sqq. usque ad recentissimos polyhistores Angelum Maium solesmensesque patres semet porrigit : de qua serie cf. rursum comm. s. c. de immac. V. concept. nn. 1747. sqq.

(2) In præfat. ad Dextrum præfect. prætor. de viris illustribus ed. Mign. opp. tom. III.

sunt viri variis antiquitatis christianæ sæculis (1), tum sacra maxime et ecclesiastica doctrina et eruditione, tum insigni pietate ac sanctimonia præstantes ac conspicui ;

3) Hierarchice. 3) a charactere sacro seu hierarchice : et plerique omnes non modo ad hierarchiam pertinent, sed ad ipsum ordinem (2) testium authenticorum ;

(1) Hanc de ecclesiasticis viris mentem opinionemque olim jam habuit aperuitque Tertullianus l. adv. valentin. c. v. verbis superius allatis. Atque ad tales contra pelagianos provocasse se adfirmat Augustinus cont. Julian. l. I. c. VII. n. 34. c. VIII. n. 16. et l. II. c. x. n. 35, ubi hæc præclare : « Usque adeo, inquit, tenebræ lux, et lux tenebræ esse dicuntur, ut videant Pelagius, Cœlestius, Julianus, et cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qualiscunque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam (si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis), et quodam modo audio vocem tuam. Respondes, absit, ut audeam cæcos istos viros vel cogitare vel dicere. Eorum ergo appende sententias. » Cf. quæ Aug. ibid. l. I. c. VI. n. 26. in S. Chrysostomi laudes profert.

(2) Si enim pressius rem accipiamus, in ecclesia Dei patres gignendique filios auctoritate instructi proprie sunt soli episcopi. Sane ad episcopos, ut authenticos testes simul ac judices appellavit Augustinus cont. Julian. l. II. c. x. n. 33 : « Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes (κατ' ἐξοχήν, per eminentiam sacerdos est qui primum sacerdotii ordinem occupat) Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Basilius, quibus velis nolis Hieronymum addo presbyterum (sacerdotem scilicet secundi ordinis : hac tamen sua loquendi ratione vel ipse Augustinus significat, ad censum illorum Hieronymum communi sacerdotis seu presbyteri titulo non pertinere, quem propterea l. I. c. IV. omisit, c. vero VII. n. 34. ibid. rationes adducit, ob quas rejici nequeat), ut omittam eos, qui nondum dormierunt (ergo ad antiquissimos neque provocavit neque ut provocetur Augustinus plane necessarium ducit), adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam... At ego, pergit. n. 34., ubicunque sis, ubicunque legere ista potueris, te ante istos judices intus in corde tuo constituo, quos non amicos meos et inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis aversos et ob hoc tibi adversos, in hac nostra disceptatione constitui cognitores. Nec eos qui nunquam fuerunt aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi; sed sanctos et in s. ecclesia illustres antistites Dei, non platonicis et aristotelicis et zenonicis aliisque hujusmodi vel græcis vel latinis, quanquam et istis aliquos eorum, verum omnes sacris litteris eruditos, nominatim sicut oportebat expressi, eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi, ut in eis timeas non ipsos, sed illum, qui sibi eos utilia vasa formavit (en theologicam juridicamque patrum considerationem) et sancta templa construxit, qui tunc de ista causa judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari vel favere potuisse. » Quæ egregie prosequitur nn. sqq. et consonant Vincent. lirin. com. c. XXIX.

4) a vi et ratione patris seu formaliter (1) : et sunt, qui singulis ætatibus fideles per evangelium Christo genuerunt; 4) Formaliter.

5) ab ordine providentiæ seu theologice ac juridice : quatenus ii sunt, qui Christo Domino providente ac disponente (2) uti luminaria atque columnæ per temporum ætates orbisque plagas positi sunt, ut bonum depositum custodirent, aperirent scripturas, et traditiones divinas assererent, illuminarent cæcos, et infideles hæreticosque refellerent, charismate doctoratus (3) e filiis suis patres efficerent, atque populo 5) Theologice ac juridice.

(1) De plerisque enim repeti possunt et ab ecclesia Dei reapse repetuntur in officio de confessore pontifice, quæ de s. Eusebio habet s. Maximus hom. 78. : « Quum enim dicat scriptura, gloria patris est filius sapiens, quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per evangelium ipse nos genuit. Quidquid ergo in hac s. plebe potest esse virtutis et gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo, omnium rivulorum puritas, emanavit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium civium in Deum provocavit affectum : quia pontificis administratione fulgebat, plures e discipulis reliquit sui sacerdotii successores. »

(2) De hac Dei dispositione Augustinum loquentem induximus superius, et rursum de eadem disserit ibidem l. II. c. x. n. 37. « Fideles, inquit, et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. » Consonat Hier. com. in ep. ad Ephes. l. II. c. IV. pp. 615. sqq., et præclarissime Leont. byzant. cont. nestor. l. I. xxxv. : « Post Apostolos, ait, et prophetas Deus in ecclesia doctores posuit secundum providentiam Spiritus sancti incomprehensam in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi. Quare qui patres illos non recipit, qui in ecclesia clari et celebres sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit. » Similia repetit l. II. Quæ apud card. Mai spicileg. rom. tom. X. p. 34. et apud Mign. gg. pp. t. LXXXVI. col. 1309. sic sunt græce : Μετὰ γὰρ τοὺς Ἀποστόλους καὶ τοὺς προφήτας, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοὺς διδασκάλους, κατὰ τὴν ἀνεξιχνίαστον τοῦ Πνεύματος οἰκονομίαν, τέθεικεν ὁ Θεὸς, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ· οὐκοῦν ὁ τοὺς πατέρας μὴ δεχόμενος τοὺς διαφανεῖς τε καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ περιβοήτους, προφανῶς τῇ διαταγῇ τοῦ Θεοῦ ανθέστηκεν.

(3) Huc iterum faciunt allata prius Maximi verba, quibus confer insignia encomia tributa patribus a Theodoreto dial. II. Inconfus. ed. Schulz. p. 170., ubi allata ex antiquis ecclesiæ doctoribus demonstratione inconfusæ in Christo utriusque naturæ ita concludit : Ἀκήκοας, ὦ αγαθὲ, τῶν μεγάλων τῆς οἰκουμένης φωστήρων, καὶ τὰς τῆς διδασκαλίας ἀκτῖνας ἑώρακας· καὶ μεμάθηκας ἀκριβῶς, ὡς οὐ μόνον μετὰ τὸν τόκον, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος, καὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ τὴν ἀνάληψιν τὴν ἕνωσιν τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος ἀσύγχυτον ἔδειξαν : « Audivisti, o bone, magna orbis lumina, et doctrinæ radios conspexisti, et didicisti accurate, quod non solum

christiano (1) tanquam viæ duces præirent. Jamvero quinque hisce modis conjunctim patres considerari nequeunt, quin luce clarius sit, ab eorum consensione abesse omnem falsitatem tam objectivam quam subjectivam, illorumque consensione fontem infallibilem divinæ veritatis contineri. Etenim, quemadmodum patribus asseritur veritas, quæ historica dicitur, eaque certissima, tam subjective spectata, quatenus a mendaciis aliena est, quam objective spectata, quatenus ab ea error abest, si considerationes duæ priores ob oculos habeantur : ita, consideratis tribus postremis capitibus, veritas, quæ iisdem consentientibus inest, veritas censeri debet theologica eaque infallibilis, quatenus ea illorum est, qui theologico charactere præditi fuerunt, quibusque divinitus (2) prospectum consultumque est.

post nativitatem, sed etiam post salutiferam passionem, et resurrectionem, et ascensionem, inconfusam divinitatis et humanitatis unionem demonstrarint. » Miranti id eranistæ reponit : Μανικόν ἐστι καὶ θρασὺ κατὰ τῶν γενναίων ἐκείνων καὶ τῆς πίστεως ἀριστέων τὴν γλῶτταν κινεῖν : « Furiosum et temerarium est adversus insignes illos viros fideique duces linguam movere. » Quibus similia repetit dial. III. Impatibil. p. 175. et ep. 83. ad Dioscor. alex., ep. 84. ad epp. Cilic., ep. 89. ad florent. ep., et alibi.

(1) Ita Patres synodi VII. in definit. de sac. imag. : Τὴν βασιλικὴν ὥσπερ ἐρχόμενοι τρίβον, ἐπακολουθοῦντες τῇ θεηγόρῳ διδασκαλίᾳ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν καὶ τῇ παραδόσει τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. « Regiæ quasi insistentes semitæ sequentesque divinitus inspiratum (id est, protectum) ss. patrum nostrorum magisterium et catholicæ traditionem ecclesiæ. » Et ita patres syn. VIII. can. 1. : Τὴν εὐθεῖαν καὶ βασιλικὴν ὁδὸν τῆς θείας δικαιοσύνης ἀπροσκόπως βαδίζειν ἐθέλοντες, οἷόν τινας πυρσοὺς ἀειλαμπεῖς τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων ὅρους κρατεῖν ὀφείλομεν : quæ in forma latina ex versione Anastasii bibliothecar. sic habent : « Per æquam et regiam divinæ justitiæ viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum patrum definitiones et sensus retinere debemus. » Cf. ap. H. Denzing. l. c. n. 272. Hinc etiam a Tarasio in syn. nicæna II. act. IV. custodes vocantur ecclesiæ catholicæ.

(2) Profecto testes authentici divinitus proteguntur, ut suo loco ostendimus; deinde patres fidelium divinitus servandi ab infidelitate, ne filii procreentur infideles; item positi divinitus custodes columnæque fidei, ne in ruinam secum ecclesiam trahant universam. Ideo Theodoret. dial. I. immutab. p. 69. patres κηρύκας vocat ἀληθείας veritatis nuntios, eosque διαδόχους τῶν θείων Ἀποστόλων, divinorum Apostolorum successores, quorum alii sacram illorum vocem audierunt, eorum consuetudine usi sunt, plurimi etiam martyrii coronis ornati; adeoque nefas esse affirmat, κατὰ τούτων τὴν βλάσφημον κινήσαι γλῶτταν, contra hos blasphemam linguam movere; et

223. — Sane II. nunquam alia fuit christiani nominis persuasio ac fides, eaque tam agendi quam sentiendi ratione manifestata. Et

II. E christiani nominis persuasione constante.

1) agendi quidem ratione manifestata fuit, quatenus, ut ex ecclesiæ monumentis (1) constat, fidei quæstiones tum ut diremptæ haberi consueverunt, quum primum de consensione patrum liqueret. Manifestata vero fuit

1) III a manifestata est practice.

2) theoretice, idque duobus omnino modis. Sicut enim plures eæque disertissimæ suppetunt majorum sententiæ (2)

2) Theore tice.

dial. II. p. 72. tot ac tantis repugnare doctoribus, e quibus paucos duntaxat adhibuerat, apertissimam infamiam appellat.

(1) Nihil luculentius quam quod concilium lateranense sub Martino I. suppeditat : ex viginti canonibus, qui statuuntur, ne unus quidem statuitur, quin veluti norma patres præstituantur; canone autem XVII., de quo inferius, patrum auctoritas, non secus ac præcedentium œcumenicorum conciliorum, sub pœna infligendæ condemnationis recipienda proponitur. Itemque in synodo VII. ap. Denzing. nn. 243. sqq. patrum doctrina perinde habetur ac traditio catholicæ ecclesiæ. Rursum syn. VIII. can. I. definitiones patrum tenendæ præscribuntur. Id quod pariter, aliis licet verbis, secundum easdem tamen sententias in valentina synodo repetitur ap. Denzing. n. 283.; et iterum in nicæna docetur II. seu œcumenica VII. act. VI., dum illud negatur et rejicitur, quod patrum nullus tradidit vel docuit; atque ab his ne ipsa quidem trullana pseudo-synodus dissidet can. XIX. Cf. Petav. prolog. c. II. n. 2. Præclara sunt, quæ de modo agendi ephesinæ syn. scribit Iirin. Vincent. com. c. XXIX., quæque docet Bessar. in or. dogmat. coram flor. conc. cc. II. sqq.

(2) Referri huc debent plura ex superius allatis. Deinde vero eodem faciunt Cyrilli ad anathem. 8, ep. 1. ad success. atque hæc ejusdem ex dial. I. de trinit. : « Satis esse ss. patrum monumenta, in quibus, si quis prudenter versari et vigilanter ea tractare velit, divina statim luce mentem suam impletum iri. » (Opp. t. V. p. I. p. 388. B.) Ἄλις γὰρ ἄλις αἱ τῶν ἁγίων πατέρων εἰς τοῦτο συγγραφαὶ, αἷς εἴπέρ τις ἕλοιτο νουνεχῶς ὁμιλεῖν καὶ ἐγρηγορότως προσφέρεσθαι, φωτὸς ἂν τοῦ θείου τὸν οἰκεῖον εὐθὺς ἀναμεστώσειε νοῦν. Huc capreoli afric. ad ephes. patres ep. ap. Hard. t. I. pp. 1419. sq. sententia, antiquorum patrum judicio confirmanda esse, quæ quis stabilia censeri velit. Huc Vincentii Iirin. regulæ com. c. II. « Antiquitatem sequemur ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est »; et c. III. « Quid si in ipsa vetustate, duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil ejusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen ecclesiæ catholicæ communione et fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt; et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes

de peremptoria ex suffragio patrum ducenda probatione : ita neque pauciores neque perspicuæ minus præsto sunt illorum sententiæ, quibus hoc ipsum anathemate indicto sancitur, caveturque, ne quis christianus citra fidei perniciem ab eo deflectat, quod una patrum voce fuerit communitum. Talia

Concilium later. sub Martino I.

sunt, quæ habentur canonibus lateranensibus (1) sub Martino I, quorum decimus septimus sic habet : « Si quis secundum sanctos patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quæ tradita sunt et prædicata sanctæ catholicæ et apostolicæ Dei ecclesiæ, perindeque a sanctis patribus et venerandis universalibus quinque conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit. » Talia,

Concilium VII.

quæ in definitione concilii VII. (2) habentur : « Sic enim

pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. » Huc tandem quæ Mansuetus mediolan. ep. ad Constantin. pogon. scripsit quæque relata in conc. VI. ap. Hard. tom. III. pp. 1051. sqq. : « Nos autem omnes, qui sub felicissimis et christianissimis et a Deo custodiendis principibus, nostris dominis Peretharit et Cunibert, præcellentissimis regibus, christianæ religionis amatoribus, sumus, una cum eorum s. devotione, pari tenore et reverentia traditiones ss. Apostolorum, seu reverendissimorum patrum, qui in supradictis conciliis adfuerunt, omni cum veneratione suscipere, amplecti, defendere, prædicare : præcipue s. memoriæ Leonis apostolicæ sedis præsulis dicta, sed etiam orthodoxos patres, qui per diversa loca zelo Dei ferventes dogmata salutaria nobis reliquerunt, ut venerandæ memoriæ Gregorius nazianzenæ civitatis episcopus, et Basilius Cappadociæ episcopus, et Cyrillus alexandrinus præsul, et Athanasius ejusdem alexandrinæ ecclesiæ pontifex, nec non et Joannes constantinopolitanus antistes, et Hilarius pictaviensis episcopus, et omni sapientia clarus Augustinus hipponensis episcopus, et veneranda corona (al. coronæ) Christi confessor Ambrosius mediolanensis ecclesiæ præsul, simul et eruditissimus et omni luce conspicuus Hieronymus presbyter, quidquid hi docuerunt, sapuerunt, prædicaverunt, vel defensores exstiterunt, nos eorum acta vel statuta omni devotione suscipimus. » Quibuscum plane conspirant quæ habentur a Victore carthag. in later. syn. sub Mart. I. secretar. II. quæque insigni facundia disserit August. cont. Julian. l. I. cc. III. sqq.

(1) Celebrat. 649. canon. XVII. cf. XIX. et XX. ap. Denzing. l. c. nn. 218. sqq.

(2) Ibid. n. 245. Οὕτω γὰρ κρατύνεται ἡ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν διδασκαλία, εἴτουν παράδοσις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας... Τοὺς οὖν τολμῶντας ἑτέρως φρονεῖν, ἢ διδάσκειν ἢ κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις ἀθετεῖν... ἐπισκόπους μὲν ὄντας ἢ κληρικοὺς καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν, μονάζοντας δὲ ἢ λαϊκοὺς τῆς κοινωνίας ἀφοριζεσθαι.

robur obtinet sanctorum patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ catholicæ ecclesiæ... Eos ergo, qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum scelestos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere... præcipimus a communione segregari. » Talia, quæ leguntur in concilio constantinopolitano tertio, œcumenico VIII. (1), canone primo : « Igitur regulas, quæ sanctæ catholicæ et apostolicæ ecclesiæ tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus nec non et localibus conciliis vel etiam a quolibet deiloquo patre ac magistro ecclesiæ traditæ sunt, servare ac custodire profitemur; his et propriam vitam et mores regentes et omnem sacerdotii catalogum, sed et omnes, qui christiano censentur vocabulo, pœnis et damnationibus et e diverso receptionibus ac justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt et definitæ, subjici canonice decernentes; tenere quippe traditiones, quas accepimus sive per sermonem sive per epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte, magnus Apostolus. » Talia, quæ in concilio tridentino (2) de unanimi in interpretandis scripturis patrum consensu statuuntur, qui impune non deseratur. Hæc a vaticano concilio (3) rursum proposita sunt, atque aliud insuper habent suffragium Pii papæ IX. (4) notantis in libris et doctrina Güntheri, quod is « ea sanctos patres reverentia non habuit, quam conciliorum canones præscribunt, quamque splendidissima ecclesiæ lumina omnino promerentur »; itemque (5) rursum, quod ille « immo neque satis intellexit, quantopere deferendum sit venerandæ sanctissimorum pa-

Concilium VIII.

Tridentinum.

Vaticanum.

Pius IX.

(1) Ap. Denzing. l. c. n. 272. Τοιγαροῦν τοὺς ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ παραδοθέντας θεσμοὺς παρά τε τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων, παρά τε ὀρθοδόξων συνόδων οἰκουμενικῶν τε καὶ τοπικῶν ἢ καὶ πρός τινος θεηγόρου πατρὸς διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας τηρεῖν καὶ φυλάττειν ὁμολογοῦμεν· κρατεῖν γὰρ τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβομεν εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῶν τῶν προγενεστέρως διαλαμψάντων ἁγίων, παρεγγυᾷ διαῤῥήδην Παῦλος ὁ μέγας Ἀπόστολος.

(2) Sess. IV. de canon. scriptt. ap. Denzing. nn. 666. 668.

(3) Sess. III. constitut. dogmat. de fide catholica c. II.

(4) Breve ad card. archiep. Colon. 1857. Denzing. n. 1511.

(5) Breve ad ep. Wratislav. de errorib. Güntheri et scholæ güntherianæ d. 30. mart. 1857. ibid. n. 1515.

trum auctoritati, et quo studio cavendum, ne profanæ novitatis amore tuta illorum vestigia deserantur, et gravissimi diffundantur errores ». Sancte ergo patrum consensus tenendus, in quo inerrabilis regula veritatis.

224. An in paucioribus pretium detegi valeat, quod omnibus patribus inest.

224. — Sed omnium simul ecclesiæ patrum mentem sententiamque exploratam habere res ardua est. Juvaret ergo plurimum, si quod pretium quique valor omnibus inest, id detegi deprehendique in paucioribus etiam cum securitate valeret. Atqui hoc omnino sibi constare jam (1) asseremus.

THESIS XXIX. *Quod omnium consensioni patrum objective asseritur, idipsum tribuendum quoque est I. explorato occidentalium omnium suffragio; tum II. ceteris minime reclamantibus conspirationi patrum numero plurium, doctrinæ ac famæ celebritate insignium, qui diversis ætatibus diversisque locis inclaruerint.*

225. Demonstratio.

225. — DEMONSTRATIO. Rem affirmant, probant ac vindicant patres, doctores, atque theologi orthodoxi. Et quod

I. Probatur ex Augustino omnibus occidentalibus tribuendum, quod o-

I. ad primam assertionis partem attinet, scilicet in causis revelationis ac fidei (quæstionibus adeo non de rebus ἀδιαφόροις (2), sed quæ sua natura graves sunt, cujusmodi est cum de traditione divina agitur) ex occidentalium patrum con-

(1) Merito de hac veritate consuluntur card. du Perron. in resp. data regi mag. Britann. tom. III. p. 648., Bossuet in op. inscripto : Défense de la tradit. et des SS. Pères l. VIII. opp. tom. V. edit. Bar-le-Duc., 1870., de Rubeis de pecc. orig. cap. XX.

(2) Quid vero ejusmodi sit nec ne, judicari non contra mentem patrum, sed, quantum fieri potest, etiam secundum eorundem doctrinam sententiamve plane debet. Atque hæc cautio est, qua castigari regulæ vel conclusiones debent, quas Melchior Canus de loc. theol. l. VII. c. III. ad patrum auctoritatem definiendam statuit. Quibus autem ab ipso confutatur conclusione quinta Cajetanus detrahens patribus circa sensum scripturæ conspirantibus, his similiter emendandus ipse detrahens conclusione prima patribus circa philosophiæ dogmata, ut ait, consentientibus, quum indubitate talia habeantur philosophiæ dogmata, sine quibus ipsa dogmata theologiæ, circa quæ patrum auctoritatem ipse tuetur, conservari defendique, uti oportet, non possint; hinc emendandus idem detrahens patribus circa indolem qualitatemque rerum judicantibus, quas ad fidem illi, ipse ad rationem seu philosophiam refert; et emendandus quoque, dum levius negat, immaculatam Virginis conceptionem scripturis et traditione apostolica doceri, adeoque ut dogma fidei declarari posse, dumque facilius aliquot veterum ecclesiæ auctorum lapsus dissensionesque a communi aliorum doctrina affirmat.

sensu indubitanter tenendam credendamque veritatem constare : rem egregie asseruit Augustinus (1) contra Julianum ostendens

omnium patrum consensioni asseritur.

1) historice (2), cum occidentalibus convenire eadem mente et sententia patres orientales;

(1) L. I. c. IV. nn. 13. sq. : « Iterum te admoneo, ita absolvit n. 12., iterum rogo, aspice tot ac tales ecclesiæ catholicæ defensores atque doctores : vide quibus tam gravem tamque nefariam irrogaris injuriam. » Tum pergit. n. 13. : « An ideo contemnendos putas, quia occidentalis ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis orientis episcopus ? Quid ergo faciemus, quum illi græci sint, nos latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui ecclesiæ præsidentem b. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit (est ergo romanus pontifex in impotentia deficiendi a patrum traditione) ille vir sanctus africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus apostolica sedes et romana cum ceteris (tam orientalibus quam occidentalibus) tenet perseveranter ecclesia? » Quibus post alia n. 14. subdit : « Non est ergo, cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia et fides ista christiana est : et te certe occidentalis terra generavit, occidentalis regeneravit ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non invenisti, quando in ejus membra venisti? Imo quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti? » Quibus a) historice affirmavit Augustinus, standum occidentis episcopis esse, eo quod non aliud, quam ipsi, prædicant orientis episcopi ; tum, quod juris est addit, standum illis esse, b) eo quod est inter eos pontifex romanus; c) quia una est omnium christianorum eademque universalis ecclesiæ fides; nominatim argumento ad hominem eum d) cum illis stare oportere, qui illorum regimini obnoxius est.

(2) Ad harmoniam concentumque doctrinarum, quas cum occidentalibus orientales profitebantur declarandum faciunt, quæ de laudibus orientalium patrum habet Hilarius l. de synodis, quæ novimus de amore studioque Ambrosii erga nazianzen. Gregorium et Basilium, ut ex ejus hexæmero patet, Hieronymi in eundem nazianzenum, ut ex ejus l. de scriptt. eccles. et apolog. in Rufin. constat, quæ de iisdem colliguntur ex judicio Augustini cont. Jul. l. I. c. v., de Trinit. l. III. c. I., de doct. christ. c. XL., Cœlestini pontif. ad Maximian. episc. ep. 13., Felicis III. ep. synod. ad universos presbyteros constantinop. et Bythiniæ, Agathonis in ep. ad imperat. cont. monothelet., quæ exstat in conc. VI act. IV., Gregorii II. ad Leon. isaur., aliorumque ap. Habert. theol. græc. de grat. l. I. c. I. n. 4. Nomine omnium sint, quæ scripsit Gregorius I. cognomine magni epp. l. X. ep. 35. ad Eulogium alex., cui de congestis contra agnoetarum hæresim græcorum latinorumque patrum testimoniis ita gratulatur : « Cui ego ante longum tempus, quam vestra scripta susciperem, contra eandem hæresim respondi, quæ postmodum in epistola vestræ sanctitatis inveni, atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus romanorum (quos occidentales dicit) atque græcorum patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti. In multis enim eandem vestram epistolam ita reperi, ac si contra

2) theologice, ecclesiæ partes dissidere in fide non posse ; et

3) juridice, cum occidentali convenire orientalem debere, quia in occidentali plaga unitatis principium est ac centrum. In consensione igitur occidentalium patrum habetur indubia doctrina Majorum omnium.

226. Idem ratum fixumque est ex disputatis a Bessarione in concilio florentino.

226. — Et sane fieri non posse, ut a patribus orientalibus negatum dicatur, quod ad fidem pertinens apud occidentales ecclesiæ patres ratum est ac fixum, tum ex aliis prius (1) probatis constat, tum ex iis, quæ gravissimis orationibus disputavit Bessarion in florentino concilio (2) his verbis : « Et meo quidem judicio tum orientales tum occidentales patres clare manifestoque locuti sunt et veritatem fidei nobis tradiderunt. Et facile quis posset alterius partis auctoritatibus usus, per eas duntaxat propositam quæstionem concludere. Et hoc paulo post, si Deus concedet, probabimus. Concedatur tamen, non ita clare, nec ita expresse orientales locutos fuisse de Spiritus sancti ex Filio processione, quemadmodum occidentales : quid igitur faciendum est? Nempe nihil aliud, nisi quum occidentales patres apertissime hanc

prædictam hæresim scripta latinorum patrum legerem. Et quantum potui de sanctissimo fratre meo amare et laudare bonum perpendite, in cujus ore venerandos patres, quos multum diligo, recognovi. » Quibus addi merentur tandem hæc Gersonis cancellar. paris. ex or. coram Leone IV. habita : « Jam vero de græcis loquerer, quibus multa latini debemus. Verum hunc locum eo negligentius transeo, quod te erga revocationem græcorum omnes adhibiturum operas intelligo. Festina, pater, festina, ne labatur occasio, cui non est facile similis reditura. Ad rem feliciter tractandam tempus omnium primum est. »

(1) De hoc disseruimus supra, quando de præsidio sermo in romana fide collocando, deque unit. rom. II. I. II.

(2) Orat. dogm. c. IV. ap. Hard. tom. IX. col. 331. Ἐγὼ μὲν οὖν φημι, καὶ ἀμφοτέρους τοὺς διδασκάλους σαφῆ τὰ παρ' αὐτῶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν συναγαγεῖν. Καὶ δύναιτ' ἄν τις μηδαμῶς τοῖς παρ' ἀμφοτέρων προσχρώμενος, διὰ τῶν παρὰ θατέροις μόνον ταυτὸ συμπεραίνει συμπέρασμα. Καὶ τοῦτο δείξομεν μετὰ ταῦτα, ἂν ὁ Θεὸς ἐπιτρέψῃ, διὰ βραχέων. Ὑποκείσθω δὲ ὅμως μὴ πάνυ σαφῶς τοὺς ἀνατολικοὺς, μηδ' οὕτως ἀναπεπταμένως ὡς οἱ ἐκ τῶν δυσμῶν τὴν ἐκ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Πνεύματος κηρύξαι ἐκπόρευσιν. Τί οὖν ποιήσομεν; Τί δ' ἄλλο γε ἢ τῶν ἐξ ἑσπέρας πατέρων οὕτω σαφῶς ἀποφαινομένων ταύτην τὴν πίστιν, καὶ τοὺς ἀνατολικοὺς ἡγητέον ταυτὸ τοῦτο λέγειν ἐξ ἀνάγκης, καὶ μὴ μαχεσθαι τοῖς ὁμόφροσιν; Ὃ γὰρ ἐν ἐκείνοις, τοῦτο καὶ ἐν αὐτοῖς ἐλάλησε Πνεῦμα· καὶ ἅπερ ἐν τούτοις ἀνεπτυγμένως, ταῦτα πάντως ἐν ἐκείνοις συνεπτυγμένως ἐφθέγξατο, δι' ἣν οἶδεν ἐκεῖνο αἰτίαν, καὶ διὰ τὴν τότε ἴσως ἐκεῖσε προσήκουσαν οἰκονομίαν.

prædicaverint fidem, orientales quoque putandum hoc idem dicere : nec oppugnare illos qui idem de fide senserunt. Qui enim in illis, idem et in his locutus est Spiritus, et quæ per illos subobscure, eadem per hos aperte docuit ob eam, quam ille scivit, causam et propter necessariam tunc fortassis dispensationem. » Nimirum, una in Christi ecclesia fides, quod unum est efficiens fidei internum principium, Spiritus sanctus, qui ut a se ipso non dissidet, ita orientalis plaga ecclesiæ ab occidentali in fide non dissidet. Hinc superius asseruerat (1) : « Si quis forte sit, qui sanctos patres et doctores nostros contraria invicem dixisse existimet, eum profecto cum infidelibus et crucis hostibus connumerari fas est, qui hinc arguere fidem nostram consueverunt, contrarietates quasdam et contradictiones sacrarum litterarum inter se fingentes, quas tamen nemo præter ipsos tales existimat. » Nefas ergo est, contendere vel admittere orientales pastores atque doctores in contraria abiisse, quique principis partis totius ecclesiæ essent, a veritate una ac simul aberrasse; adeoque dici plane contendique debet, ab occidentalibus non posse orientales dissidere patres, et quum apud illos ea habeatur sedes eaque cathedra, quæ sit externum communicationis centrum unitatisque principium, a qua adeo citra piaculum nemini fas sit divortio facto discedere : jure concludimus, consensioni occidentalium patrum tribui pretium conspirationis omnium oportere. Rem cum Bessarione comprobarunt Georgius Scholarius (2) suis in eodem concilio habitis orationibus, Josephus methonensis episcopus (3) in sua responsione, qua Marcum ephesinum confutavit, atque præ-

(1) Orat. dogm. c. II. Εἴ τις καὶ ἑαυτοῖς ἢ ἀλλήλοις ἔσθ' ὅτε τοὺς πατέρας ἐναντιουμένους τολμήσειε φάναι, ὥρα λοιπὸν αὐτῷ μετὰ τῶν ἀπίστων ταχθῆναι καὶ τῶν ἐχθρῶν τοῦ σταυροῦ. Οἷς ἔργον ἐντεῦθεν τὰ ἡμέτερα ἐπιχειρεῖν ὑποσαλεύειν μυστήρια, τεκμήριον τῆς τοῦ κηρύγματος ἀσθενείας, πλάττουσιν ἐναντιοφανείας τινὰς τῆς θείας γραφῆς, πλὴν αὐτῶν οὐδενὶ ἑτέρῳ δοκούσας. A quibus non discordant, quæ disputat eximius theologus Georgius Scholarius coram flor. conc. orat. III. ap. Hard. tom. IX. pp. 539. sqq., quæque reponit Josephus episcop. methonensis ad libellum Marci ephesini ibidem p. 556.

(2) Videsis l. s. c.

(3) In actis concil. florent. ap. Harduin. l. c.

ter alios præclaros theologos cardinalis du Perronius (1), de Rubeis (2) lumen venerandæ familiæ sancti Dominici, atque Bossuetus (3) meldensis episcopus.

227. — Quod vero

II. Probatur altera pars thesis.

II. ad alteram præstitutæ affirmationis partem spectat; ea non obscure colligitur

1) Ex usu tam synodorum quam ecclesiasticorum scriptorum.

1) ex usu tam synodorum quam ecclesiasticorum scriptorum. Ad quod comprobandum nihil desiderari potest illustrius, quam quæ lirinensis Vincentius scribit in suo commonitorio altero (4), quæ integra speciminis ergo ob oculos habuisse juverit : « Exemplum adhibuimus sancti concilii, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est vv. cc. Basso Antiochoque consulibus : ubi quum de faciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium ss. patrum sententiæ proferrentur, quorum alios (5) martyres, alios confessores, omnes

Adfertur quæ Vincentius lir. de synodo ephesina scribit.

(1) Cf. l. s. c.

(2) L. c. n. 4. pp. 89. sqq. ed. Wirceburg. 1857.

(3) L. c. capp. I. sqq., ubi de methodo conciliandi patres; statuit porro : « Quatre principes infaillibles de saint Augustin pour établir sa méthode.

« Premier principe : Que la tradition étant établie par des actes authentiques et universels, la discussion des passages particuliers des SS. Pères n'est pas absolument nécessaire.

« Second principe de saint Augustin : Le témoignage de l'Eglise d'Occident suffit pour établir la saine doctrine.

« Troisième principe : Un ou deux Pères célèbres de l'Eglise d'Orient suffisent pour en faire voir la tradition.

« Quatrième et dernier principe : Le sentiment unanime de l'Eglise présente suffit pour ne point douter de l'Eglise ancienne. »

Porro c. VI. ostendit : « que cette méthode de S. Augustin est précisément la même que Vincent de Lérins étendit ensuite davantage »; c. VIII. « que cette méthode de S. Augustin est infaillible, et qu'il n'est pas possible que l'Orient crût autre chose que l'Occident sur le péché originel ». Sed idem valet de aliis fidei veritatibus.

(4) Continuata a prioris commonitorii serie numerorum nn. 29. sq.

(5) His atque sequentibus eorum prærogativæ indicantur, quos in patrum censu habemus, et de quibus prius disseruimus, ubi ea etiam e Majorum monumentis prolata testimonia leguntur, quibus quæ asserimus ipso usu luculenter firmantur.

vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret, ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur... Quod quum ita factum foret, jure meritoque impius ille Nestorius catholicæ vetustati contrarius, beatus vero Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, tam nomina et numerum (licet ordinis fuissemus obliti) edidimus eorum patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam et legis sacræ proloquia exposita sunt et divini dogmatis regula constabilita est, quos ad confirmandam memoriam hic quoque recensere nequaquam superfluum est. » Significata igitur norma, quam sibi concilium ephesinum sequendam proposuit, quamque in patribus reposuit, exponit Vincentius usum normæ a patribus factum (1) eumque non alium, quam is est, qui nostram affirmationem confirmat : « Sunt ergo hi viri, quorum in illo concilio vel tanquam judicum vel tanquam testium (2) scripta recitata sunt : sanctus Petrus alexandrinus episcopus, doctor præstantissimus et martyr beatissimus ; sanctus Athanasius, ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus et confessor eminentissimus; sanctus Theophilus (3) ejusdem item urbis episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus (4), cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc alexandrinam illustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius (5) civitatis ac provinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociæ lumina s. Gregorius episcopus et confessor de Nazianzo ; s. Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus et confessor ; s. item alter Gregorius nyssenus episcopus, fidei, conversationis, integritatis et sa-

(1) Ibid. n. 30.

(2) En duplex episcoporum officium et munus, de quo suo loco diximus.

(3) Hic invertitur nonnihil a Vincentio patrum ordo, qui in actis concilii ipsis invenitur ap. Hard. tom. I. act. 1. p. 1399.

(4) Non absque ratione profecto lirinensis Vincentius diversis ejusmodi epithetis et appositionibus quos adlegat patres distinguit : atque huc spectant, quæ de famæ doctrinæque præstantia significata in statuta superius thesi voluimus.

(5) En loci diversitatem, quam requirimus, de qua paulo post iterum.

pientiæ merito fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia aut oriens tantum, verum etiam occidentalis et latinus orbis ita semper (1) sensisse adprobaretur, lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam epistolæ s. Felicis martyris et s. Julii, urbis Romæ episcoporum. Et ut non solum (2) caput orbis, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus episcopus carthaginiensis et martyr, a septentrione s. Ambrosius mediolanensis episcopus. Hi sunt igitur omnes (3) apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes judicesque producti, quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque tædio, præsumptione et gratia de fidei regulis pronuntiavit. Quanquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit (4), quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, et decem illos non aliud vere sensisse, quam ceteros omnes collegas suos, nemo dubitabat. » Allati ergo patres, non illi quidem plurimi, e diversis tamen terrarum plagis collecti, neque eadem omnes ætate florentes, e judicio ephesinæ synodi satis erant ad litem controversiamque finiendam, quam Nestorii inaudita temeritas excitavit. Verum idem plane docet

2) E ratione agendi polemica nominatim Augustini.

2) Augustinus contra Julianum (5) his omnino verbis : « Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor,

(1) Licet variæ ætatis adducti patres sint : hoc tamen animadvertatur, plerosque omnes ejus esse temporis, cui ephesini patres vel suppares vel etiam æquales essent.

(2) His significatur prærogativa occidentis, cujus suffragium æquivalet sententiæ orbis totius, quia idem complectitur totius orbis suffragium capitale, prolatum scilicet a capite orbis christiani totius.

(3) Desunt tamen Atticus constantinopolit. et Amphilochius iconiens. episcopi, qui post superiores pariter adductos acta fide digna testantur.

(4) His ea, quæ probanda nobis proposuimus, diserte efferuntur.

(5) L. I. c. I. n. 3., quo intolerabilem injuriam tot tantisque patribus irrogari a Juliano dicit, si sibi adscriberet manichæorum damnabilem et nefandæ impietatis errorem. Tum vero c. III. n. 5. tot et tales et tantos viros illos fidei catholicæ defensores adducit, ita tamen ut non omnes sed paucos

quia nimis longum est, et necesse esse non arbitror; sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere, et cedere, si ullus in eis vel Dei timor vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superavit. » Omnes ergo singulosque interrogare patres minime necessarium duxit Augustinus, sed eos duntaxat, quorum sententia referri doctrinam ecclesiæ universalem existimandum esset. Id, quod idem post adductum patrum suffragium ita expressit (1) : « Tantumne apud te possunt Pelagius et Cœlestius, ut a solis ortu usque ad occasum tot (2) ac tantos (3) catholicæ fidei doctores et defensores, antiquos et nostræ ætati (4) contiguos, dormientes et manentes (5), non solum deserere, verum etiam manichæos audeas appellare? Miror, si hoc aliquando ex tuo poterit ore procedere, quod te tamen clamare pravitas tui compellit erroris. Sed mirum, si in facie hominis tantum intervallum est (6) inter frontem et linguam, ut in hac causa frons non comprimat linguam. »

duntaxat eosque suis nominibus appositisque distinctos, omnes vero occidentales adferret, quibus auctoritatem detrahere c. IV. prorsus nefas habet. Nihilominus c. V. ut omnem implesse justitiam censeretur, duos adjicit, quos quidem solos sufficientes esse adfirmat; attamen ut aditum præcluderet inanibus exceptionibus, diospolitanos licet Pelagii verbis illusos patres quatuordecim subdit atque n. 20. concludit : « Tu interim habes in conspectu non solum occidentis verum etiam orientis episcopos. »

(1) Ibid. c. V. n. 20.

(2) Sunt tantummodo plures.

(3) Sunt authentici testes et judices omnes et aliqui etiam summi ecclesiæ doctores.

(4) En diversitatem temporis, ad quam respeximus.

(5) Non exigit igitur Augustinus ad demonstrationem antiquitatis patres antiquissimos.

(6) His conferri ea debent, quæ disserit Aug. ib. l. III. c. XVII. n. 32. : « Quid si tot episcopos ex Africa nominassem, quot ex aliis orbis partibus nominavi? Aut quid, si in eis ipsis plures afri essent? Unus hinc est, ceteri aliunde, quorum ab oriente et occidente consensione confoderis : et tamen tanta obstinatione cæcaris, ut non videas, te potius velle corrumpere antiquum ecclesiæ decorem, id est, antiquam fidem, tanquam Sarræ aniculæ pulcherrimæ castitatem. Si enim per sanctos antistites Dei memorabilesque doctores, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Joannem, Innocentium et Hieronymum constupraverunt ecclesiam manichæi : dic mihi, Juliane, quæ te peperit? Utrum te casta, an vero meretrix in lucem, quam deseruisti, per uterum gratiæ spiritualis enixa est? An ut dogmata pelagiana defendas, conjugis Christi et matris tuæ viscera, instinctu nefarii, non erroris, sed furoris infamas? Usque adeo enim

Allatis ergo a se patribus idem tribuit Augustinus pretium, quod omnibus tribuendum docuimus. Neque aliter docent alii superius adducti sive doctores sive theologi. Quod quidem mirum nemini videbitur, qui

3) ipsam rei naturam expenderit. Etenim

3) Ex ipsa rei natura. a) Expenduntur posita patrum adjuncta.

a) si paulo considerentur penitius posita patrum adjuncta cum claritatis quoad scientiam et pietatem, characterem theologicum et juridicum, tum loci ac temporis ipsiusque numeri vel copiæ : probe adsequimur, fieri nullatenus posse, ut, quod hisce in adjunctis (1) a patribus adfirmatur, idipsum consensione omnium probatum non fuerit. Atque id eo vel minus fieri posse intelligetur,

b) Consideratur natura objecti, de quo agitur.

b) si consideretur natura objecti de quo agitur : huc enim faciunt Augustini (2) : « Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores salva fidei compage non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. » Et fieri id minime posse,

c) Animadvertitur hypothesis, deficere aliorum patrum reclamationem.

c) præsertim ex hypothesi liquet, qua ponitur, neminem ex aliis patribus esse, qui reclamarit. Ejusmodi namque reclamationis defectus, spectata (3) historia spectatoque fidei testium pastorum et doctorum (4) munere, respondet verissimæ consensioni. Si ergo pro doctrinæ quodam capite

contra vetustam pulchritudinem Sarræ non invenit quid novitia deformitas mentiatur, ut tot episcoporum gloriosorum catholicorum in tanta suarum sententiarum manifestatione consensum, in quibus sunt qui Manichæi nec nomen audierunt, manichæorum blasphemia criminetur. »

(1) In his enim adjunctis depellit a) communem errorem plurium doctrina insignium numerus, b) commune mendacium plurium pietate præstantium consensio.

(2) Cont. Julian. l. I. c. VI. n. 22.

(3) Historia testatur, reclamatum in ecclesia Dei fuisse, quoties aliquis a communi fidei sententia publice deflecteret : reclamatum contra gnosticos, chiliastas, origenianos, rebaptizantes, atque ita porro contra omnes, qui abnormem quandam plenamque aleæ doctrinam proferrent.

(4) Ad hoc reclamationis officium spectat Cyprianus ep. 64. et ep. 36., ubi hæc : « Omnes enim nos decet pro corpore totius ecclesiæ, cujus per varias provincias membra digesta sunt, excubare. » Ad hoc lirinensis com. I. n. 9. : « Annuntiare ergo aliquid christianis catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit; et anathematizare

militantes tot tantique, ut ait Augustinus, adferri patres queant : repeti jure potest, quod idem Augustinus (1) scripsit in adjunctis similibus : « His tot ac tantis molibus virorum sanctorum doctorumque vallatus, adhuc causam nostram putabis nullum assertorem de tanta multitudine invenire potuisse? An tantam consensionem sacerdotum catholicorum conspirationem dicturus es perditorum?... Itane tuum sic amabis errorem, in quem juvenili confidentia et humano lapsu incautius decidisti, ut ab istis catholicæ unitatis et veritatis sacerdotibus, ex diversis orbis terrarum partibus tanta inter se fidei concordia congruentibus, in tam magna causa, ubi christianæ religionis summa consistit, non solum dissentire, sed eos audeas manichæos insuper nuncupare? »

228. — Licet porro ex his circumscriptus valde jam sit patrum numerus sufficiens ad cognoscendum ex illis, quid antiquum traditumque divinitus ab Apostolis sit : non deest tamen ratio vel criterium ex sese certissimum, quo ex paucioribus etiam de omnium patrum suffragio adeoque de ipsa divina traditione, certiores reddi valemus. Etenim

228. An traditio ex paucioribus adhuc patribus certo cognosci possit?

THESIS XXX. *Idipsum tribuendum quoque esse constat, doctrinæ patrum, numero licet pauciorum, si iidem citra aliorum oppositionem certis in adjunctis tuto fidenterque suam pronuntiarint sententiam vel ad Majorum etiam traditionem provocarint.*

229. — DECLARATIO. Quod ad adjuncta pertinet, animadverti maxime debent

229. Declarantur adjuncta in thesi posita.

eos, qui annuntiant aliquid præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ quum ita sint, est ne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod apud ecclesiam annuntiatum est, annuntiet, vel tantæ levitatis, qui præter id, quod ab ecclesia accepit, accipiat? » Quibus gemina passim, maxime nn. 28. sqq. habet docetque, hæreticos nova inducentes, quando deprehendantur, pro custodia depositi antiqui a patribus condemnari. Scilicet tenentur, ut idem ait de unit. eccles. Cyprianus, episcopi in solidum, et tenetur supremus pastor in totum gregem; unde fit, ut tuta sit totius ecclesiæ una fides, et fideles tuti, qui particulares suos sequuntur pastores, qui sunt et manent in omnium communione et ea inprimis, quæ tenenda cum capite, unitatis principio ac centro. De quo cf. de unit. rom. II. I. II.

(1) Cont. Julian. l. I. c. VII. n. 34.

1) materia, quæ fidei sit sive dogmatica (1); tum

2) ratio et indoles operum vel disputationum, e quibus patrum sententia petitur, quæ tum est valde (2) accommodata, quum polemica sint;

3) ipsa operum, in quibus appellatur ad universalem ecclesiæ fidem, diffusa (3) notitia; et

4) defectus reclamationis, qui in his adjunctis historice ac juridice aliorum consensionem involvit.

230. Demonstratio.

230. — DEMONSTRATIO. Itaque illa simul si locum habeant, præstitutam regulam firmat

I. Ex ipsa rei spectata natura.

I. ipsa rei spectata natura. Fieri enim nequit (4), ut suffragio universali destituatur, quod nemine reclamante, licet a paucis, ubivis tamen in ecclesia Dei evulgetur, atque id in negotio curæ pastorum divinitus commisso; rursum fieri non poterit, ut pauci licet, tamen graves viri, docti et pii in facie totius ecclesiæ provocent alte atque fidenter, idque etiam in plenis contra hæreticos disputationibus (5) ad tra-

(1) Nihil enim frequentius apud patres quam hoc, quod de fidei suæ glorientur unitate, unitatem fidei omni genere argumentorum inculcent, unitatem fidei veluti præcipuum christianæ societatis characterem amplissimis efferant laudibus, illamque scindere conantes strenue increpent, refellant, atque anathemate feriant; e fidei ergo materia validissimum peti potest indicium, utrum aliquid ad certissimam apud Majores ecclesiæ doctrinam pertineat nec ne? Præpostere vero huc transferrentur, ut a quibusdam patrum osoribus fit, quæstiones a dogmaticis alienæ, puta de origine septuaginta viralis versionis. Habet rem præclare Georg. Scholar. or. 3. l. c. p. 533.

(2) In tali namque hypothesi non de opinionibus agitur impune vel retinendis vel rejiciendis, sed de veritatibus a nemine negandis et ab omnibus, ut par est, admittendis. Cf. allata superius Augustini verba ex op. c. Jul. l. I. c. VI. n. 22.

(3) Cum hac enim diffusione cohæret pervulgata rei, qua de agitur, notitia.

(4) Qui fieri potuisset, ut ecclesiæ doctores atque pastores in tuenda fidei unitate religiosissimi, in quibusvis erroribus propulsandis diligentissimi, in præcavendis scandali periculis vigilantissimi, silentio passi fuissent, ut sententiæ defenderentur fidei ecclesiæ universalis contrariæ? Sane quemadmodum hoc cum eorum munere componi nequit: ita ab historia nascentium hæresum omnino alienum est ac reprobatur.

(5) Quis verbi gratia non videt, vetustissimos patres in suis apologiis, quas ad refellendas ethnicorum criminationes calumniasque pro christianis edere cogebantur, non ecclesiæ cujusdam particularis instituta propugnasse privasque sibi sententias asseruisse, sed universæ religionis christianæ statuta defendisse totiusque societatis ab ethnicis acerrime impetitæ dogmata vindi-

ditionem doctrinamque christianæ fidei (1) velut ab omnibus receptam, nemine reclamante, tum cum consensio illa nullatenus obtineat.

231. — Hinc

II. Ex sentiendi agendique ratione Majorum.

II. sentiendi agendique ratio Majorum eandem regulam firmat. Sane non plurimos e veteribus ad antiquam fidem probandam in medium semper sive in conciliis sive a patribus seorsum prolatos fuisse, non pauca ex adductis eorum documentis ostendunt. Sed idipsum colligitur ex iis, quæ disputat Augustinus (2) non semel contra Julianum auctoritate innixus unius sancti nazianzeni Gregorii « cujus tantam dicit personam, ut neque ille hoc (quod de peccato originali ex eo Augustinus attulerat) nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, nec illi (episcopi orientales) eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ (3) veritatis agnoscerent ». Tum vero adjecto illi altero Cappadociæ lumine Basilio, concludit (4)

Modus disputandi adfertur Augustini contra Julianum.

casse? Poterit ergo vel ex uno alterove ejusmodi gravissimo scriptore plus semel de eo judicium ferri, quod ipsorum ætate in christiana societate obtinebat. Quod quidem illustrari ratione a contrario petita facile potest : Irenæus adv. hær. V. XXXIII. sqq. ut suam de chiliasmo sententiam tueretur, plane secus ad veterum provocavit traditionem, quam quum ibid. I. x. III. IV. et alibi antiquam revelationem defendit ; tum Cyprianus longe minus recise sententiam suam de iis rebaptizandis, qui a pravis abluti ministris fuissent, ep. 37. ad Jubaian., ep. 76. ad Magnum et in conc. carth. III. pronuntiat, quam quum de hæresi novatiana pertractat ; multoque aliter, ut concludamus, interroganti de fuga clericorum Honorato Augustinus ep. 228. al. 180. respondet, quam Fausto manichæo.

(1) Utrum agatur de re fidei an de solis privatorum opinionibus, innotescit, ut expositum est, tum ex substrata, quam vocant, materia, de qua aliunde quam ex revelatione constare non possit ; tum ex adhibitis a patribus verborum complexionibus iisque tam disertis quam æquipollentibus, quæ rursum et affirmantes et negantes vel excludentes esse possunt : negantes, quibus novitas, in partes discessio, sentiendi libertas negatur et excluditur ; affirmantes contra, quibus antiquitas, universitas atque tenendi credendique necessitas effertur, quibus tandem aliter sentientibus nota imprimitur atque communio cum iisdem rescissa declaratur.

(2) Cont. Jul. l. I. c. v. n. 16.

(3) Quod auctoritatis pondus Gregorio Augustinus asserit, idem vel ipse Beza in opusc. de unit. div. essent. vindicat Augustino : « Quis sano, inquit, homini persuaserit, aliter docuisse Augustinum de trinitate, quam africanas ecclesias : et istas rursus aliter, quam catholicus consensus ferret sensisse? »

(4) Ibid. n. 19.

diserte : « Quid hinc plura? Vide jam utrum sufficiant tibi ex orientis partibus duo isti tam insignes viri et tam clara præditi sanctitate, et, sicut fertur (1), etiam carne germani. Sed dic non sufficere. Habemus alios orientales episcopos quatuordecim, Eulogium, Joannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zoninum, Zobœnnum, Nymphidium, Chromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium, quos uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus; illos ipsos, qui Pelagio judices præsederunt (2), eumque ut homines, nullo ex altera parte urgente adversario putantes catholicum, tanquam catholicum pronuntiarunt. » Quibus allatis sic (3) Julianum ad incitas redigit : « Tu interim habes in conspectu non solum occidentis, verum etiam orientis episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures orientis invenimus. » Imo rursum paucioribus etiam post illos utitur, licet absolvens (4) librum primum propositum sibi esse significet, catholicorum episcoporum vi infringere inanes pelagianorum versutias. Sed quot catholicis episcopis utitur? Modo singulos seorsum, modo partim, modo simul acceptos Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium Juliano opponit (5), neque detrahere illis fidem fas esse contendit, neque alia ab iisdem alios pastores docere permittit. Est ergo doctore Augustino perspicuum, e paucis quoque, dummodo certæ verificentur conditiones, constare de omnium patrum consensione facile posse.

232. Ratio disserendi additur

232. — Atque hoc idem est, quod præclara oratione confirmat Georgius Scholarius coram florentinis patribus (6) ita

(1) Attamen Basilii frater quidem erat Gregorius nyssenus, nullatenus vero qui adlegatus erat nazianzenus.

(2) Diospoli 415.

(3) Ibid. n. 20.

(4) Ibid. c. IX. n. 46.

(5) Ibid. l. II. cc. VII. sqq.

(6) Ap. Hard. t. IX. p. 448. Ἀλλ' ὁρᾶτε πάντες, ὅτι Λατῖνοι τῆς ἑαυτῶν ὑπερηγωνίσαντο δόξης καλῶς· ὥστε μηδένα ἂν αὐτοῖς ἐγκαλεῖν ἔχειν, εἰ βούλοιτο δίκαιος εἶναι. Καὶ ὁ μὲν ὁ κοινὸς ἡμῶν διδάσκαλος καὶ δεσπότης ἐπὶ δυοῖν ἢ τριῶν μαρτύρων δεῖν ἵστασθαι πᾶν ῥῆμά φησι, καὶ ὁ πολιτικὸς νόμος οὕτω διαγορεύει· οἱ δὲ ἐκ τῶν κοινῶν διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας ἑξ

disserendo : « Sed videtis omnes, ut latini pro sua sententia egregie decertaverint, ut nemo illos possit, si velit æquus esse judex (1), reprehendere. Et communis quidem Magister ac Dominus noster oportere inquit in ore duorum vel trium stare omne verbum, et lex civilis ita præscribit. Illi vero ex communibus ecclesiæ doctoribus sex præstantissimos dignitate et doctrina susceptisque pro pietate laboribus, nam alios prætereo, sententiæ suæ testes protulere, quorum quisque tantumdem fide valere, quantum universi homines, censendus est; eosque non obiter et perfunctorie, sed ita distincte planeque locutos, ac si controversiæ nostræ sedissent judices; et apertis verbis exprimentes, quod quæritur; adjectis etiam causis, uti doctores decebat, et citatis sacræ scripturæ locis, ex quibus sententiam hanc necessario sumpserunt, et collectis per illa variis rationibus. Quos sane doctores, quum tot tantique sint, et adeo perspicue sententiam hanc doceant, nec si velimus, impudenter adversos contueri possumus. Alios præterea ex communibus doctoribus produxere, orientales, inquam, pari doctrina et dignitate præditos; non ut illi quidem adeo clare, idem tamen et ipsos quod et illi asserentes, si quis velit dicta eorum cum veritate pariter et scientia perpendere. »

Georgii scholarii coram florentinis patribus.

233. — Quibus ad rem disertiora nequeunt desiderari, nisi forte, quæ ab illis sejungi non debent, disertiora magis-

233. Huic jungitur disputatio

τοὺς μεγίστους ἀξιώματι καὶ σοφίᾳ καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀγῶσι, τοὺς γὰρ ἄλλους παρίημι, μάρτυρας τῆς ἑαυτῶν δόξης παρήγαγον· ὧν ἕκαστον δεῖ τῶν ἐν τῷ κόσμῳ πάντων ἀνθρώπων κρίνειν ἀντάξιον· κἀκείνους οὐχ ἁπλῶς οὕτως οὐδὲ παρέργως, ἀλλ' ὥσπερ εἰ δικασταί τινες ἦσαν ἡμῖν τῆς παρούσης ἀμφιβολίας, οὕτω διαλεγομένους διωρισμένως τε καὶ σαφῶς· καὶ αὐταῖς μὲν λέξεσι λέγοντας τὸ ζητούμενον, προστιθέντας δὲ καὶ τὰς αἰτίας, καθὰ διδασκάλοις προσῆκε, καὶ τὰ μέρη τῆς θείας γραφῆς, ἐξ ὧν τὴν δόξαν ταύτην ἀναγκαίως ἔχουσιν εἰληφότες καθ' ἅπερ ἄλλας ἐξ ἄλλων μερῶν συνελέξαντο. Πρὸς οὓς διδασκάλους τοσούτους τε ὄντας καὶ τηλικούτους, καὶ οὕτω σαφῶς τὴν δόξαν ταύτην εἰσάγοντας, οὐδ' ἂν βουληθέντες ἔχοιμεν ἀναισχυντεῖν. Πρὸς τούτοις ἄλλους ἐκ τῶν κοινῶν διδασκάλων παρήγαγον, τοὺς ἐξ ἀνατολῆς λέγω ἴσῃ σοφίᾳ καὶ ἀξιώματι κεκοσμημένους, οὐχ οὕτω μὲν διαῤῥήδην ὥσπερ ἐκεῖνοι, λέγοντας δ' ὅμως καὶ αὐτοὺς τοῖς ἄλλοις ταυτὰ, εἴ τις μετ' ἀληθείας καὶ σοφίας ὁμοῦ τὰς ἐκείνων ἐξετάζειν βούλοιτο ῥήσεις.

(1) His ea adprobat, quæ superius stabilivimus de occidentalium consensione.

Bessarionis in eodem concilio.

que ad vivum expressa ea censueris, quæ in eodem rursum florentino concilio disputavit Bessarion (1), qui ad probandam Spiritus sancti a Filio processionem disertis græcorum patrum sententiis, quibus iidem præpositione, ἐξ, uterentur, omissis tribus, Athanasio, Basilio, Gregorio nysseno, de quorum testimoniis dubia mota fuerant, satis esse existimavit, adduxisse duos, Cyrillum et Epiphanium : « Cyrillum autem duntaxat et Epiphanium producendum duxi, qui ceteris apertius et magis ubique operum suorum præpositione, Ex, usi sunt : quorum quanta qualisque auctoritas in ecclesia Dei sit, certaminaque eorum contra infideles et hæreses, nemo est quem lateat. »

234.S. Leo.

234. — Quæ omnia coronet hæc sancti Leonis (2) sententia : « Quæ (rebellis imperitia) si de nostra putat ambigendum esse doctrina, saltem beatæ memoriæ Athanasii, Theophili et Cyrilli Alexandriæ sacerdotum scripta non renuat; cum quibus ita fidei nostræ forma concordat, ut in nullo a nobis discrepet, qui se illis consentire profitetur. »

235. — Atque id tandem est, quod

III. Ex universali apud theologos usu.

III. universalis apud theologos usus stabilivit, qui ad veterum præbendam traditionem non plurimos semper, sed paucos, illustres tamen, ecclesiæ doctores attulisse abunde habent. Usus porro hic innititur theoreticæ, quam præstituimus, sententiæ eamque supponit. Ea ergo tam ex mente synodorum quam patrum atque scholæ doctorum vera ostenditur.

236. Quæstio proponitur de patrum dissensibus.

236. — Bene, inquiunt, est, sed quis nescit, quot quantæque non de ἀδιαφόροις, verum de gravissimis fidei capitibus discordiæ ac dissensiones apud patres doctoresque ecclesiæ passim occurrant? Impedita ergo est et difficultatibus obsita via illa regia patrum, nec explorata antiquæ ecclesiæ dog-

(1) Or. dogmat. c. VII. ap. Hard. t. IX. p. 356. Προχειριστέον δὲ μόνους Κύριλλόν τε καὶ Ἐπιφάνιον, σαφέστερόν τε τῶν ἄλλων καὶ μᾶλλον διὰ πάντων τῶν πονηθέντων αὐτοῖς λόγων αὐτῇ τῇ, ἐκ, χρησαμένους· ὧν τὸ ἀξίωμα ὅσον ἐν ἐκκλησίᾳ Θεοῦ, καὶ οἱ ὑπὲρ αὐτῆς κατὰ τῶν ἀπίστων ἀγῶνες καὶ τῶν αἱρέσεων, οὐδένα λελήθασιν.

(2) Ad Julianum ep. coensem ep. 117. al. 88. cap. III. ed. Mign. tom. I. col. 1038., coll. ep. 129, al. 103. ibid. col. 1075.

mata præbet, sed interna potius privatorum inter se dissidia ostendit. Verum hæc, quæ absque ulla erga patrum doctrinam pietatemque reverentia proferuntur, pugnant cum instituta divinitus pastorum doctorumque œconomia, de qua diximus (1), atque adeo pugnant cum declarato superius (2) hierarchico, theologico, juridico atque formali patrum charactere, et pugnant cum monumentis patrum atque historia dogmatum. Quum tamen conspiratio Majorum non illico omnibus, neque semper appareat, et aliquando etiam accidere potuerit, quod accidisse reapse constat, ut obvia omnium in unum consensio desideretur : hinc abs re haud fuerit ad tuendam patrum venerandam auctoritatem, sequentia ob oculos exposuisse.

THESIS XXXI. *Quemadmodum improbari omnino debent, qui facile patrum dissensus comminiscuntur : ita si forte aliquando contigerit, ut iidem in diversa concesserint, tenendum est, tum colligi certo posse, per quos veluti sinceros canales divina traditio ad nos usque defluxerit, quum constiterit :* 1. *de consensu præcedente;* 2. *insecuti dissensus rationes aliunde quam ex Majorum traditione fuisse depromptas;* 3. *dissentientibus illico repugnatum fuisse;* 4. *dissensione in dies deficiente prævaluisse rursum antecedentem consensionem; et* 5. *denique peremptorio judicio dissensum fuisse sublatum.*

237. — DEMONSTRATIO. Et re quidem vera

237. Demonstratio. I. Improbandi qui patrum dissensus facile opponunt.

I. quod ad facilitatem, qua patrum dissensus opponuntur, attinet : improbari profecto illud debet, quod

1) improbarunt synodi, patres et doctissimi quique; quod

2) ab illorum charactere abhorret, de quibus agitur; quod

3) paulo pressum vehementius ipsam pervertit tuendæ fidei rationem; quodque

4) nonnisi hæreticis placuisse novimus. Sed tale aliquid est affirmatio dissensus, qui facile ac leviter inter patres admittitur. Etenim

(1) Cf. dicta de testibus atque traditionis præsidiis.

(2) Quæ insigni oratione declarat et explicat Georgius Scholar. or. 3. habita in flor. syn. ap. Harduin. t. IX. pp. 533 sqq.

1) Eos improbarunt synodi, patres et doctissimi quique.

1) nihil fuit antiquius synodis (1) quam ad patrum consensionem semet constanter recipere eamque adeo jugiter supponere; nihil antiquius patribus (2) singillatim disputan-

(1) Id constat iis omnibus, quæ de patribus ex synodis petita in medium superius adduximus; tum iis nominatim constat, quæ leguntur in synodo V. collatt. III. et V., in synodo VI. actt. x. et xvm. apud Harduin. t. III., in aquisgran. sub Paschali I. et Ludovico imp. ibid. t. IV., atque florentina in decreto unionis ibid. t. IX. Sed nihil hac de re illustrius desiderari potest, quam quod in florent. conc. disputarunt Bessarion or. dogmat. c. II. probans necesse esse sanctos doctores tum orientales tum occidentales invicem esse concordes, et Georg. Scholar. in sua adhortatione de pace ap. Hard. t. IX. pp. 326-448.

(2) Huc præter allata superius pertinent plura Hilarii de synodis adv. arianos, Luciferi caralit. apologet. pro S. Athanas. ap. Hieron. de scriptt. ecclesiast., Cassiani de incarn. cont. Nestor. l. VII. vers. fin., ubi præclare hæresiarcham ita adloquitur : « Tu, o impiissime atque impudentissime præclaræ urbis contaminator, catholicæ et sanctæ plebis exitiosa contagio, stare in ecclesia Dei ac loqui audes? Et blasphemis ac furiosis vocibus tuis sacerdotes semper illæsæ fidei et catholicæ confessionis infamas, magistrorum priorum vitio plebem constantinopolitanæ urbis errare? Tu ergo emendator priorum antistitum, tu condemnator veterum sacerdotum, tu Gregorio excellentior, tu Nectario probatior, tu Joanne præstantior omnibusque orientalium urbium sacerdotibus, qui etsi non ejusdem nominis, cujus hi, quos vocavi, ejusdem tamen fidei fuerunt. » Huc antiqui scriptoris hom. de pseudo-prophet. int. opp. Chrysost. tom. VI. Huc Cyrilli al. ex ep. ad synod. antioch. ep. 67. al. 51. opp. ed. Migne tom. X. col. 336. : Διαβεβλημένας δὲ δόξας, Διοδώρου τε, φημὶ, καὶ Θεωδώρου... μηδεὶς ἐπιφημιζέτο τοῖς ἁγίοις καὶ ὀρθοδόξοις ἡμῶν πατράσιν, Ἀθανασίῳ τε, φημὶ, καὶ Βασιλείῳ, Γρηγορίῳ τε καὶ Θεοφίλῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς· μὴ ἄρα πως σκανδάλου πρόφασις τὸ χρῆμα γένηταί τισιν, οἰηθεῖσι κατ' ἀλήθειαν οὕτω φρονῆσαι καὶ διδάξαι τοὺς ἁπάσης ὀρθότητος ἐπιμελητάς : « Infames autem opiniones, Diodori, inquam, et Theodori et aliorum quorundam, quos satius est non laudare, ne quid gravius dicam, propterea quod plenis prope velis adversus Christi gloriam feruntur, nemo, quæso, sanctis orthodoxisque patribus nostris, Athanasio, inquam, Basilio, Gregorio, Theophilo et reliquis tribuat, ne quo pacto res hæc nonnullis scandali fiat occasio, existimantibus revera ita sensisse et docuisse viros totius rectæ fidei custodes » : et ad Acac. melit. ep. 69. al. 52. l. c. coll. 340. : Ἐγὼ δὲ ταῦτα γραφόντων (orientalium de consensu Athanasii, Basilii, Gregorii cum Theodoro) οὐκ ἠνεσχόμεν, ἀλλ' ἔφην ἐν παῤῥησίᾳ, ὅτι Θεόδωρος μὲν δύσφημον ἔσχε καὶ γλῶσσαν καὶ κάλαμον ὑπηρετοῦντα ταύτῃ· οἱ δὲ γεγόνασιν ὀρθοδοξίας πάσης διδάσκαλοι καὶ διέπρεψαν ἐν τούτοις : « Ego vero scribentes ista non sustinui, sed fiducialiter dixi, quod Theodorus quidem blasphemam habuit linguam et calamum ministrantem ei : illi autem fuerunt totius orthodoxiæ doctores, et splenduerunt in ea. » Huc Theodoreti in dial. III. de impat. ed. Schulz pp. 230. 254. sq.; atque huc celeberrimum illud, quod aliquando sub Alexio Comneno contigit Constantinopoli dissidium inter eruditos, quis ss. patrum Basilii, Gregorii et Chrysostomi primas referret; unde alii basilitæ, gregoritæ

tibus fuit, quam omnes ex æquo Majores revereri, illorumque concordiam celebrare atque defendere; et nihil doctissimis (1) quibusque viris antiquius fuit, quam ut dissidia, si quæ forte exsistere viderentur, quam aptissime conciliare studerent. Hoc sane munus sibi impositum semper censuere theologi, atque de eo munere gravissime disputarunt beatus Thomas (2), nicænus præsul Bessarion (3), Georgius Scholarius (4), du Perronius (5), Bossuetus (6), Habertus (7), aliique plurimi secundum illos, eorumque vestigia relegentes. Præterea

2) ad declaratum patrum characterem ceu totidem tesseræ (8) spectant, ut magna eorum pars fuerint authentici testes, qui proinde fixum habuere, id a se esse fideliter referendum (9), quod acceperunt; ut nobilissimis gratiæ naturæque donis excelluerint atque divinitus plane fuerint dispensati (10) ac dati, ut post Apostolos sua luce suaque doctrina (11) mundum illuminarent. Sed hæc simul talia sunt,

2) Iidem im probandi spectato patrum chara ctere.

alii et alii joannitæ vocabantur. Quæ quidem insana studia ut compescerentur, probatæ sanctitatis antistes monachorum auctor fuit, ut visioni ad quam appellabat adhibita fide, trium illorum patrum dicentium, ἓν ἔσμεν παρὰ τῷ Θεῷ, una institueretur solemnitas, quæ mense januario die 30. in græco menologio habetur.

(1) De hac cura plura sapienter docuit Georg. Schol. in flor. conc. or. 3. l. c. pp. 520. sqq.

(2) In opusculo ad Urbanum IV.

(3) In sæpius laudata orat. dogmat. c. III. « Quod quamvis nulla omnino sit in patrum dictis contradictio, si tamen aliquid tale saltem apparenter esset, nos oporteret conari concordare tanquam summe necessarium fidei nostræ : et hoc adstruitur per exempla. »

(4) Or. 3. coram florent. concil. habita.

(5) Respons. data regi Brit. opp. t. III.

(6) Défense de la Tradit. et des SS. Pères, l. s. c.

(7) Doctrina græc. pat. de grat. cc. I. II.

(8) Videsis præstituta sup.

(9) Id superiora probant, tum hæc Leonis verba : « Nunquam viros sanctissimos timore Dei plenos ausos fuisse depositum fidei sibi creditum immutare, adulterare, corrumpere : » a quibus ceteri pontifices non recessere, non Martin. I. ep. synod. ad omnes fideles, non Agatho ep. lecta in conc. constant. III. act. IV., non Hadrian. ep. ad episcop. Hispan. cont. Elipand.

(10) De his videsis Georg. Scholar. or. 3. l. c. p. 536.

(11) Huc faciunt quæ egregie scribit antiquus auctor hom. de pseudo-prophetis inter opp. Chrysost. opp. tom. VI. ed. Mign. t. VIII. gr. pp. t. LIX. coll. 560. sq. Ποῦ εἰσι τὰ ἐλέη σου τὰ ἀρχαῖα, Κύριε; Εἶπω γὰρ κἀγὼ ἐν

quæ non ferant, ut illi circa fidei capita in varia, id est, in errores declinasse facile dicantur. Neque pluribus opus est ut intelligatur,

ὀάκρυσι. Ποῦ ἐστιν ὁ μακάριος χορὸς ἐκεῖνος τῶν ἐπισκόπων καὶ διδασκάλων, οἵτινες ἔλαμψαν ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ, λόγον ζωῆς ἐπεχόντες; Τί δὲ κωλύει, καὶ εἰς μέσον τούτους παραγαγεῖν, κἂν ἐπὶ πολλῶν ὀλίγους; καὶ γὰρ τὸ μνημονεῦσαι αὐτοὺς ἁγιασμός ἐστι τῆς ψυχῆς. Ποῦ Εὐόδιος ἡ εὐωδία τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διάδοχος καὶ μιμητής; Ποῦ Ἰγνάτιος τὸ τοῦ Θεοῦ οἰκητήριον; Ποῦ ὁ Διονύσιος τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ; Ποῦ Ἱππόλυτος ὁ γλυκύτατος καὶ εὐνούστατος; Πού Βασίλειος ὁ μέγας καὶ μικροῦ δεῖν τῶν Ἀποστόλων ἰσόῤῥοπος; Ποῦ Ἀθανάσιος ὁ ἅγιος καὶ πλεονέκτης τῶν ἀρετῶν; Ποῦ Γρηγόριος ὁ δεύτερος θεολόγος, καὶ ἀήττητος στρατιώτης τοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ τούτου συνώνυμος; Ποῦ Ἐφραὶμ ὁ πολὺς, ἡ παραμυθία τῶν ἀθυμούντων, ἡ παιδαγωγία τῶν νέων, ἡ χειραγωγία τῶν μετανοούντων, ἡ κατὰ τῶν αἱρετικῶν ῥομφαία, τὸ δοχεῖον τοῦ Πνεύματος, τὸ σκεῦος τῶν ἀρετῶν;... Οἶδα καὶ ἄλλους θεοφόρους διδασκάλους, ἀλλὰ ἀρκεῖ πρὸς τὸ παρὸν τέως : « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine (Ps. LXXXVIII. 50)? Dicam enim et ego cum lacrymis : Ubi est beatus ille chorus episcoporum et doctorum, qui instar luminarium in mundo fulserunt verbo vitæ instructi? Quid autem vetat, quominus illos in medium adducam, saltem ex multis paucos? Nam vel ipsos commemorare sanctitatem adfert animæ. Ubi est Evodius, bonus odor ecclesiæ atque Apostolorum successor et imitator? Ubi Ignatius, Dei habitaculum? Ubi Dionysius, volucris cœli? Ubi Hippolytus, dulcissimus et benignissimus? Ubi Basilius, magnus et pæne par Apostolis? Ubi Athanasius ille sanctus et virtutibus opulentus? Ubi Gregorius, alter theologus (scilicet, post Joannem Apostolum, qui est primus secundum græcos theologus), invictus Christi miles, ejusque cognominis? Ubi Ephræm ille ingens, afflictorum consolatio, juvenum pædagogus, pœnitentium ductor, contra hæreticos gladius, Spiritus receptaculum, vas virtutum?... Novi et alios quoque divinos doctores : sed hi jam satis sint. » Cf. rursum quæ disputat Bessarion l. c. p. 326. : « Quum Spiritus s. in illis loquatur, ait, necesse est, eos sibi invicem consentanea dicere : et ratio cogit fateri nihil ab illis dictum esse, quod invicem repugnet, ne minimis quidem in rebus. » Tum hæc Theodoreti dial. III. Impatibilis ed. Mign. gr. pp. t. LXXXIII. col. 281. sqq. : Ἀλλὰ τοὺς τοιούσδε λόγους, καὶ μὴν δὴ καὶ τοὺς τούτων πατέρας, τῶν ἱερῶν οἱ πανεύφημοι πατέρες ἐξελαύνουσι περιβόλων, καὶ ὡς σεσηπότα μέλη τοῦ ὑγιαίνοντος ἀποκόπτουσι σώματος. Οὗ δὴ χάριν σε παρακαλοῦμεν δεῖσαι τὴν τιμωρίαν, καὶ μισῆσαι τὴν βλασφημίαν. Δείξω δέ σοι καὶ ἐν ἰδίοις συγγράμμασι ταῦτα τοὺς ἁγίους πατέρας πεφρονηκότας ἃ διεξέλθωμεν· ὧν ἔνιοι μὲν τῆς θαυμασίας ἐκείνης ὁμηγύρεως ἐκοινώνησαν, τινὲς δὲ μετ' ἐκείνους ἐν ταῖς ἐκκλησίαις διέπρεψαν, τινὲς δὲ πάλαι καὶ πρόπαλαι τὴν οἰκουμένην ἐφώτισαν. Ἀλλ' οὔτε τὸ διάφορον τῶν καιρῶν, οὔτε τὸ ἑτερόγλωττον τῶν φωνῶν, τὴν συμφωνίαν ἐπήμανεν, ἀλλ' ἐοίκασι λύρᾳ, πολλὰς μὲν ἐχούσῃ καὶ διαφόρους χορδὰς, μίαν δὲ ἠχὴν παναρμόνιον ἀφιείσῃ : « Sed tales sermones et horum auctores laudatissimi patres ex sacris septis exterminant et tanquam putrida membra a sano corpore resecant. Quamobrem hortamur te, ut pœnam metuas et blasphemiam detesteris. Ostendam autem tibi sanctos patres hæc ipsa, quæ a nobis exponenda sint, in scriptis suis sensisse. Quorum nonnulli admirando

3) urgeri vehementius ejusmodi commentum non posse, quin patribus sua detrahatur auctoritas, qua detracta ratio ipsa probandæ fidei (1) periclitatur. Hinc testatissimum ex historia est,

3) Iidem rationi fidei probandæ detrahunt.

4) ab hæreticis non minus impugnatam fuisse fidei sinceritatem (2) quam patrum concordiam; orthodoxorum e illi concilio interfuerunt, alii post eos in ecclesiis floruerunt, quidam etiam multo ante orbem terrarum olim illustraverunt. Sed neque temporum discrimen, neque linguarum diversitas consonantiam turbavit; sed lyræ similes videntur, quæ multas quidem et diversas chordas habet, unum autem sonorum concentum efficit. » Et reponente Eraniste, utilissimam et certissimam esse illorum doctrinam, subdit Theodoretus : Ἀναπέτασον τοίνυν τὰς ἀκοὰς, καὶ τῶν πνευματικῶν κρουνῶν ὑποδέχου τὰ νάματα : « Fac igitur pateant aures, et spiritualium fontium fluenta excipe. » A quibus nullatenus latini discordant : huc enim faciunt Fulgentii ruspens. de verit. prædest. et grat. I. 33. « Sanctos patres præveniente misericordia Dei gratis illuminatos. ut crederent, et sequente instructos spiritaliter, ut docerent » : huc Hieron. com. in ep. ad Galat. c. I. 11. sq. Aug. cont. Jul. I. xx. II. xxxiv.

4) Ratio agendi illorum solis hæreticis placuit.

(1) Scite Hilar. de synod. adv. Arian. ad fin. : « Cogitemus tot sacerdotes sanctos et quiescentes. Quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur a nobis?... Pium est quod volumus. Ne damnemus patres, ne animemus hæreticos; ne dum hæresim apellimus, nutriamus. » Quibus consentit Bessar. l. c. et Georg. Scholar. or. I. ap. Hard. I. c. p. 449. Οὔτε γὰρ ἀρνήσασθαι τοὺς διδασκάλους ἔξεστιν, οἷς καὶ πρέσβεσι πρὸς Θεὸν ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων εἰώθαμεν χρῆσθαι, καὶ οἷς τὸ κοινὸν τῆς ἐκκλησίας μεγίστας τῶν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀγώνων καὶ τῶν ἐν τῷ διδάσκειν πόνων ἀπένειμε χάριτας, ἄνευ τῆς ἄλλης ἀγιωσύνης, ἧς ἕνεκα ταῖς δευτέραις μετὰ Θεὸν αὐτοὺς τιμῶμεν τιμαῖς· οὐτ' ἐροῦμεν ἀντιφάσκειν τοὺς διδασκάλους ἀλλήλοις· τοῦτο γὰρ πάντα συγχέειν ἐστὶ, καὶ τὴν πίστιν πάσαν ἀρνεῖσθαι : « Neque enim aut doctores negare licet, quibus etiam deprecatoribus ad Deum pro peccatis nostris uti solemus, et quibus universa ecclesia pro certaminibus ob veritatem susceptis et laboribus in docendo quam maximam retulit gratiam, ut omittam alias sanctitatis partes, propter quas illos secundum Deum honoramus. Neque dicemus doctores inter se pugnare : hoc enim est omnia confundere ac totam abnegare fidem. » Quibus simillima repetit or. 3. pp. 546. sqq.

(2) Ita rem esse, quæ adduximus plurima ostendunt; atque ita Vinc. lir. com. I. n. 11., Facund. hermian. l. VI. v. et XI. vi. 3.; ita rursum cum Georgio Scholar. orat. 3. p. 527. loc. cit. Bessarion orat. dogmat. cap. II. coll. 325. Οὐ μὴν ἀλλ' εἴ τις καὶ ἑαυτοῖς ἢ ἀλλήλοις ἐσθ' ὅτε τοὺς πατέρας ἐναντιουμένους τολμήσειε φάναι, ὥρα λοιπὸν αὐτῷ μετὰ τῶν ἀπίστων ταχθῆναι καὶ τῶν ἐχθρῶν τοῦ σταυροῦ· οἷς ἔργον ἐντεῦθεν τὰ ἡμέτερα ἐπιχειρεῖν ὑποσαλεύειν μυστήρια, τεκμήριον τῆς τοῦ κηρύγματος ἀσθενείας, πλάττουσιν ἐναντιοφανείας τινὰς τῆς θείας γραφῆς, πλὴν αὐτῶν οὐδενὶ ἑτέρῳ δοκούσας· καθ' ὧν πᾶς διδάσκαλος ἵσταται, καὶ ἀγωνίζονται πάντες συκοφαντοῦντας ἐκείνους τὴν ἀλήθειαν δεῖξαι, συμβαίνουσαν ἑαυτῇ τὴν θείαν ἀποδεικνῦντες διὰ πάντων γραφήν. « Et si quis forte sit, qui sanctos patres et doctores nostros contraria invicem dixisse existimet, eum profecto cum infi-

contrario semper fuisse, cum unitate fidei harmoniam concentumque veterum ecclesiæ doctorum (1) tueri atque defendere.

238. — At vero

II. Statuuntur criteria ad veram traditionem cognoscendam in hypothesi dissensionis patrum.

II. si historiam dogmatum consulamus, nullum esse dubium potest, aliquando contigisse, ut in certis quibusdam doctrinæ capitibus nonnulla unius alteriusve patris a communi aliorum judicio vel ecclesiastici scriptoris sentiendi differentia seu discrepantia exstiterit. Specimina (2) ejusmodi ex historia dogmatum explorata omnibus sunt. Quod si porro locum illud habuerit, tum enimvero quæstio est, a qua patrum parte sit veritas? Atqui

1) Criterium primum.

1) dubitare nullus de genuinis canalibus potest, quando constet quænam sententia auctoritate innitatur patrum vetustiorum (3), vel quando præcedens Majorum consensus compertus sit. Id enim auctore Tertulliano (4) verius, quod

delibus et crucis hostibus connumerari fas est, qui hinc arguere fidem nostram consueverunt, contrarietates quasdam et contradictiones sacrarum litterarum inter se fingentes : quas tamen nemo præter ipsos tales existimat; contra quos quilibet doctor disputat eosque calumniatores esse veritatis arguit, consentaneam sibi ubique sacram scripturam esse asseverans. » Eandem porro doctorum patrumque consensionem Bessarion probat a) e gentilium et hæreticorum discordiis, quibus unitas ecclesiæ Dei opponitur; b) ex traditionali charactere patrum, qui Majorum auctoritate non syllogismis pugnant; c) ex ruina fidei, quæ pararetur, si patrum dissensus admitteretur; d) ex ep. Joannis syri ad Jordanem, ex Tarasii patrumque VII. concilii sententia de ss. patrum concordia; e) ex infidelium calumniis, quibus patres dissensionum arguere student; f) ex communi ecclesiæ persuasione, qua patrum doctrina instar fidei regulæ ac normæ constanter habebatur. Hæc du Perron, Habert atque Bossuet ll. cc. disputationibus suis confirmant.

(1) « Qui periculosissimum omnium schisma moliuntur inter ipsos nimirum ecclesiæ patres sanctos, qui eundem Christi sensum habuere, ut cum divo loquar Apostolo, nihil habent antiquius quam ut græcis latinos, latinis græcos adeoque universis unum anteponant et ambitioso verborum apparatu velut curru triumphali invectum ceterorum jacentium cervicibus calcatis imponant. Talem consuetudinem ecclesia Christi non habet. Absit, dicebat olim Tertullianus, ut Apostolos inter se committam : nos eodem modo absit ut patres inter se committamus. » Ita Habert l. c. c. II. n. 1.

(2) Cf. comment. de immac. Virg. conc. vol. III. sect. VIII. n. 1801. Præ ceteris huc faciunt quæstiones de baptismo hæreticorum ætate s. Cypriani, deque libris, quos deutero-canonicos appellant.

(3) De his videsis Thomassin. tom. III. c. XXIV.

(4) Cont. Marcion. l. IV. c. v. col. de præscriptt. c. XXXI. coll. Vincent. lir. com. n. 32.

prius; illud dominicum et verum, quod prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. Quo spectant, quæ de antiquitatis nota suo loco (1) præstituta sunt. Rursum

2) Criterium alterum.

2) tum facile constat de patrum classe, pro qua militat veritas, quum innotescat, insecutæ dissensionis rationes non fuisse ab auctoritate præcedente desumptas, sed aliunde petitas (2). Tum enimvero apparet, spretis illis tenendam esse sententiam antiquitatis auctoritate innixam. Præterea

3) Criterium tertium.

3) ambigi de vera traditionis sententia nequit, si compertum sit, dissentientibus illico fuisse (3) repugnatum : hoc enim indicio est, ab antiquitate adeoque a veritate illos deviasse. Iterum

4) Criterium quartum.

4) quum testium conspiratio quavis ætate sit veritatis præsidium, nemini amplius dubitandi locus relinquitur, ubi cessante discordia unitas ac consensio reflorescat. Tandem

5) Criterium quintum.

5) idem pariter obtinet, imo solemnius etiam declaratur, quum dissensioni peremptorio præsulum (4) judicio terminus imponitur.

239. Corollarium I.

239. — COROLLARIUM I. Ex præmissis non ægre intelligi-

(1) Cf. explicata superius.

(2) Ita, si qui veteres de uno alterove libro deutero-canonico dubitaverint ex rationibus internis sive styli sive doctrinæ, retinenda veterum de inspiratione libri traditio.

(3) De qua celeri reprobatione Augustinus ad Januarium ep. 55. al. 119. ed. Mign. tom. II, cap. XIX. n. 35. coll. 221, sq. : « Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit. » Et cont. donatist. l. V. XXVIII : « Regulam fidei diligenter inquisitam firmissime tenent, et si quid ab ea deviant, cito auctoritate catholica corriguntur, quamvis in ejus verbis pro sensu carnali variis adhuc phantasmatum concursibus fluctuent. » Quæ conferri debent cum iis, quæ scribit l. VI. II. et cont. 2. epp. Pelagii l. IV. c. XII. : « Paucas esse hæreses, propter quas damnandas necessitas synodalis congregationis exstiterit, et incomparabiliter plures esse, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt. » Quibus cf. Leonis M. epp. s. cc.

(4) Huc post alia recentissima de immaculatis Deiparæ originibus definitio spectat, quæque nunc in vaticano œcumenico concilio de prærogativis romani pontificis sancita sunt. Ad rem sunt quæ scribit Iirinens. Vincentius common. II. n. 29. et I. nn 20. sqq.

ubi de discrimine, quod faciunt inter patres uti testes et uti doctores

tur, quid existimandum sit de discrimine, quod faciunt (1) inter patres uti testes et uti doctores, vel inter dogmata, quæ ab illis referuntur, et ratiocinationes, quæ ab iisdem instituuntur. Scilicet, nihil ex probatis huc usque falsius, si illud ita accipiatur (quemadmodum a novatoribus multis reapse accipitur), ac si patres suo charactere plene spectato testes rei revelatæ tantum, non vero authentici doctores vel etiam judices essent; quasi historice duntaxat veritates ad posteritatem transmisissent, non vero etiam juridice earum sensum explicassent et pro adjunctis definiissent; quasi nudum duntaxat medium essent purumve instrumentum, non vero organum vivum præsidiumque pro sua ætate, de quorum doctrina etiamnum ex eorum monumentis sive infallibiliter per ecclesiæ magisterium, sive certo in theologia possit constare. Sunt enim patres id omne, quod primo distinctionis membro continetur, verum iidem sunt itidem omne id, quod continetur membro altero. Transmittunt igitur illi quidem dogmata ac veritates revelatas, sed easdem suis ratiocinationibus, hoc est, declarationibus, interpretationibus quoque docent, determinando earum sententias, vel suo illas judicio etiam figunt, decidendo circa earum intelligentiam lites quæstionesve. Quod si vero ita distinctio illa accipiatur, ut patribus fiat testium nomen, quatenus iidem, quid ecclesia crederet doceretque, posteritati reliquerunt; doctorum vero appellatio, quatenus significarunt, quid sibi privatim visum esset : tum enimvero distinctio neque spectata sententia exactissima est, ut ex præmissis patet, neque spectata phrasi est aptissima, quum in hac hypothesi, uti apud auctores fieri solet, patres vocandi essent satius vel doctores publici vel doctores privati. Sed huc faciunt, quæ præterea ex dictis colliguntur.

240. Corollarium II. Quid censendum de sententia alius

240. — COROLLARIUM II. Ex statutis porro colligi absque difficultate potest, quid censendum de sententia unius alteriusve scriptoris antiqui ab aliorum doctrina discedentis.

(1) Vide Thomam alethinum in adnott. ad Petavii opus de theolog. dogmat. prolegom. c. II. n, 10. ed. rom. vol. I. p. 12.

Scilicet censendum, quod Thomas waldensis (1) proposito canone statuit : « Si quid quisquam patrum per se solum in aliqua re opinando decrevit, illo dimisso solum hoc adstruam, quod major pars patrum a tempore Apostolorum successive ad nos usque sensit et tradidit : a qua professione nullus sub pœna perfidiæ potest declinare fidelis. » Hinc damnata fuit ab Alexandro VIII. (2) inter triginta et unam propositio trigesima : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam. » Tenendum enim sapientissimum Vincentii lirinensis (3) judicium : « Illum esse verum et germanum catholicum, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed hæc cuncta despiciens et in fide fixus, stabilis, permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab aliquo deinceps uno præter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subindici senserit, id non ad religionem sed ad tentationem potius intelligit pertinere, tum præcipue beati Apostoli Pauli eruditus eloquiis; hoc est enim quod in prima ad Corinthios epistola (4) scribit : « Oportet, inquit, et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis : » ac si diceret, ob hoc hæreseon non statim divinitus eradicantur auctores, ut probati manifesti fiant, id est, ut unusquisque, quam tenax et fidelis et fixus catholicæ fidei sit amator appareat. »

cujus patris singulari?

241. — COROLLARIUM III. Colligitur præterea, quænam insit singulis seorsum patribus auctoritas : de quo egregie Augustinus (5), qui illis

241. Corollarium III. Quænam insit singulis seorsum patribus auctoritas?

(1) In princip. doctr. fid. coll. Melchior. Can. de locis theolog. l. VII.
(2) An. 1690. d. 7. decemb. ap. H. Denzing. l. I. n. 1187.
(3) Common. I. n. 20. et rursum n. 28.
(4) I. Cor. XI.
(5) Ad Paulin. epist. 3., ad Hieronymum epist. 19., de baptismo cont. donat. II. III. IV., cont. Faust. l. XI. c. V. : de quibus aliisque præclare pro

1) non ut divinis veritatis fontibus credi vult (1), sed velut divinæ veritatis canalibus tantum, auctoritatem tribuendam esse docet; neque hanc

2) infinite et absolute iis asserendam, ac si salva honorificentia, quæ illis debetur, non liceret quandoque ab eis recedere.

242. Corollarium IV. in quo de cautionibus a theologo adhibendis in usu patrum.

242. — COROLLARIUM IV. Colligitur proinde, quasdam adhibendas cautiones (2), ut justus eorum usus a theologo fiat : quæ ad hanc brevissimam summam revocantur :

1) cavendum, ne contemptim et inciviliter habeantur, si qua in re titubasse visi sint aut ab illis utcunque (3) dissentiamus; sed curandum, ut pius erga eos et placidus cum

more Petavius in prolegom. c. II. nn. 5. sqq., qui illis adductis ita concludit : « Ex quibus evidens est, antiquorum patrum responsa, extra synodales eosdemque probatos ab ecclesia consessus, aut citra traditionis apostolicæ, quam adstruunt, fidem, non habere certam indubitatamque probandi firmitatem, sed probabilem duntaxat et iis terminis definitam, quos Augustinus aliique patres præscribunt. »

(1) De dono persev. c. XXI. coll. de pecc. merit. t. III. VII., ubi allatis Cypriani et Hieronymi sententiis pergit : « Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat, ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis, qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. » Ad quæ respexisse videtur Guillelm. paris. de virtutib. c. XI.; pariterque ad ea spectant quæ Thomas in p. I. q. I. a. 8. ad 2. disputat, ubi « id quod credimus » et « eum cui credimus » et « eos per quos credimus » distincta esse significat, et quemadmodum primum est verbum revelatum, alter est Deus, ita patres sunt, quorum ministerio et ope Deo revelatori verbum credendum credentes credunt.

(2) De quibus vide Petav. l. c. aliosque patrum vindices contra Dallæum, calvinianum Carentonii in Gallia ministrum, qui in libro, de usu patrum, monumenta antiquorum ecclesiæ doctorum nullius utilitatis esse ostendere adnisus erat.

(3) Egregie Facund. hermian. in defens. trium capitul. l. VI. c. v. ed. Mign. II. pp. t. LXVII. col. 679. : « Hæc autem scandala vel quælibet merito nos offendunt in patribus, quos tanquam luminaria Deus in ecclesia sua constituit, ut eorum desuper illuminemur excellenti scientia atque doctrina, sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque luminarium cœli defectus, quæ licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt. » Hujus venerationis Majoribus iisdemque sanctis viris adhibendæ, licet humani aliquid passi aliquando fuerint, specimen eximium e modo, quo Cyprianum habuit Augustinus cum alibi tum de bapt. l. VI. c. II., mirifice patet. De his pariter consulendus Georg. Scholar. or. 3. l. c. pp. 525. sq. 533. sq.

reverentia quadam et honore servetur voluntatis affectus;

2) ut ne temere eos ac nisi magno cum judicio notemus (1) erroris;

3) ut eosdem non secum ipsis tantum, verum etiam inter se invicem comparemus (2), atque ut aliorum pluriumque consensum paucis anteponamus, qui paullulum a vero communique decreto (3) aberrasse videbuntur.

243. — COROLLARIUM V. Hinc colligitur, frequenter in iisdem accurateque versandum, ut rite sciteque eorum mens atque sententia deprehendatur. Quod tum fiet, quum diligenter ob oculos habeatur et materia, de qua tractant, ac status, ut aiunt, quæstionis, et apud quos vel contra quos rem habeant, et quid sive affirment sive negent, et quomodo, id est, quibus usi phrasibus loquendique modis vel sibi solis vel suæ ætati propriis. His, ut par est, observatis (4), facile est expedire nodos, si qui occurrant.

243. Corollarium v. ubi colligitur quantum in patribus versari oporteat.

§ 2. — De scholis christianis.

244. — Verum ætas patrum præteriit, sed non doctrina; alia successere tempora a prioribus toto, ut aiunt, cœlo di-

244. Declaratur quibus mo-

(1) Rationes ejusmodi cautionis superius dedimus, expolitionem præbet Petav. l. c. n. 8., cujus tamen explicationi in nova edit. Romæ parata hanc præter alia visum est adjicere observationem : « Sin autem quæ in opere (cujusdam patris) occurrunt quæque difficultatem præbent, impedita sint, ambigua et in utramque significationem pateant : obtemperandum quidem erit canoni, quo harmonica præcipitur interpretatio, verum ita ut sincera doctrina germanaque sententia colligatur non ex uno alterove inciso, eoque forte non ratæ admodum potestatis neque satis luculento, sed ex universa traditionis serie, propositionum junctura, partiumque conspiratione... Tum de Facundo hermian., « quem Cassiodor. in ps. CXXXVIII. vocat hæreticorum penetrabili subtilitate destructorem, qui inani studio perniciosisque vigiliis in opere pro defensione trium capitulorum et in epistola catholicæ fidei pro defensione trium capitulorum omnia susque deque movit, ut Theodori in primis mopsuesteni doctrinam laude integritatis veritatisque cumularet. »

(2) Hinc probat Bessarion in or. dogm. c. III. l. c. p. 380. : « Quod quamvis nulla omnino sit in patrum dictis contradictio : si tamen aliquid tale saltem apparenter esset, nos oporteret conari concordare, tanquam summe necessarium fidei nostræ. » Et c. IV. : « Quod ad intelligentiam illorum doctorum, qui obscurius locuti sunt, utendum est illis patribus, qui apertius et clarius loquuntur. » Coll. Georg. Scholar. or. 3. l. c. p. 517. sqq.

(3) Ita Georg. Scholar. epist. de pace ad synod. florent. l. c. p. 449.

(4) De quibus pauca Petavius l. c. n. 10., plura Georgius Scholar. l. c. usque ad orationis calcem.

numentis comprehensa post patres fuerit fides ecclesiæ.

versa, sed nullatenus fidei principiis atque capitibus. Nostrum modo non est, characterem diversitatis describere; illud tamen animadvertisse ad nos pertinet, quod ad unitatem continuationemque fidei doctorum ecclesiæ spectat. Nam insecuta post patres ætate christianam institutionem floruisse præclarissimeque emicuisse, deprehendimus in universitatibus, academiis, scholis catholicis, in quibus illa, sacra, inquam, doctrina, secundum methodum quandam tractandi theologicas disciplinas novam multiplici eruditionis apparatu magnaque ingeniorum subtilitate ad perfectiorem scientiæ formam (1) provecta fuit atque advecta. Earundem porro scholarum monumentis continuatur potissimum series (2) monumentorum, quibus præcedentem patrum antiquitatem conspicuam cognovimus. Quum vero singularum ætatum monumentis invicem simul collatis doctrina contineatur, quæ tum in ecclesia obtineret : hinc summa monumentorum a scholis catholicis relicta adjectisque reliquis ejusdem ætatis de christiana religione documentis doctrina ac fides ecclesiæ media ætate temporumque insequentium comprehenditur. Patet ergo, complexione ejusmodi monumentorum omnium consistere medium traditionis, quæ ab ætate patrum ad nos usque devenit. Sed inde jam liquet, quale illis pretium inesse debeat : de quo tamen, quod ad scholas nominatim attinet ita statuere visum est :

THESIS XXXII. *Christiana scholarum institutio et illorum de fide concors doctrina, qui secundum patres editis de religione operibus in unitate catholica singulis ætatibus floruerunt, talis existimari debet, quæ cum patrum consensione non immerito comparetur:*

245. Declaratio.

245. — DECLARATIO. Dicimus comparetur, ut patribus, quod iisdem ob suos characteres debetur, proprium decus asseratur; utque simul secutis quoque post illos ecclesiæ auctoribus sua servetur auctoritas.

(1) Cf. quæ de his exposuimus in commentar. de theologia generatim.

(2) Id quod Bossuet. confirmat vel in ipsa defens. cler. gall. p. I. l. II. c. XIV., ubi scholæ doctrinam dicit traditionis partem aliquam haud quidem contemnendam.

246. — DEMONSTRATIO. Hanc enim tribui eis oportere,

246. Demonstratio.

I. manifestum est, quum iidem in docendo scribendoque hisce theoreticis dirigerentur principiis :

I. Res manifesta es consideratis principiis theoreticis quibus ii, de quibus in thesi, dirigerentur.

1) negative impositum sibi esse officium, ne a definitis in ecclesia articulis vel minimum discederent;

2) positive impositum sibi pariter esse officium, ut receptam antea doctrinam ex norma Vincentii lirinensis (1) custodirent, explicarent, perficerent, tuerentur. Huc enim generatim spectat descriptum a Vincentio lirinensi munus doctoris; sed nominatim referenda huc, quæ de munere ac methodo scholæ Canus (2) habet : qui

a) triplex ejusdem officium distinguit, nimirum fidem e suis eruere ac probare fontibus, eam contra hæreticos vindicare, aliisque illam humanis disciplinis illustrare;

b) methodum illius exponit in argumentando ratiocinandoque repositam, cujus instrumentum uti syllogismus, ita forma sita est in accurata idearum definitione, distincta rerum partitione, solida ejus, quod propositum est, probatione, et valida oppositorum refutatione; inde

c) derivat hæreticorum contra scholam furias; ac tandem

d) communes exceptiones dispellit. Sed hisce positis principiis theoreticis certi moraliter reddimur, fieri minime posse, ut unanimis scholarum consensio in christiana institutione a prisca traditione deflectat. Præterea

II. non potest consideranti non apparere, scholæ consensionem in institutione christiana singulis ætatibus æquivalere ipsius ecclesiæ seu testium doctorumque authenticorum doctrinæ. Quum enim illa in catholica fiat unitate ipsisque authenticis doctoribus inspicientibus : si a catholica doctrina dissideret, depositi custodes necessario reclamarent; unanimis ergo scholarum in christiana institutione consensio merito comparatur patrum conspirationi. Accedit

II. Accedit, consensionem scholæ æquivalere ipsius ecclesiæ doctrinæ.

III. ductum ex historia argumentum, qua monemur, nunquam fuisse unanimi scholarum consensioni in iis, quæ ad christianam institutionem pertinent, repugnatum pertinaci-

III. Additur argumentum ex historia ductum.

(1) Common. I. n. 22.
(2) De loc. theolog. l. VIII. cc. I. II. IV. coll. l. XII. c. V. præcept. 8.

ter (1), quin hæresis labes incurreretur. Contra vero nullum reperietur doctrinæ caput, quod eadem mente unoque ore scholastici omnes certo ac firmiter asseruerint, quin idem ab ecclesia Dei teneatur receptumque fuisse constet : et quidquid unanimi suffragio scholæ theologi credendum docuerunt, idem absque dubio a pastoribus quoque in suis cathedris retinendum præcipiebatur. Scholarum ergo doctrina unanimis de re fidei catholicam orthodoxamque præsulum sententiam præferre censeri (2) debet, atque adeo non est indigna, quæ cum patrum consensione conferatur.

247.Thesis eo confirmatur quod revelati depositi custodes tutelam scholæ contra hæreticos in semet receperint. Martinus V.

Pius VI.

247. — Quare nihil mirum, quod quemadmodum ab aliquot sæculis quicunque emerserunt hæretici, animos gesserint in scholam infensos : ita vicissim depositi custodes tutelam scholæ in semet (3) receperint. Eam habuit Martinus V. proscribendo Wicleffi propositionem : « Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt ecclesiæ sicut diabolus. » Eam habuit Pius VI. notando sic pistoriensium propositiones : « Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat velut eam, quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;

(1) Rem præ ceteris demonstrat Melchior Canus l. c. c. I., tum hæresis janseniana. In apol. Jansen. l. III. c. XXIX. legitur, scholasticos doctores aberrasse eo tempore fere omnes ab antiquorum doctrina; facem veritatis ab Augustino in ecclesia accensam, humanæ philosophiæ nebulis sensim fuisse involutam; « ideoque singulari Dei providentia novum Augustinum suscitatum esse, qui caliginem illam dissiparet reddita veritatis die. » Verum in plena luce floruisse scholæ doctores, et a jansenianis contra diffusas esse tenebras insecutæ pastorum decisiones patefecerunt.

(2) Profecto ad normam pastorum fuerunt scholæ institutæ et rectæ, ad normam pastorum scholæ theologi docuere, e scholis pastores prodierunt, et inspicientibus pastoribus illarum doctores suum magisterium exercuere. Cf. de christianarum auctoritate scholarum Melchior. Can. de loc. theol. l. VIII. cc. I. II. IV. et Petav. tom. I. prolegg. cc. III. sqq.

(3) Ita vicleffitæ, janseniani, pistorienses, Hermesius : ideoque a concil. constant. et Martino V. per bullam « Inter cunctas » proscripta propos. 29.; hinc proscriptæ a Pio VI. pistoriensium sententiæ vel propositiones 76. et 79.; atque hinc improbatus a Gregorio XVI. Hermesius et improbati a Pio IX. Bonnetty et Güntherus, de quibus cf. op. H. Denzing. l. c. nn. 505. 1439. 1442. 1487. 1508. 1511. 1532.

quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt : falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis. » Tum sic : « Adsertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit; falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans. » Habuit illam Gregorius XVI. prohibens Georgii Hermesii opera tum ob alios gravissimos errores, tum quod libri illi propositiones contineant « in catholicas scholas injuriosas ». Et habuit non semel papa Pius IX. proponens hanc propositionem D. Bonnetty ad subscribendum : « Methodus, qua usi sunt d. Thomas, d. Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim adprobante, vel saltem tacente ecclesia, usurpaverint. » Et rursum in brevi de libris et doctrina Güntheri, quod is, inquit, « ab iis in catholicas scholas dicteriis non abstinuerit, quæ recolendæ memoriæ Pius VI. decessor noster solemniter damnavit ». Et denique in sententia de conventibus theologorum Germaniæ : « Neque ignorabamus, ss. d. n. scribit, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitæ sanctitatem universalis veneratur ecclesia (his describitur vis doctorum scholæ). Qua falsa opinione ipsius ecclesiæ auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa ecclesia non solum per tot continentia sæcula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam sæpissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum

Gregorius XVI.

Pius IX.

fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer (1) commendavit. » Sed hæc nihil ad confirmandam thesim statutam desiderandum relinquunt.

248. Conclusiones adlegantur Melchioris Cani ad rectum usum theologorum scholæ habendum.

248. — Hinc juverit de scholæ auctoritate sequentes Melchioris Cani (2) conclusiones veluti canones ad rectum usum theologorum scholæ habendum ob oculos ponere, ea tamen cautione adhibita, quam illius regulis de patribus adjiciendam diximus, ut de natura rerum, sint nec ne graves vel fidei etiam e doctoribus judicetur. Itaque

I. Conclusio prima.

I. « Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet : sed si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere. » Atque hanc conclusionem Canus evidentem habet neque argumentis probandam. Inde autem colligit, illos arguendos esse scholasticos, « qui ex opinionum, quas in schola acceperunt, præjudiciis viros alios catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur ». Sed, subdit, « alia sunt scholæ placita (vel decreta), alia sunt præcepta sectæ (vel theologorum opiniones). Quæ ab illis dissident, ea notam habent; quæ ab his, non habent. Nec enim si quid aut scoticis aut thomisticis pronunciatis contrarium est, error illico est ».

II. Conclusio altera.

II. « Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententia, in re quidem gravi, usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit. Nam in quacumque arte peritis credendum esse, ratio monstrat. » Id confirmat ex clementinis de summa trinitate secundum patres concilii viennensis : « Opinionem illam, inquiunt, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem et do-

(1) Cf. allata superius ad explicandam declarandamque vim doctoris ecclesiastici.

(2) L. c. c. IV.

ctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem fore a catholicis eligendam. Si ergo, argumentatur Canus, in re, quæ olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controversa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud patres in concilio fuit, quanto magis nos res omni tempore ab schola præscriptas tenere ac revereri debemus? Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communis fidem facit concilio, illudque inclinat, ut definiat, hujusmodi opinationem esse tenendam, quid si non ex opinione, sed ex certo et minime circumductili animo quicquam theologi omnes præfinierint? An non existimas, concilium viennense pro ejusmodi dogmatis firmiter in schola receptis graviore censura judicaturum? Scholæ igitur communem consensum non nisi impudenter et temere rejiciemus. » Sic ille, addens consensum theologorum, tanta ubique inter se concertatione pugnantium, a motione Spiritus sancti repetendum, non secus ac veteres aliquot (1) ab eodem repetierunt concordem septuaginta virorum interpretationem. « Non igitur poterit esse verum illud, quod scholasticorum choro idem concinenti fuerit contrarium. » Cui subjicit :

III. Conclusio tertia.

III. « Concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. » Id quod similibus ille rationibus probat, quibus superius thesis asserta est : scilicet

1) ex facto, quo constat, nihil theologos unanimi sententia de fide moribusque docuisse, quin idem in universum ecclesia teneat, eorum auctoritate mota;

2) ex jure, quo constat, nihil theologos circa talem materiam unanimi sententia docere, quod ex scripturis ac traditione certum non faciant;

3) ex consectariis, quæ sequerentur in hypothesi, theologos in re de fide et moribus unanimes a veritate aberrare : exponeretur ecclesia errandi periculo. « Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt ut a theologis acceperunt. » Auge-

(1) Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Augustinus, Clemens al., Justinus M.

tur periculum illud silentio ecclesiæ. « Error enim, cui non resistitur, adprobatur; et veritas, cum non defenditur, opprimitur, ut Innocentius (1) ait. Atque Deus ipse, si theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis christiano populo deesset. » Addit porro idem Melchior, ex ecclesiæ gestis constare, scholæ auctoritate (id est, institutis theologorum studiis auditisque sententiis), ecclesiam res plurimas definivisse; et ad theologos non antiquos tantum, sed posteriores quoque referri verba Christi : Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit; atque hinc esse, quod qui theologos contemnunt, paulatim et doctores ecclesiæ et antiquos patres et Apostolos et Christum contemnant, secundum illa auctoris commentariorum super Matthæum (2) qui Chrysostomo tributi fuerunt : « Cum audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba qualis est circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Sin autem suos contemnit, si cum illis vixisset, illos contempsisset. » Id quod postremo confirmat verbis Apostoli (3) ad Ephesios : « Quosdam dedit Apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii. » — « Quandiu igitur concludit ille, Christi corpus, hoc est, ecclesia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in ecclesia sacræ doctrinæ doctores habentur, tanquam a Deo dati veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum more circumferatur. » Sic Canus; verum quum Apostoli verba ad eos directe et ex sese pertineant, qui sunt pastores una et doctores ecclesiæ, scilicet ad præsides et episcopos : ea nonnisi indirecte et in obliquo, ut aiunt, ad theologos extendi posse videntur ut superius factum est. Sed de his hactenus.

§ III. — De consensu fidelium.

249. Non prætermittendum criterium.

249. — A patribus in filios, a doctoribus in discipulos, a magisterio ecclesiæ in ecclesiæ fideles fides redundat, et

(1) C. Error 3. dist. 83.
(2) Com. sup. Matth. imperf. hom. 42.
(3) Eph. IV. 11.

dimanat velut effectus a causa hæreditas traditionis, doctrinæ puritas atque fidei sanitas. Mirum proinde foret, si inter varia argumentorum loca, quibus theologi ad fidei veritatem probandam vindicandamque utuntur, prætermissa plane fuisset ac prætermittenda existimari deberet ipsa fidelium communis et explorata de fide persuasio. Sed neque prætermissa fuit neque prætermittendam esse liquet. Etenim

terium in communi et explorata situm fidelium persuasione.

THESIS XXXIII. *Quum de iis sermo est, quæ ad fidem et mores bonamve vitam referuntur, fidelium consensus et unanimis christianorum suffragatio vel explicita communique professione declarata vel implicita factisque contenta, iis accensenda criteriis est, quibus revelata doctrina certo innotescit.*

250. — DEMONSTRATIO. Profecto duplici omnino ratione manifestari religiosa aliqua persuasio atque fides potest, explicite sive diserte perspicuisque theoreticis sententiis, et implicite, ut aiunt, externisque actionibus vel usibus practicis. Porro sive populus fidelium conspiret in eandem profitendam sententiam fidei sive in easdem actiones exercendas pias, quæ revelatis veritatibus innituntur, easdemque credendas supponunt : hoc inficias ire nemo jure poterit (1), talem consensionem ac ejusmodi fidelium conspirationem criterium esse veritatis. Hoc enim colligitur

250. Demonstratio.

I. ex mente patrum : consensione fidelium utitur Hieronymus (2) contra Vigilantium ; utitur Vincentius lirinensis (3)

1. Mens patrum de re illa profertur.

(1) Ipse Twesten in prælectt. de dogmat. eccles. evangel. luther. tom. I. pp. 116. sq. fatetur, melius quam qualecumque scriptum de eo quod vere christianum et apostolicum esset ipsam docuisse vitam christianorum.

(2) Lib. un. n. 5. ed. Mign. tom. II. coll. 357. sq. « Quis, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?... Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ et Timothei transtulit Constantinopolim... sacrilegus nunc Arcadius, qui ossa b. Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam ? Omnes episcopi fatui judicandi?... Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis?... »

(3) Com. I. n. 24. « Quæ (novitates) si recipiantur, necesse est ut fides beatorum patrum aut tota aut certe magna ex parte violetur; necesse est ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, vir-

in suo commonitorio; utitur Cassianus (1) de incarnatione; illam tuetur Basilius (2); tuetur eam (3) eademque utitur Augustinus non semel (4) sed omnino frequenter ad varias ecclesiæ doctrinas contra hæreticos defendendas. Idem colligitur

II. Accedit mens et usus theologorum.

II. e theologis, e quibus commemorari potissimum debent Melchior Canus (5), Joannes Fischer (6), Gabriel Vasquez (7),

gines, omnes clerici, levitæ et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terrarum orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nesciisse quid crederet, pronuncietur. »

(1) De incarnat. l. I. c. VI. : « Hanc ergo ejus (Leporii) confessionem, id est, catholicorum omnium fidem, et omnes africani episcopi, unde scribebat, et omnes gallicani, ad quos scribebat, comprobaverunt... Sufficere ergo solus nunc ad confutandam hæresim deberet consensus omnium, quia indubitatæ veritatis manifestatio est auctoritas universorum et perfecta ratio facta est ubi nemo dissentit. »

(2) Basilius adv. Eunom. l. III. n. 1. opp. tom. I. p. 271. "Οτι μὲν γὰρ οὐκ οἴεται δεῖν τῇ ἁπλῇ καὶ ἀνεπιτηδεύτῳ πίστει τῶν πολλῶν ἐμμένειν, ἀλλὰ τεχνικοῖς τισι καὶ σεσοφισμένοις λόγοις πάλιν πρὸς τὸ δοκοῦν ἑαυτῷ παρακρούεσθαι τὴν ἀλήθειαν, ἱκανῶς ἐξ ὧν εἶπεν ἐδήλωσεν· ἀτιμάζων γὰρ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, ᾗ δοξάζουσι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, προσποιεῖται τὴν τῶν ἁγίων φυλάσσειν διδασκαλίαν : « Quod quidem non putet oportere in simplici ac nuda multorum fide permanere, sed artificiosis quibusdam captiosisque rationibus veritatem rursus ad id, quod sibi videtur, detrudere, satis ex iis, quæ protulit, verbis ostendit. Nam multorum opinione contempta, qua Spiritum s. glorificant, simulat se sanctorum tenere doctrinam. »

(3) Cont. Jul. l. I. c. VII. n. 31. : « Non tibi, sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus : quanquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere populorum. Divites et pauperes, excelsi atque infirmi, docti et indocti, mares et feminæ noverunt, quid cuique ætati in baptismate remittatur. Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum, id est, ad unctum, sed ad Christum Jesum, id est, etiam Salvatorem cum parvulis currunt. »

(4) De cura pro mortuis gerenda c. I. nn. 1. sqq., cont. Crescon. l. I. c. XXXIII. n. 39., cont. ep. fundam. c. IV. n. 5., cont. Faust. l. XI. n. 2. et de duab. animab. cont. Manich. c. XI., ubi scribit : « Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? »

(5) De loc. theol. l. IV. c. ult. respons. ad 14.

(6) In libro pro Henrico VIII. cont. Luther. c. III. : « Apud eum populum hæc consuetudo (ministrandi laicis eucharistiam sub una tantum specie) nata est, qui Spiritu s. regitur. Nemini enim dubium est, ecclesiam Spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit evangelio. »

(7) In III. p. disp. CXVII. c. VI.

Franciscus Suarez (1), Dionysius Petavius (2), aliique (3), passim hæc vel similia docentes, quæ insignis theologus Gregorius de Valentia (4) ita egregie complectitur : « Est enim in definitionibus fidei habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium : quoniam et ii sane, quatenus ex ipsis constat ecclesia, sic Spiritu sancto assistente divinas revelationes integre ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint. » Et sane

III. Ipsæ rerum naturæ id, quod asseritur, comprobant.

III. id fieri non posse ex ipsis quoque rerum naturis colligitur. Ecqui enim sunt, qui in unam sententiam eandemque mentem conveniunt? Sunt Christi fideles. Sed ab his communem in fide errorem illusionemque depellit tam internus doctor, quam externum magisterium. His enim duobus, Spiritu sancto ad credendum illuminante ac movente, et doctoribus quod credendum proponentibus, fidelis populi fides (5), sive ea disertis exprimatur verbis sive actionibus contineatur, certissime, licet aliter atque aliter, innititur. Quum igitur a duobus illis derivari nisi veritas non possit : nemo est, qui non intelligat, fidelis populi exploratam in re fidei conspirationem certum præbere credendæ veritatis criterium. Sane, Spiritus sanctus apud totam ecclesiam est, apud docentes atque discentes; hinc fides ecclesiæ discentis, quam vocant, in Spiritu sancto, respondet fidei ecclesiæ in Spiritu sancto docentis, et ut hæc est absque errore, sic illa.

(1) In III. p. disp. III.

(2) De incarn. l. XIV. c. III.

(3) Cf. com. s. l. plus semel de im. Virg. Concept. tom. III. sect. VIII. c. II. a. 4.

(4) De rebus fidei l. VIII. c. IX.

(5) Ad hanc rationem respicit ecleberrimus theologus et a nobis sæpe laudatus Georg. Scholarius or. 2. in flor. conc. habita l. c. p. 501. Πᾶσαν δ' ὁμοῦ πλανηθῆναι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας φῶς ἐκ μέσου γενέσθαι ταύτης, ἀδύνατον· καὶ χωρὶς γὰρ τῶν ἄλλων, τίς ἂν πιστεύσειε πάντας ὁμοῦ χριστιανοὺς ἢ τὸ ψεῦδος ἑκόντας ἑλέσθαι ἢ τὴν ἀλήθειαν ἀγνοεῖν τοσούτων ὄντων τῶν πρὸς ἐκείνην χειραγωγούντων καὶ τοσαύτην ὑπὲρ αὐτῆς φροντίδα πεποιημένων; « Universam vero simul errare ecclesiam et veritatis lumine destitui, impossibile est. Ut enim alia taceam, quis credat, omnes æque christianos aut velle amplecti mendacium aut ignorare veritatem, quum tam multi sint, qui ad illam se duces offerant, et tantam curam in eam contulerint? »

251. Regulæ ob oculos habendæ in usu ultimi criterii propositi.

251. — Ne tamen in usu criterii erretur, juverit has Gravinæ (1) ob oculos habuisse regulas.

I. In rebus fidei, quas etiam populus tenetur credere, ex consensu populorum firmum sumitur argumentum.

II. Ad notissima pervia omnibus dogmata comprobanda, ejusdem populi quoque plurimum valet testimonium.

III. Quando nihil certi statuit divina scriptura, tunc, ut recte ait Augustinus, mos populi Dei et instituta Majorum pro lege habenda sunt. Hinc ecclesiæ pastores ac nominatim supremi ejusdem rectores, romani pontifices non raro ad hanc fidelium consensionem provocaverunt, cujus eximium specimen luculentissime exhibet (2), declarata postremo immaculata beatæ Dei parentis conceptio.

(1) Cathol. præscriptt. l. IV. a. 10.
(2) Videsis commentar. de immac. V. concept. s. c.

PARERGON.

DE HABITU INTER TESTES ET INSTRUMENTA, TRADITIONEM ET SCRIPTURAM (1).

THESIS XXXIV. *De habitu, quo se testes et instrumenta, traditio et scriptura excipiunt, constitui I. debet, testes et traditionem tempore antevertere, instrumenta vero sive scripturas tempore subsequi.*

252. — DEMONSTRATIO. Quum thesis sit historica, ejusdem probatio repeti ex œconomia debet divinæ revelationis. Sed œconomia divinæ revelationis pro quadruplici ejusdem statu primitivo, patriarchali, legali atque christiano ea constanter fuit, ut testes et traditio antecederent, instrumenta vero atque scripturæ vel nullatenus vel tempore consequerentur : idque fuse in superioribus (2) probatum est. 252. Demonstratio.

253. — COROLLARIUM. Testibus ac traditione, antequam conscriberentur litteræ divinæ, continebatur 253. Corollarium.

1) medium atque organon universæ divinæ revelationis, illudque plenum, adæquatum, plane sufficiens ac necessarium. Verum

2) testes ac traditio hæc, auctore Christo, perdurare semper debebat : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : do-

(1) Commentarius, quem modo absolvimus, de theologico testium fonte liber est prior operis longe amplioris, quod sibi auctor proposuerat. Huic enim statuerat alium de scriptura divina commentarium adjungere, utrumque vero librum unico complecti opere, cui titulus de theologico testium atque instrumentorum loco. Cui operi coronidis instar apponere volebat parergon, in quo theologicos hosce fontes simul conferret, et habitum, quo sese iidem excipiunt, determinaret (Videsis seriem primam thesium theologicarum pag. 57. sqq.). Hanc aliam partem (sicuti ceteras etiam theologiæ quæstiones omnes) reliquit satis fuse expositam docteque explicatam, non eam tamen prorsus perfectam omnibusque plane numeris absolutam. Hac de causa typis eam non divulgamus. Attamen operæ pretium esse arbitramur parergon, de quo diximus, adjicere, quippe quod cum superioribus thesibus penitus cohæret, omnemque disputationem complet aptissime. Adnot. edit.

(2) Cf. com. de theologic. test. font. p. I. c. II. §§ 1. 2. pp. 47-68.

centes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. » (1) Ergo

3) veluti corollarium sequitur, scripturis exaratis illam perdurasse œconomiam.

THESIS XXXV. *Constitui debet II. spectato objecto instrumenta seu scripturas ad testes ac traditionem habitu referri partis ad totum.*

254. Demonstratio. I. Ex statutis de testibus et traditione.

254. — DEMONSTRATIO. I. Duo ex superioribus (2) comperta sunt, quorum alterum est, testes et traditionem esse medium et organon plenum et adæquatum divinæ revelationis : alterum vero, nonnullas credi revelatas cœlitus veritates, quæ in scripturis nullatenus continentur. Atqui hæc duo simul composita evidenter ostendunt scripturas et instrumenta ad traditionem testesque eo habitu referri, qui est partis ad totum. De hoc eodem habitu, ut jam diximus,

II. Ex patrum sententia.

II. testes sunt patres, quorum nomine conferri possunt Irenæus (3), Origenes (4), Tertullianus (5), Basilius (6), Epiphanius (7), Joannes Damascenus (8), Ambrosius (9), Hieronymus (10). Ex his Epiphanius hæc habet : « Divina omnia verba non ad allegorias referenda, sed ut se habent accipienda sunt. Consideratione vero ac sensu opus habent, ut argumenti cujusque vis ac potestas intelligatur. Sed traditione quoque opus est. Neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat : « Quemadmodum tradidi vobis; » item alio loco : « Ita doceo

(1) Matth. XXVIII. 19. 20. coll. Marc. XVI. 15. sqq.
(2) Videsis com. de theol. test. font. p. II. c. I. § 4. pp. 175-185.
(3) Contra hæreses l. III.
(4) Περὶ ἀρχῶν I.
(5) Contra Marcionem IV. 5.
(6) De Spiritu s. XXV. XXVII. XXIX.
(7) Hær. LXI. n. VI
(8) De fide orthodoxa IV. XIII.
(9) De fide III. c. VII.
(10) In dial. cont. luciferianos.

et ita tradidi in ecclesiis; item : « Si meministis; nisi frustra credidistis (1). » Eodem spectant, ut supra dictum est,

III. Ex ratione practica controversiarum dirimendarum.

III. controversiæ de valore baptismi ad normam evangelii ab hæreticis administrati, de perpetua Deiparæ virginitate, de sacramentis confirmationis et ordinis, quæ citra sacrilegium iterari nequeant, de cultu imaginum, aliæque nonnullæ. Etsi enim diremptæ sic fuerint, ut qui dissentirent hæreticis accenserentur, illarum tamen solutio non ex scripturis, sed ex traditione deprompta fuit. Accedunt tandem

IV. Ex ipsa spectata ratione scripturarum.

IV. tum ipsa ratio scripturarum, tum nonnulla eisdem comprehensa testimonia. Et ad rationem scripturarum quod attinet : animadverti debet,

1) illam admodum abesse a facie sive codicis sive catecheseos ;

2) libros, quibus sylloge coalescit, non tam esse partes, quam tota per se ac seorsum;

3) plerosque libros, utpote epistolas, non certo præconcepto consilio, sed ex occasione et ob particulares sive causas, sive quæstiones, fuisse conscriptos ; tandem

4) neque singulis nominatim scriptoribus, neque omnibus universim id fuisse constitutum, ut totam christianæ revelationis amplitudinem suis libris complecterentur. Hinc

V. Ex nonnullis ipsarum scripturarum testimoniis.

V. verba Joannis in evangelio : (2) « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. » Hinc ejusdem verba tum in epistola secunda (3) : « Plura habens vobis scribere,

(1) L. c. Ἀλλὰ πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλὰ ὡς ἔχει. Θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι· οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. Διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι· ὡς φησιν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος· Ὡς παρέδωκα ὑμῖν· καὶ ἄλλοτε· Οὕτως διδάσκω, καὶ οὕτως παρέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις· καὶ, Εἰ κατέχετε· ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῆ ἐπιστεύσατε.

(2) Joann. xx. 30. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἃ οὐκ ἔστιν γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ.

(3) II. Joann. 12. Πολλὰ ἔχων ὑμῖν γράφειν οὐκ ἐβουλήθην διὰ χάρτου καὶ μέλανος· ἐλπίζω γὰρ γενέσθαι πρὸς ὑμᾶς καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit » : tum in epistola tertia (1) : « Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. » Atque hinc verba Pauli in epistola prima ad Corinthios (2) : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia memores mei estis, et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. » Hinc ejusdem verba in epistola secunda ad Thessalonicenses (3) : « Itaque, fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram : » et rursum (4) : « Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. » De his confer thesim XVII hujus commentarii (5).

255. Corollarium.

255. — COROLLARIUM. Si instrumenta ac testes, si scripturæ ac traditio considerentur quatenus fontes sunt ad probandam divinam revelationem accommodati : manifestum est probationem ex instrumentis et scriptura obnoxiam esse probationi ex testibus et traditione, atque ex hac, ad nos quod attinet, omnino pendere.

THESIS XXXVI. *Constitui III. debet, non aliter semet ad instrumenta seu scripturas testes habere ac traditionem, quam ad textum se habet authenticus commentarius.*

256. Demonstratio.

256. — DEMONSTRATIO. I. Eo scripturæ ex sese pertinent, ut utiles sint ad fidem, ædificationem, sanctitatem, salutem.

(1) III Joann. 13. Πολλὰ εἶχον γράφειν, ἀλλ' οὐ θέλω διὰ μέλανος καὶ καλάμου σοι γράψαι.

(2) L. c. XI. 1. 2. Μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ. Ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, ὅτι πάντα μου μέμνησθε, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε.

(3) L. c. II. 15. Ἄρα οὖν ἀδελφοί, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

(4) L. c. Ibid. III. 6. Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν, ἣν παρελάβοσαν παρ' ἡμῶν.

(5) Quæ protestantes, ut plenitudinem scripturarum defendant, opponunt sive ex patribus sive ex ipsis scripturis, ea jam fuse solvimus in com. de theol. testium font. passim, tum præsertim nn. 36. 38. 117-122.

Voluit porro Christus, ut per authenticos testes, pastores atque doctores ædificarentur fideles, instituerentur, unitate fidei continerentur. Voluit ergo Christus ut authentica scripturæ interpretatio a doctoribus et pastoribus peteretur (1). Præterea

I. Ex fine scripturarum.

II. authentica scripturarum interpretatio ex eodem proficisci fonte debet, e quo ipsa profecta est scriptura. Atqui hoc obtineri aliter nequit, nisi illa petatur ex testibus authenticis quorum commentarius est humano-divinus (2). Necessitatem porro authentici commentarii demonstrant evidenter

II. Ex earundem origine.

III. tum dissidia eos inter, qui ejusmodi medium repudiarunt, tum analogia desumpta ex codicibus instrumentisque cujusvis legalis societatis universim spectatis, tum demum ipsa scripturarum multiplex difficultas tam verbalis quam realis. Accedunt tandem

III. Ex variis aliis rationum momentis.

IV. suffragia patrum, quorum communem doctrinam simulque omnium, quæ hucusque disputavimus, veluti summam complexus est Vincentius lirinensis (3), dum hac sibi quæstione proposita ita loquitur : « Sæpe magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare, et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet : primum scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde ecclesiæ catholicæ traditione.

IV. Ex suffragio patrum.

(1) Cf. Paulus II. Tim. III.

(2) II. Petri I. 20. 21. : « Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. » Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται· οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι.

(3) Common. I. cap. II

Hic forsitan requirat aliquis : Cum sit perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestius; aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item ecclesia catholica magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si, in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur. »

APPENDIX.

DE MATTH. XXVIII. 20. : Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, GENUINA SIGNIFICANDI POTESTATE (1).

Ordo dissertationis.

Tres sunt interpretationis legitimæ cujuscumque tandem scripti monumenti obtinendæ fontes : nimirum, ipsa nativa verborum vis, orationis contextus atque interpretum auctoritas. Hujusmodi igitur fontibus ac duobus præsertim prioribus in hoc evangelico enarrando inciso utendum nobis præscripsimus.

I. Verborum, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, nativa significandi virtus.

I. Quod ad nativam verborum significandi virtutem spectat, hæc ob oculos habenda, nempe tum nativa significatio vocabulorum, si etymologice spectentur, tum eorundem vis, si spectetur loquendi usus sive profanus, sive biblicus, sive ecclesiasticus. Considerabimus singula ex ordine, eaque majori, qua datum est, cura expendemus.

1) Ea verba significant præsentiam subjecti localem.

1) Si igitur verba, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, nativa sua potestate accipiantur, idem significant (2) ac, vobiscum sum, id est, præsentiam exprimunt subjecti, cujus mentio facta est, prope localem. Nimirum propositio μετά eandem vim retinet, quam habet, quando (3) conjungitur cum verbo διαμένειν,

(1) Utile esse duximus, hanc addere explicationem horum Christi Domini ad Apostolos verborum, de quibus tam frequentem auctor mentionem fecit. Meminerit tamen benevolus lector auctorem extremam huic dissertationi (æque ac præcedenti parergo) manum imponere nequivisse. Adnot. edit.

(2) Hoc quidem sensu phrasis, μετά τινος εἶναι, occurrit Matth. v. 25. : ἕως ὅτου εἶ μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ : « Dum es in via cum eo »; occurrit eadem rursum significatione apud Matth. IX. 15., Marc. IV. 36., Luc. XI. 7. XV. 31. XXII. 21., Joann. III. 26. VII. 33. XI. 31., II. Tim. IV. 11., Apoc. III. 21.

(3) Apud Luc. XXII. 28. XXIV. 29., Joann. VI. 67., I. Cor. VII. 13.

manere aut conversari, morari. Quare οἱ μετά τινος dicuntur (1) comites alicujus.

2) Significant autem præsentiam tum physicam, tum moralem.

2) Hujusmodi, quam diximus, præsentia localis completitur suaque natura includit præsentiam φυσικήν, ita ut qui adesse dicitur, adstet ut est, cum suis viribus, dotibus, facultatibus. Insuper phrasis illa, quamvis primo atque obiter considerata exprimat plurium tantum in loco eodem versantium unionem, vel externam veluti physicamque conjunctionem : adsignificat nihilominus involvitque conceptu suo præsentiam moralem atque ethicam. Talem nempe unionem plurium simul alicubi exsistentium denotat, quæ referat (2) harmoniam, conspirationem conjunctionemque actuum seu operationum, de quibus sermo habetur : et ita communionem exprimit vitæ, ubi de ea mentio fit.

3) Ea verba significant, stare a partibus alicujus operose.

3) Inde factum esse existimo, primam communemque illam significationem phrasis εἶναι μετά τινος tam apud profanos quam apud sacros scriptores, aliam eamque paulo nobiliorem ejusdem dictionis notionem haud excludere, verum secum facillime ducere. Illa autem est ejusmodi, qua μετά τινος εἶναι idem denotat ac, stare a partibus alicujus. Quemadmodum namque apud Homerum (3), μετὰ Βοιωτῶν ἐμάχοντο, significat « cum Bœotiis uniti, vel confederati dimicabant » ; et μετ' Ἀθηναίης idem sibi vult ac « cum Athenes auxilio » : ita apud eundem præpositio μετά cum verbo intransitivo conjuncta exprimit societatem unitatemque plurium idem operantium, cum transitivo autem devincta unit copulatque plures in unitatem societatemque ejusdem actio-

(1) Ut videre est apud Matth. XII. 3., Marc. XVI. 10., Luc. VI. 3., Tit. III. 15.

(2) Sic apud Matth. IX. 15., Luc. XI. 7. XV. 31. XXII. 21. XXIV. 29., Joann. III. 26. VII. 33. XI. 31., I. Cor. VII. 13., II. Tim. IV. 11. denotat communionem ejusdem cum alio habitus sive quietis, sive motionis, sive cujusvis actionis; Apoc. III. 21. significat consessionem in eodem throno; Marc. IV. 36. connavigationem; Matth. V. 25., Joan. VI. 67. coambulationem, atque inde factum manifeste est, ut οἱ μετά τινος vocarentur comites sociique alterius universim ; significat tandem Luc. XXII. 28. societatem alicujus cum alio persecutionibus obnoxio.

(3) Iliad. XIII. 700. col. XXI. 458.

. . . . . Οὐδὲ μεθ' ἡμέων
Πειρᾷ ὥς κεν Τρῶες ὑπερφίαλοι ἀπόλωνται.

nis (1). Idipsum apud Thucydiden (2) usu venit, qui phrasim μετά τινος εἶναι eo sensu accipit, quem supra indicavimus. Apud Xenophontem (3) quoque significat a partibus esse alicujus. Eandem vero significationem illud ῥῆμα in scripturis habere, manifestum ex iis locis (4) est, ubi esse cum Jesu opponitur τῷ esse contra Jesu : « Qui non est mecum, contra me est; » et quasi id nondum intelligentiæ sufficeret, additur sequente inciso eoque, ut mos scripturarum sæpius fert, exegetico : « Et qui non congregat mecum, spargit ». Quare perspicuum est εἶναι μετά τινος idem esse ac, stare a partibus alicujus, et quidem stare non otiose, sed operose.

4) Eadem verba significant adesse alicui suo numine suaque potestate.

4) Quæ quidem verborum sententia plane ex iis efflorescit, quæ de prima vulgarique eorundem significatione proposuimus; et rursum ex eadem efflorescit hæc altera eorundem sententia, qua μετά τινος εἶναι idem est ac, alicui auxilium præbere, alicui adesse suo numine suaque potestate, sua tutela. Hinc legitur (5) a Nicodemo dictum, neminem Christi opera facere posse, nisi Deus cum eo fuerit, h. e. nisi viribus potentiaque cœlitus collatis Deus ei adsit; et legitur (6) dictum a Jesu, se non esse solum a Patre relictum, sed Patrem secum esse, ideoque se loqui et perpetrare quæcumque Patri placuerint; et dicitur (7) de Josepho, Deum fuisse cum eo eumque eripuisse, scilicet salvasse sospitemque continuo sua fecisse tutela. Hinc nimirum apparet ratio, cur Apostoli toties in epistolis suis id fidelibus adprecentur (8), ut Deus suaque gratia cum iisdem sit et maneat, nimirum maneat sitque cum iis Deus conservans, confortans, tutans eos, ut

(1) Cf. Passow Handwoerterbuch der Griechischen Sprache.
(2) Cf. III. LVI; VII. XXXIII.
(3) Cf. c. II. IV. VII.
(4) Matth. XII. 30. coll. I. Joann. II. 19.
(5) Joann. III. 2.
(6) Joann. VIII. 29.
(7) Act. VII. 9. Conferantur pariter, quæ leguntur. II. Cor. XIII. 11., Rom. XV. 33., II. Thess. III. 16., Luc. I. 66., Act. XI. 21. : in duobus autem postremis locis explicationis gratia additur : « Manus Dei erat cum illo. »
(8) Qua de re videantur Rom. XVI. 20. 24., I. Cor. XVI. 23. 24., Hebr. XIII. 25., II. Joann. 3., Apoc. XXII. 21.

quemadmodum fideles esse cœpissent, sic in fide firmari, crescere, perfici continuarent.

II. Ex hucusque dictis explanatur textus ad illustrandum propositus.

II. Quæ quum ita sint, pronum jam est, illud Matthæi jamjam expendere incisum, quod ab initio nobis proposuimus, quodque ex hucusque præmissis facilius obtineri posse existimavimus. Itaque apud Matthæum (1) hæc legimus : « Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi : » Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. In quo testimonio hæc assumimus consideranda : quo totum pertineat; quo pacto cum universi textus sententia ultimum incisum copuletur : quid tandem eo exprimatur et significetur. Ac

1) Quo totum hoc testimonium spectet.

1) quidem hoc testimonium spectat ad solemnem apostolatus institutionem. Scilicet sermo est de solemni Apostolorum in universum terrarum orbem missione, ut gentem humanam omnem salutari Redemptoris doctrina imbuerent suoque nomini adscriberent. Hinc auctoritate omnium summa adpellata virtuteque omnipotentiæ suæ diserte memorata, nobilissimum gravissimumque Apostolis officium, munus præceptumque injungit, discipulos sibi aggregandi eosque in iis instituendi omnibus, quæcumque ipsi a semet acceperint. Agitur proinde de apostolica missione eaque institutione, quæ esset

(1) Matth. xxviii. 16-20. Οἱ δὲ ἕνδεκα μαθηταὶ ἐπορεύθησαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἰδόντες αὐτὸν προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίστασαν. Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν αὐτοῖς λέγων· Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

a) organon et medium, quo sua ipsius a Patre missio continuaretur (1); quæ esset

b) organon et medium, quo facta a semet revelatio inter homines propagaretur et explicaretur; quæ esset

c) organon et medium, quo cœtus ab ipso institutus cresceret augereturque; et ita quidem cresceret augereturque, ut

d) omnes hujus terraquei orbis gentes suo ambitu complecteretur; quæ ergo

e) organon esset ac medium, cujus se activitas ad omnem extenderet locum, per omnia hujus sæculi tempora permaneret; quæ ergo

f) organon esset ac medium ad unguem collimans cum fundata a Christo ecclesia; imo quæ

g) organon esset ac medium princeps omnino omniumque maxime necessarium, quo eadem ecclesia Christi suum obtineret finem, quo esse, subsistere, perdurare posset.

Quod si ita se habet, institutio illa tam est necessaria, quam necessarium est ex divina voluntate ut stet ac immobilis permaneat ecclesia; atque necessarium pariter est, ut Salvatoris præceptum ita exsecutioni mandetur, officium munusque institutum ita administretur, quemadmodum necessarium plane est et absque dubio ullo infallibiter erit et fiet, ut quidquid ad ecclesiæ sive essentiam sive exsistentiam sive continuationem perfectionemque pertinet, id sit, maneat suaque semper natura immutabile perduret. Docebuntur igitur jugiter gentes per mundum universæ ad finem usque sæculi hujus, baptizabuntur ex præscripto auctoris nostræ salutis, instruentur de iis servandis omnibus, quæcumque Verbum caro factum mandavit Apostolis suis. At

2) cum hisce quomodo ea cohærent, quæ jam sequuntur ultimo versiculi 20. inciso : Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Præcipitur in versiculis præcedentibus, ut modo vidimus, evangelica prædicatio et quidem talis, quæ ad omnes cujusvis loci temporisque se porrigat nationes ac gentes : præceptum inviolabile, ab-

2) Quo pacto cum testimonii totius sententia ultimum cohæreat incisum.

(1) Cf. Joann. xx. 21.

solutum, de re necessaria, æternæque salutis in se veluti conditionem amplectente; præceptum igitur infallibiliter indubitateque exsolvendum atque suo coronandum effectu. Quare ex hoc vel solo absona illorum arguitur opinio, qui ideo ex verbis allatis inerrantiam muneris officiique apostolici colligi posse inficias eunt, quod iisdem efferatur quidem, Christum adfuturum semper Apostolis, sed non efferatur, Apostolos futuros semper cum Christo. Etenim præter quam quod nescio quid præposteri sententia illa prima fonte contineatur : falsa simul ac impia ex iis ostenditur, quæ de auctoritate, dignitate, necessitate, perennitate missionis apostolicæ hucusque disputavimus. Verum

3) Explicantur verba καὶ ἰδοὺ.

3) falsa etiam et impia ex iis ostenditur, quæ jam de ipsis illis verbis dicentur. Et in primis verba explicemus καὶ ἰδοὺ.

a) Ex eorum vi nativa.

a) Verbis καὶ ἰδοὺ והנה, et en, et ecce ex indole vivaciore orientali sæpissime utuntur scriptores sacri præsertim historici, ut res coram oculis legentium prope depingant, utque personas, res, loca actionesque obtutibus subjiciant (1) ac digito ostendant. Id autem inservit non parum qua quidem ad sermonem alacriorem reddendum, qua vero ad legentium audientiumque mentes animosque excitandos vitamque et spiritum et ἐνέργειαν propemodum iisdem addendam vel infundendam. Hinc factum esse arbitror, eidem expressioni haud raro vim virtutemque inesse excitantis, ita ut idem sibi velit ac « Et agite, age enim vero » : quasi quis diceret : « Bono esto animo, macte virtute, habeto animum. » Ita accipiendam esse hic phrasim illam, efficiunt quæ præcedunt, simulque ea, quæ sequuntur. Et sane

b) Ex vocibus subsequentibus.

b) ut ab his exordiamur : quidnam ultima hujus incisi parte effertur? Subdit Dominus : « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Quibus plane verbis discipuli ejus quam qui maxime erigi, excitari, in magnos erumpere animos debebant, dulcissima spe confortati, firmissima promissione muniti, magistrum, tutorem, patronum, amicum Deum Salvatorem omnipotentem ab ipsis

(1) Cf. Gesen. thesaur.

non avelli, non separari, verum secum jugiter fore; immo etiam persuasi convictique, eum esse cum ipsis. Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ. At quid cum hac sententia aptius congruit, quam illam particulam, « et ecce », adhibitam a Christo Domino esse tum ad id, quod factum præsens esset demonstrandum, quum ad discipulos animandos iisque spiritum infundendum, quo magno erectoque animo illud adgrederentur opus illudque munus, quod modo ipsis injunxerat? Sane

c) officium perpendatur, quod iisdem Apostolis paulo ante Christus demandaverat : id erat scilicet supremum auctoritate, summum dignitate, potissimum necessitate, arduum denique sive respiciatur objectum, circa quod versari, sive subjectum, ad quod dirigi extendique, sive spatium atque ambitus loci, in quo exerceri, sive tandem duratio temporumque intervallum, per quod durare peragique debebat. Quare nihil opportunum magis magisque ad rem erat, quam ejus subjecta oratio, qua consolari, roborari confortarique poterant. Id autem a Jesu vere factum esse, per vocem, καὶ ἰδοὺ, significatur atque exprimitur, sententiaque tandem ipsa illi adnexa perspicue omnino demonstratur. Se namque esse cum ipsis edicit pro tota differentia temporis, ad quod eorum munus se porrigere debebat, diebus nimirum omnibus usque ad sæculi consummationem; sua vero innixi præsentia, sua virtute, sua tutela poterant atque debebant confidere, immo persuasi certique esse debebant se posse summa et maxima efficere, ardua quævis superare, ac proinde si ipse esset secum, pares se esse genti humanæ instituendæ in omnibus quæcumque mandaverat ipse. Jamvero

c) Ex contextu præcedente.

4) hunc esse reipsa verborum, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, genuinum sensum, iisque eam inesse potestatem significandi, apostolicam ad universas terrarum gentes missionem per Christi prope fieri virtutem, ejus illud munus inniti ἐνεργείᾳ invictaque adsistentia, patet

4) Explicantur verba ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ,

a) ex obvia verborum incisorumque intelligentia et connexione, tum ex verborum, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, significandi vi, qua, ut supra ostendimus, actuosam præsentiam, pro-

a) Ex illorum obvia et propria significatione.

indeque adjutorium, auxilium, virtutis alteri adjunctæ collatæque societatem, communionem, conspirationem in eo exprimit opere, actionibus illis, de quibus sermo habetur. Atqui hic agitur de missione apostolica, de gentis humanæ per Apostolos colligenda societate, omnibusque hominibus in Christi doctrina imbuendis ipsique adscribendis. Ad hoc igitur perficiendum absolvendumque suis ipsius viribus inniti Apostolos docet, atque confirmat, semet iis auxilio, adjutorio, tutorem, patronum esse, ac de exitu proinde felici infallibilique eventu non esse dubitandum. Porro idem patet

b) Ex parallelismo cum loco Joannis.

b) ex præclarissimo parallelismo hujus loci cum eo, qui habetur in evangelio Joannis (1) : « Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum. » Hæc Salvator adfert, ut Judæis persuadeat, se operari virtute Patris, et loqui quæ docuit eum Pater (2). At discipuli mittebantur ita a Jesu, quemadmodum ipse Jesus missus erat a Patre. Si igitur veritatis honestatisque tam suæ operationis, quam suæ doctrinæ Patris erat auctoritas et virtus, et ideo Patris erat auctoritas et virtus, quod Pater cum ipso erat : pro veritate etiam doctrinæ tam theoreticæ, quam practicæ ab Apostolis prædicatæ gentibus stat Christi auctoritas et virtus, eo quod ipse est cum illis. Id quod tum potissimum concedes, quum animadverteris, non semel sed sæpius Christum ad suam a Patre missionem provocare et ad Patris secum unionem ad hoc, ut suam doctrinam veram esse omnibus persuaderet (3) : adeo ut hæc in Christi ore verba : « Pater mecum est, » hunc præferant sensum : « Patris potentia invictus subsistam, sua auctoritate innitor, sua sanctitate mea fundantur opera, sua sapientia et scientia meam ab omni errore fallaciaque doctrinam immunem atque exemptam reddunt ac vindicant. » Idem ergo præferunt respectu discipulorum et virorum apostolico fungentium munere verba : « Vobiscum sum. » Idem

(1) Joann. VIII. 29.

(2) Cf. v. 28. ejusdem capitis.

(3) Qua de re vide Joann. XII. 49. 50. VII. 16. XIV. 10. XV. 4. sqq. IV. 34. VI. 38. sq. XVI. 32.

c) confirmatur ex eo usu loquendi, quo phrasi « Deus tecum vel vobiscum », in scripturis significatur communiter hinc quidem divina atque superna ipsa alicujus operatio, inde vero infallibilis certusque actionis effectus. Id patet ex N. T. ubi (1) prodigiosa divinaque operatio adscribitur ei, quocum Deus est; tum (2) Josephi fausta conditio, ejus virtus, honestas, propheticus spiritus, certus securusque suarum rerum eventus ei tribuitur, quod Deus erat cum illo. Similiter in V. T. (3) idem nobis persuadetur, ita ut (4) vel ipsa Dei potestas atque auxilium dicatur hebraice מעם יהוה ab cum Deo, quasi Dei auxilium, potestas, qua salvat, juvat, confortat, a sua præsentia suaque conjunctione repetendum sit. Inde certe factum dici debet, ut is, qui ὄντως et οὐσιώδως et ὑποστατικῶς Deo erat unitus, ontologice vocaretur Emmanuel : nimirum, ut intelligatur unionem præsentiamque Dei alteri vel aliquibus præstitam argumentum esse ineluctabile hujus vel horum exaltationis, operationis supernæ, coronandæ effectu suoque infallibiliter successu. Id quod

c) Ex usu loquendi biblico.

d) in eo, quem versamus locum colligitur vel ex ipsa forma loquendi, qua usus est Christus, præsentis temporis, ac si universum intervallum, quo perdurare apostolicum officium debebat, præsens stetisset, atque enunciasset ut de uno absolutoque opere « Vobiscum sum : docebitis infallibili plane successu et auctoritate mecum uniti conjunctique : ut nunc vos præsens edoceo, consolor, conforto, ita sum vobiscum semper ut ubicumque annuntietis quæ dixi vobis, munusque vestrum apostolicum exerceatis; ne timeatis, ego sum, per quem loquimini, qui loquitur in et ex vobis : dabo vobis, quid loquamini in illa hora : vobiscum enim sum. » Inde

b) Ex forma loquendi Christi.

e) confirmatur quod supra de infallibili certoque eventu felicissimo operis, in cujus exsecutione suam Dominus

e) Ex præcedentibus.

(1) Joann. III. 2.
(2) Act. VII. 9.
(3) Gen. XXI. 22., I Sam. XIV. 45. et alibi.
(4) Ps. CXXI. 2., Is. VIII. 18., VII. 11., XXIX. 6., I. Reg. II. 33., II. Paral. II. 10. 15.

præsentiam declarat, enarravimus. Quemadmodum enim Moyses de missionis suæ eventu certus reddebatur verbis : « Ego tecum ero, » et certi pariter de fausto infallibilique missionis suæ successu prophetæ passim reddebantur Dei verbis : « Ero vobiscum », ita multo majori ratione certus infallibilisque missionis apostolicæ successus et eventus declaratur verbis de præsenti : « Vobiscum sum. » Quare rursus inanis atque impia ostenditur sententia, cujus supra meminimus, eorum scilicet, qui ab operatione Christi apostolicam operationem sejungunt. Etenim λόγῳ atque ἐπινοίᾳ prius in munere hoc injuncto et verbis, quibus injungitur, totaque sententia intelligitur operatio apostolica, quam divina, vel potius divinam nullum locum habere, nisi præsupponatur apostolica. Insuper inanis et frustranea tota redderetur apostolica missio et institutio, et frustranea redderetur hæc divina amplissimaque omnipotentis suæ præsentiæ manifestatio et declaratio. Obstat denique verborum genuina sententia, qua ipsum apostolicum munus usque ad finem sæculi actu præsens sistitur, atque in eo divina simul adsistentia et operatio virtutis ex alto locum habere dicitur ; atque edicitur proinde, nunquam hujusmodi opus absque fructu effectuque suo esse posse. Hoc autem

5) Explicantur verba ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

5) prorsus extendi per sæcula hujus mundi universa, probatur (1)

a) Ex contextu præcedente.

a) tum ex iis, quæ supra diximus de ratione missionis a Christo hic institutæ, tum præsertim ex ejusdem missionis necessitate. Idem ostenditur

b) Ex inspecta vi verborum textus laini.

b) vi verborum : « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Etenim si hæc ad solam Apostolorum vitam restricta Christus voluisset, dixisset : omnibus diebus vitæ vestræ. Hæc enim usitata in bibliis formula est ad totum alicujus vitæ spatium exhibendum : ad quod

(1) Versionum sententiæ. Syriaca : Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Persica : Vobiscum sum usque ad finem et consummationem creaturarum, ac in æternitatem æternitatis. Arabica : Vobiscum sum cunctis diebus et ad finem sæculorum. Æthiopica : Vobiscum sum in omnibus diebus usque ad finem mundi.

significandum nunquam adhibetur phrasis : usque ad consummationem sæculi. Quare signum est, hisce verbis Salvatorem ad objectum munusque ab eo institutum respexisse, non vero ad subjectum tantum, cui id primum inhæreret. Fundavit nimirum missionem, cujus primi principesque delegati essent quidem Apostoli : verum quum illam fundavit pro mundi duratione, decessu illorum, excipiendi ac veluti propagandi erant succedentibus legatis virisque apostolatus. Id confirmatur denique

c) phrasi usque ad συντέλειαν τοῦ αἰῶνος. Etenim

e) Ex inspecta vi verborum textus græci.

α) αἰὼν ab αἰὲν ὤν ex Aristotele denotat id, quod semper est, ac proinde ipsam æternitatem. Tamen quum per se non dicat id, quod semper fuit, sed solum id, quod semper est, significat illud, quod licet non exstiterit semper, tamen esse non cessavit neque cessabit. Quare ex usu communi præsertim philosophorum id ea voce exprimitur, quod perenne est et ab æterno tamen distinguitur. Hinc idem est ac duratio creaturæ, vel ἁπλῶς duratio temporis, quæ a creatis dependet. Et quandoquidem mundi vocabulo universa creata res exprimi soleat : αἰών idem est ac mundi tempus ac duratio. Immo metonymice causam pro effectu sumendo idem est ac mundus ipse apud scriptores etiam profanos. Verum

β) duratio vitæ humanæ et rarissime per αἰών exprimitur, et ubi per αἰών illa exprimi videtur, ibi ex appositis et contextu id intelligitur : nunquam tamen ita hanc præfert notionem, ut altera sive excludatur, sive etiam non includatur supponaturque. Sic in phrasi præsertim ista, αἰῶνα λιπεῖν, aiunt per αἰῶνα vitam significari. At id solum in certis determinatisque adjunctis occurrit, et simul aliud non significat, quam hanc temporis durationem, mundum relinquere, vel perdere, vel excedere. Quare usu loquendi profano constare existimo, αἰῶνα significare durationem hujus sæculi. Quid vero usu sacro significat? Hunc

γ) non ab illo dissentire plane dici debet, nisi probetur. Ergo præjudicio concludimus, συντέλειαν τοῦ αἰῶνος esse consummationem durationis temporis, sæculi, mundi hujus. Præsertim quod nuspiam alibi εἰς συντέλειαν τοῦ αἰῶνος signi-

ficet in bibliis, usque ad finem vitæ alicujus hominis : idque tum eo minus significet, quum ἁπλῶς et absque alia, unde determinetur definiaturque, voce vel phrasi usurpetur. Verum

δ) per αἰῶν apud LXX. venit hebraicum עלם, i. e., tempus absconditum ideoque tempus, de quo nemo hominum scire aliquid certi potest. Sed id penes scriptores sacros est tempus originum exordiorumque mundi, quum de tempore præterito usurpatur : et quum de futuro, est tempus absolutionis, finisque ejusdem. Hinc tempora remotissima tam antiquitatis, quam posteritatis nonnunquam significat : et iterum ipsos omnes alicujus vitæ dies, ita tamen, ut hæc mutata inflexaque paulum significatio ex adjunctis intelligi colligique debeat. Apud recentiores vero præsertim τὸν κόσμον significat : et לעלם fere nunquam alio occurrit sensu quam, usque in æternum, in perpetuum. Sed N. T. usus desumendus potissimum ex recentioribus judæorum scriptoribus : et occurrit in loco nostro forma similis illi לעלם, εἰς αἰῶνα, immo expressa etiam determinataque magis est ad durationis longitudinem exhibendam. Significatur ergo loco nostro finis hujus mundi. Id quod

ε) ipso expresso N. T. loquendi usu comprobatur. Occurrit enim in eo vix alia significatione quam qua denotat (1), initia, origines rerum, si de præterito sermo sit : vel qua denotat (2) ultima tempora, si de futuro sermo sit, vel perpetuam durationem, vel (3) mundum, vel ævum, sæculum mundique περίοδον (4). Hinc vel ipsa hominum in mundo exsistentium significatur vitæ ratio (5). Quare ex tali usu concludi potest, συντέλειαν τοῦ αἰῶνος esse idem ac συντέλειαν τοῦ κόσμου,

(1) Luc. I. 70., Act. III. 21. (pro נעולם. Gen. VI. 4.), vel ab æterno, Act. XV. 18., Ephes. III. 9., Jud. XXV.

(2) Matth. XXI. 19., Marc. III. 29., Luc. I. 33., Joann. IV. 14. VI. 52. VIII. 35. 52. X. 28. XIII. 8., Gal. I. 4. 5., Eph. III. 20. 21., Apoc. I. 18.

(3) I. Tim. I. 17., Hebr, I. 2., XI, 3.

(4) Luc. XVI. 8., XX. 34 , Ephes. I. 21.

(5) Matth. XIII. 22., Rom. XII. 2., I. Cor. II. 6. III. 18. X. 11., II. Cor. IV. 4., II. Tim. IV. 10.

ut finis idem hujus mundi apud eundem (1) omnino Matthæum vocatur συντέλεια τοῦ αἰῶνος; et limites duarum se excipientium mundi περιόδων a Paulo (2) vocantur τέλη τῶν αἰώνων; et rursum idem αἰῶνος vocabulum eodem sensu apud eundem (3) Matthæum occurrit; et ad futurum transfertur mundum a Luca (4) et Paulo (5) Apostolo. Ergo dubitari nequit, eam, quam Christus instituit, missionis œconomiam non consummatum iri ante finem mundi, sed συντελεῖσθαι cum sæculo, nec eousque destitutum iri sua continua omnipotente divinaque præsentia.

(1) Matth. XIII. 39.
(2) I. Cor. X. 11.
(3) Matth. XII. 32.
(4) Luc. XVIII. 30.
(5) Ephes. I. 21.

A. M. D. G.

FINIS.

INDEX RERUM SYNOPTICUS

Pag.

DE VITA ET SCRIPTIS R. P. CLEMENTIS SCHRADER. . . . . I–XIV

PROLOGUS DE LOCIS THEOLOGICIS UNIVERSIM.

I. — Definitio loci traditur ex Aristotele, Cicerone, Quintiliano. 15
Notio loci theologici 17
De alia loci theologici significatione. 18
II. — Loci theologici semper in ecclesia Dei explorati et usitati fuere. 18
Tractationis de locis theologicis initia ac progressus. 19
Auctores præcipui, qui de locis theologicis scripsere. 19
III. — Locorum partitio in artificiales et inartificiales obtinet etiam in theologia. 20
Loci inartificiales sunt potissimum s. scriptura et divina traditio. 21
Loci artificiales : locus de consequentiis. 22
— — præscriptionum. 23
— — variationum. 23
— — a præjudiciis. 23
IV. — Practicæ pro usu locorum theologicorum regulæ. . 24
Commentarii hujus materia. 25

PARS PRIOR.

DE TESTIBUS FIDEI.

PROŒMIUM. — Qui tractatus ordine prævertant hanc nostram disputationem. 27
Tripliciter accipi sacræ litteræ possunt : polemice, theologice, historice vel philosophice. 28
Quomodo in hac disputatione accipiantur. . . . 28
Nulla petitio principii admittitur in hac tractatione. 28

CAPUT PRIMUM.

DE PROBATIONE FIDEI PER TESTES.

Pag.

LEMMA I. — An fides sit probanda. 29
Eam esse probandam ostenditur ex Hebr. XI. 1. . . 29
De fide accepta objective et subjective, generatim et speciatim (in nota). 30
Confirmatio lemmatis ex auctoritate interpretum loci cit., præsertim Clementis alex. 31
Comprobatio ex eo, quod fides sit virtus eaque excellens. 32
Objicitur, fidei assensum esse supernaturalem : solutio. — Propositio ab Innoc. XI. damnata. . . . 33

LEMMA II. — Cujusmodi debeat esse probatio, quæ ad fidem requiritur. 33
Eam debere esse externam et ab auctoritate petitam ostenditur ex rerum, quibus assensus præbetur, duplici differentia. 34
Comprobatio ex doctrina s. Bernardi, Gregorii de Valentia et s. Augustini. 34
Confirmatio ex propositione a Greg. XI. damnata. . 35

LEMMA III. — Cujusmodi sit et quotuplex fidei respondens auctoritas 35
Hæc ex sese in duplici est differentia : auctoritas instrumentorum, auctoritas testium. 35
Quid in jure veniat nomine instrumenti. 36

LEMMA IV. — De testis vi ac ratione. 36
Est is cujus locutioni citra piaculum denegari assensio nequeat. — Testium vis ex scientia et veracitate prodit. 36

LEMMA V. — Quotuplex est testis. 36
Divinus, humano-divinus, divinitus inspiratus, divina assistentia protectus, et simpliciter humanus. . 36

LEMMA VI. — Ambitus probationis per testes quam late pateat. . 37
Patet diverse pro diversitate testium. 37
Conclusio lemmatum. — Propositio a Greg. XI. condemnata. 37

§ I. — De probatione per testes generatim.

THESIS I. — *Probatio per testes ad faciendam fidem ita comparata est, ut generatim citra manifestam falsitatem repudiari non possit.* 38-42

Demonstratio : repudiata probatione per testes, ordines evertuntur omnes. 38
Comprobatio ex legislatione profana et sacra (in nota). 3

Pag.

THESIS I. *sequitur :*
Confirmatio ex Theophili antiocheni, Arnobii aliorumque auctoritate. 39
Corollarium de assensione mentis homine digna. . . 41
Objectiones : possibilitas absoluta contradictorii . . 41
— distantia temporis et loci 42
— conjecturæ a priori 42
Tres Benti propositiones damnatæ. 42

§ II. — De probatione per testes nominatim in negotio religionis.

THESIS II. — *Probatio per testes ita ex se se comparata est, ut speciatim in ipso etiam religionis negotio ad faciendam fidem admitti debeat* 42-47

Demonstratur propositio tum illatione, tum ex suffragio Majorum, nominatim Eusebii. 43
Confirmatur thesis negative, positive, et ab absurdo. 44
De revelatione bifariam accepta, deque religione naturali (in notis). 44
Colligitur thesis ex communi hominum sensu. . . . 45
Corollarium theseos. — Proscripta Benti propositio. 45
De manichæismo a s. Augustino confutato (in nota). 45
Objectiones desumuntur ex re a testibus tradita. . 46
— —, ex persona testium. . . . 46
— — ex judicio crisique narrationis 47

CAPUT II.

DE PROBATIONE PER TESTES DIVINITUS INSTITUTA.

PROOEMIUM. — Quæstio de convenientia œconomiæ testium. . . 48
Utilitas hujus quæstionis (in nota). 48
Convenientia apparet a parte Dei. 48
— — a parte humani generis. . . 49
— — a parte rei. 49

§ I. — De testium usu ante christianam œconomiam.

THESIS III. — *Probatione per testes ante christianam œconomiam usus est Deus, ut hominum genus salutari religione informaret.* 49-59

Temporis ante christianam œconomiam elapsi divisio in plures epochas. — Doctrina s. Gregorii. . 49

Pag.

THESIS III. *sequitur :*
I. — Considerantur epochæ ab Adam ad Noe, et a Noe ad Abraham. 50
De præceptis generis nostri patribus divinitus patefactis (in nota). 50
II. — Consideratur epocha ab Abraham ad Moysen. . . . 50
Patriarchalis revelatio se extendit mediate ad universam humanam familiam. — Doctrina Theodoreti (in nota). 51
Exponitur Gen. XVIII. 16-19. 52
Idem locus secundum vim hebraici textus perpenditur (in nota). 53
III. — Consideratur epocha a Moyse ad Christum. 53
In hac propositio per testes nunquam defecit. — Doctrina s. Pauli Hebr. III. de Moyse. 54
Quin imo hac in epocha propositio per testes tum tempore antecessit, tum semper comitata est probationem per instrumenta. 56
Illustrationes dictorum (in notis). 57
Recensentur ea, quæ Hebræi ex traditione orali retinebant (in nota). 58

§. II — De usu testium in œconomia christiana instituenda.

THESIS IV. — *In beata temporis plenitudine misit Deus Pater Unigenitum suum tanquam testem, qui partes testis fidelis cumulatissime explevit.* 59-62
I. — Deus Pater misit Unigenitum suum. 59
II. — Eum misit ut testem. 60
Perpenditur Isaiæ LV. 4. (in nota). 60
Exponitur Joann. I. 18. (in nota). 61
III. — Filius Dei perfectissime implevit munus testis. . . . 61
An œconomia testandi continuanda fuit post Christum? 62

THESIS V. — *Christus Jesus, qui uti testis enarravit, quæ vidit in sinu Patris, voluit effecitque ut divina religio per testes porro probaretur ac propagaretur.* 62-66
Demonstratur thesis negative. 62
Demonstratur e dictis factisque Christi ante passionem 63
— ex institutione Christi post resurrectionem. 64
— e doctrina principum Apostolorum. . 64
Exponuntur præsertim, I. Tim. II. 7., Act. X. 40. et XX. 24. (in notis). 65
An officium testium obierunt Apostoli? 66

THESIS VI. — *Pro constituta a Christo œconomia probandæ propagandæque fidei per testes Apostoli munus partesque testium cumulate expleverunt.* 66-68
Probatur thesis illatione, atque tum ex charactere scientifico et morali, tum ex biographia Apostoli. . 66

Pag.

THESIS VI. *sequitur :*
Rationes aliæ afferuntur ex scriptis et actis Apostolorum. 66
Declaratur, Act. I. 17 (in nota). 66
Alia scripturæ loca, potissimum ex Act. App., declarantur (in notis). 67

§ III. De testium in œconomia christiana perpetuitate.

THESIS VII. — *Ratio probandæ propagandæque fidei per testes divinitus instituta ex dignis fide authenticisve instrumentis seu documentis judicari perpetua debet.* . . 69-88

Probatio per testes ex se perpetua esse potest. . . 69
Demonstratur thesis argumento inductionis et analogiæ. 69
Confirmatur ex adhibita vi præjudicii et lege præscriptionis. 70
Colligitur ex scripturis : ex epp. ad Tim. 71
— — ex ep. ad Tit. I. 5 72
— — ex ep. ad Rom. X. 14. . . 73
— — ex verbis Christi apud Matthæum XXVIII. 18. sqq. . 73
Objectiones ex scripturis petitæ. 75
Responsio generalis. 75
Responsio specialis ad singula : Is. LIV. 13. . . . 76
— — Jerem. XXXI. 34. . 77
— — Matthæus XV. 2. et Marc. VII. 5. . . 79
— — Joann. V. 39 . . . 79
— — Joann. XX. 31. . . 81
— — I. Joann. II. 20. . . 81
— — Act. I. 1., XVII. 11. 82
— — I. Cor. IV. 6. . . 84
— — Coloss. II. 8. . . 86
— — II. Tim. III. 14. sqq. 87
Eadem veritas alio argumentorum genere demonstratur. 88

THESIS VIII. — *Eidem perpetuitati stabiliendæ egregie conducit universalis christianæ societatis persuasio, quæ certis monumentis perspicuisque factis manifesto expressa est.* 88-100

I. — Considerantur in primis monumenta ecclesiastica. . . 88
Disertæ veterum assertiones, potissimum Clementis alex., Origenis, Augustini, Theodoreti. 88
Doctrina patrum de fidei regula necessaria et sufficiente, præcipue Irenæi, Tertulliani, Origenis. 89

Pag.

THESIS VIII. *sequitur :*
Doctrina patrum in veterum antistitum catalogis diligenter texendis : testimonia Clementis rom., Fulgentii, Gregorii nysseni aliorumque. 9
Monumenta liturgica. — Verba Theodori andidens. de commemoratione episcoporum in sacra actione. . . 9
Commentarii ss. patrum ad illustranda scripturarum testimonia. 9
II. — Consideratur secundo constans agendi ratio ecclesiæ. . 9
Ratio agendi pastorum in sacris conciliis collectorum. . 9
De concilio nicæno testimonia Athanasii et Cyrilli alex. (in nota). 9
De concilio ephesino testimonium Vincentii lirinens. (in nota). 9
De aliis conciliis usque ad præsens vaticanum testimonia (in nota). 9
Ratio agendi pastorum seorsim contra heterodoxos. — Eximia s. Augustini confessio : Origenis, Epiphanii aliorumque testimonia. 9
Comprobatio ex inspecta historia originis et propagationis ecclesiarum. 9
Objectiones ex ss. patribus : ex Irenæo. 9
— — ex Tertulliano. 9
Corollaria theseos. 10
De ratione fidei propagandæ per biblia, deque societatibus biblicis quid sit sentiendum (in nota). 10

§ IV. — De testium ordine.

THESIS IX. — *Voluntate Christi Domini, Apostolorum auctoritate, christianique nominis doctrina atque historia constat, determinatam esse planeque circumscriptam seriem testium, quibus ministerium probandæ propagandæque fidei commissum est.* 101-10

I. — De voluntate Christi. 10
Ex quibus hæc innotescat (in nota). 10
II. — De auctoritate Apostolorum. 10
Quæ ex horum auctoritate sint certa (in nota). . . . 10
III. — De christiani nominis persuasione. 10
In quibus hæc manifestetur (in notis). 10
Quinam comprehendantur ambitu seu ordine testium fidei. 10

THESIS X. — *Testium series, de qua sermo nobis est, iis comprehenditur, qui in monumentis christianis cum aliis nominibus, tum potissimum appellatione Apostolorum, episcoporum, præpositorum, pastorum doctorumque insigniri solent.* 102-1

Demonstratur thesis : ex dictis. 1

THESIS X. *sequitur :*

Pag.
Demonstratur thesis : ex scripturis, Ephes. IV. 11. sqq. 103
— — ex patribus, Ambrosio, Theodoreto aliisque. 104
— — ex synodis. 104
An et quomodo simplices sacerdotes sint testes fidei. 105
Quomodo ii docti viri, qui ne ad ordinem quidem sacerdotum pertinent. 105
Propositio synodi pistoriensis damnata a Pio VI. . 106
Quo sensu episcopi sint Apostolorum successores. . 106
Quid Apostolis singulis a Christo tributum (in nota). 106
Celebres Cypriani sententiæ (in nota). 107
De successore s. Petri. 107

§ V. — De testium dotibus seu prærogativis.

THESIS XI. — *Testibus jam definitis simulque spectatis dos et prærogativa competit, ut in fide probanda propagandaque authentice atque infallibiliter contestentur.* . 108-125

I. — De authentia. — Authentia testis in quo sita sit . . 108
Demonstratur testes fidei esse authenticos. 108
II. — De infallibilitate. — Quid ea sit. 109
Alia est originalis, alia derivata. 109
Quænam testibus fidei asseratur. 109
Infallibilitas consideratur præ sua causa efficiente, subjecto, objecto, exsecutione, et effectu. 110
Demonstratur testes fidei esse infallibiles. — Testium series spectari potest philosophice, theologice, historice. 110
Spectatur primo philosophice. 111
Spectatur secundo theologice : promissio præsentiæ Christi, Matth. XXVIII. 20. 114
— — promissio Paracliti, Joannis XIV. 16. 26. XVI. 7. XV. 26. 115
— — alia Christi verba, Matth. X. 14. Joann. XIII. 20. . 117
Spectatur tertio historice : pœna anathematis. . . . 118
— — persuasio christianæ societatis. 119
— — triplex exercendi auctoritatem modus 120
Objectio ex Luc. X. 16. solvitur. 121
Objectio altera solvitur. — Quænam ex apostolicis prærogativis transierint in successores et quomodo. . . 122
Corollaria. — De cœtibus qui rejiciunt, et de communione romana, quæ sibi vindicat fidei testes tum authenticos tum infallibiles. 123

PARERGON.

THEOLOGICÆ RATIONIS JUDICIUM DE INSTITUTA OECONOMIA TESTIUM.

Pag.

THESIS XII. — *Probata testium œconomia cum sapientissima haberi, tum necessaria utraque necessitate juridica seu legali, et naturali seu reali, hoc est, quæ ab hypothesi proficiscitur, quæ cum ipsis rerum naturis in præsenti ordine providentiæ conserta est, existimari debet.* 125-136

I. — Sapientia probatæ testium œconomiæ : rationes externæ. 125
— — rationes internæ. 126
II. — Necessitas ejusdem : legalis ac juridica. 127
— — interna ac naturalis. 127
SS. Irenæi, Augustini, Thomæ assertiones. 129
Corollaria totius disputationis. — Agitur de iis potissimum, qui rationem fidei probandæ per testes rejiciunt, quive testium et instrumentorum doctrinam subjiciunt rationis examini : tum de habitu totius revelatæ doctrinæ ad testes. 131

PARS ALTERA.

DE TESTIMONIO SIVE TRADITIONE.

CAPUT PRIMUM.

DE VI AC RATIONE TESTIMONII SEU TRADITIONIS.

§ I. — De traditionis partitione.

LEMMA I. — Testis et testimonium sunt correlata. 137
Divisiones testimonii : divinum, apostolicum, ecclesiasticum 137
— — divinum, divino-apostolicum, apostolicum simpliciter, ecclesiasticum. 138
In quo differant et in quo conveniant testimonium apostolicum simpliciter et testimonium ecclesiasticum (in nota). 138
LEMMA II. — Quomodo testimonium et traditio se habeant ad invicem. 138
Explicatio lemmatis. 138

Pag.

LEMMA III. — De variis acceptionibus traditionis. 139
Traditio spectata active et subjective. 139
— — passive et objective. 140
Traditio tum in scriptura, tum a ss. patribus accipitur sensu modo latiori, modo pressiori. 140
Num Apostoli revelationem totam acceperint ex Christi Domini ore (in nota). 142
Divisiones traditionis : divina, divino-apostolica, apostolica simpliciter, ecclesiastica. 142
— — divina, apostolica, ecclesiastica. 143
— — theoretica, practica. 144
— — inhæsiva, exegetica, pure oralis. 146
Practicæ subdividuntur in morales, rituales ac disciplinares. 144
— — perpetuas et ad tempus duraturas. 145
De ratione ac modo, quo traditio consideratur in hoc commentario, et de quibus traditionibus agatur. 147

THESIS XIII. — *Illud est ex dictis manifestum quod si de christianis traditionibus generatim sermo habeatur, quemadmodum testibus, de quibus superius præstitutum est, sua respondent testimonia sive traditiones : ita pro vario charactere distinguitur merito atque dividitur traditio in divinam seu dominicam, in divino-apostolicam, apostolicam et ecclesiasticam : spectata vero origine vel auctoritate, cui eædem innituntur, ac dignitate, quam præferunt, traditio apte diribetur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam.* . . 149

Explicatio theseos ex iis, quæ in lemmatis sunt præstituta. 149

§. II — De traditionis uti theologici fontis exsistentia ac perpetuitate.

THESIS XIV. — *Illud pariter ex dictis manifestum est, quod si traditionum dogmaticarum ratio habeatur : testimoniis seu traditionibus divinis sive dominicis atque divino-apostolicis verissima inest ratio loci theologici, e quo verbum Dei revelatum divinaque dogmata repeti debent atque probari.* 149-154

Variæ protestantium sententiæ de admittenda traditione tanquam divinorum dogmatum theologica sede (in nota). 150
Demonstratur thesis : ex rei natura. 150

Pag.

THESIS XIV. *sequitur :*
Demonstratur thesis : ex testium charactere et habitu. 151
— — ex scriptt. : præsertim I. Thess. c. II. 13. aliisque Pauli epp. 153
— — ex cœtus fidelium persuasione constante 154
Expleta quæstione de exsistentia, inquirendum est in traditionis uti theologici fontis perpetuitatem. . 154

THESIS XV. — *Ratio loci theologici, quæ divinæ atque divino-apostolicæ traditioni asserta est, non temporaria sed perpetua existimari debet.* 154-174

Patet thesis ex probata perpetuitate testium. . . 154
Demonstratur e considerata ratione testium Apostolis succedentium. — Verba auctoris epistolæ ad Diognetum. 154
Argumentum negans : factam fuisse immutationem circa testium traditionisque œconomiam, gratis omnino asseritur 155
De iis qui aiunt immutationem hanc fuisse factam a sæculo quarto post nicænum concilium (in nota). 156
Argumentum affirmans, ex persuasione christianæ antiquitatis. — Tria expenduntur 156
Expenditur primo (didactice) doctrina ss. patrum priorum quinque sæculorum : s. Ignatii 157
— — s. Polycarpi . . . 157
— — s. Irenæi 158
— — Tertulliani. . . . 159
— — Clementis alex . . 160
— — Origenis 162
— — s. Athanasii . . . 163
— — s. Epiphanii . . . 164
— — s. Basilii M. . . . 165
— — s. Joann. Chrysost. 165
— — s. Cyrilli alex. . . 165
— — s. Hieronymi . . . 166
— — s. Augustini . . . 167
Expenditur secundo (historice) ratio agendi societatis christianæ, præsertim in conciliis usque ad vaticanum. 167
Expenditur tertio (polemice) ratio agendi societatis christianæ contra hæreticos vel novatores . . . 170
Confirmatur tandem thesis ex inspecta sentiendi et agendi ratione ipsorum hæreticorum. 172
De traditionis auctoritate et usu post nicænum concilium (in nota). 173
Summa et conclusio totius institutæ probationis. . 173

Pag.

THESIS XVI. — *Asserta traditioni generatim divinæ perpetuitas fontis locive theologici indubitata revelationis christianæ divinæque fidei veritas credenda est, et omnes adeo societates nominis christiani, quæ hac illam dignitate exuunt, ab instituto per Christum probandæ fidei suæ fonte, ipsoque principali divinæ fidei articulo excidunt.* 174

I. — Statuitur fidei dogma de traditione generatim divina eademque perpetua. 174
II. — Impugnantur ii qui hoc fidei dogma negant. . . . 174

§ III. **De traditionis ut theologici fontis amplitudine.**

THESIS XVII. — *Traditio, quam perpetuam ostendimus, ita fons est totius revelationis ac fidei christianæ, ut plurium dogmatum locus unicus exsistat.* 175-185

I. — Traditio in primis se extendit ad totam veritatem credendam 175
Id demonstratur ex dictis de ministerio testium. . . 176
— — ex traditionis activæ amplitudine. . 176
— — ex testium authenticorum judicio. . 176
— — ex decretis conc. VII. et VIII. . . . 176
II. — Sed præterea plura dogmata non aliunde, quam ex traditione constant. 176
Id probatur (exegetice) ex commentariis Majorum in s. Pauli epp., Chrysostomi præcipue ac Damasceni. 177
Demonstratur (didactice) ex doctrina ss. pp., præsertim Irenæi, Tertulliani, Cypriani. 177
Confirmatur ex enumeratione doctrinæ capitum, quæ sine ullo decretorio scripturæ testimonio creduntur. 179
Quæ ab Augustino ex sola traditione apostolica repetebantur (in nota). 179
S. Basilii egregia de hac re disputatio. 180
M. Becani de eadem re doctrina (in nota). 183
Arguitur (polemice) ex historia hæresum. 184
Conclusio de habitu traditionis oralis ad s. scripturam. — Doctrina s. Irenæi. 185

§ IV. — **De necessitate traditionis ac dignitate.**

THESIS XVIII. — *Secundum præstituta de christianæ fidei œconomia, divinæ traditionis est suprema itemque multiplex necessitas, tum spectata rerum, quas illa continet, doctrinarumve substantia, summa dignitas et auctoritas.* 185-191

I. — Necessitas traditionis generatim probatur ex dictis de testibus. 185

Pag.

THESIS XVIII. *sequitur :*

Necessitas traditionis speciatim : legalis ac juridica. . 186
— — subjectiva 186
— — objectiva seu dogmatica. 185
— — exegetica 186
— — canonica seu regularis. 187
— — polemica. 188
Testimonia ss. pp., potissimum Vincentii lirin. et Basilii : doctrina Dion. Petavii (in notis). 186
Vincentius lirin. de necessitate traditionis tum regulari tum polemica 187
II. — De dignitate traditionis : ex ejus origine. 189
— — ex propria ejus natura. . . 189
— — ex Apostoli declarationibus. 189
— — ex confessione societatis christianæ. 189
Corollaria de societatibus religiosis repudiantibus et de romana ecclesia admittente divinam traditionem. . 190

Exceptionibus occurritur.

I. — Exceptiones e scripturis petitæ : Deuter. IV. 2. . . 191
— — Gal. I. 8. 192
An et quænam traditio in scripturis reprobetur . . . 194
II. — Exceptiones e ss. patribus : s. Basilio M. 194
— — s. Cyrillo hieros. . . . 195
— — s. Hieronymo 195
— — s. Augustino. 195
De mente sententiaque s. Cyrilli (in nota). 194
In quædam Constantini imp. verba animadversiones (in nota). 196
Petavii explicatio de allatis patrum sententiis (in notis). 197

CAPUT II.

DE PRÆSIDIIS PER QUÆ TRADITIO INFALLIBILITER INNOTESCIT.

PROŒMIUM. — Necessitas hujus tractationis. 199
Exsistentia ejusmodi præsidiorum negatur ab hæreticis. 200

THESIS XIX. — *Suppetunt præsidia, quibus divinæ atque apostolico-divinæ traditiones infallibiliter cognoscantur.*

Pag.

Hæc inter priori loco censeri debet singulis editum ætatibus testimonium judiciumve testium authenticorum. 201-206

Colligitur thesis ex iis, quæ jam sunt statuta. . 201
Perinde est ac minime ad rei caput pertinet sive testes collecti, sive dispersi testimonium edant. — Auctoritas ss. Augustini et Cœlestini papæ. 202
Confirmatur thesis ex inspecta ratione testandi, quam constanter adhibuere testes. — Exempla ss. Athanasii et Basilii. 203
Demonstratur ex conc. vaticano. 205
Corollaria theseos. 205
Generali huic præsidio alterum accedit magis particulare. 206

THESIS XX. — *Censeri deinde Majorum auctoritate ejusmodi præsidium debet concors illarum ecclesiarum prædicatio atque sententia, quæ proprie ac presse apostolicæ nuncupantur.* 207-214

Quænam sint ecclesiæ proprie ac presse apostolicæ. 207
Quænam a Tertulliano requirantur ad rationem ecclesiæ apostolicæ. . . . . .
Demonstratur thesis ex diserta doctrina Majorum, potissimum Tertulliani. 208
Confirmatur ex eorumdem doctrina de necessitate communionis cum ecclesiis apostolicis. — Verba s. Augustini, Pelagii I. et II. 209
Quæritur, utrum, aliis ecclesiis apostolicis deficientibus ac deperditis, statuta præsidii ratio permaneat apud eas vel eam, quæ durant vel durat. 211
Præclara hac de re doctrina in concilio VIII. consignata. 211
An et quo sensu præsidium hoc positum in suffragio ecclesiarum apostolicarum sit constans ac perpetuum. 213
Accedit aliud magis compendiosum præsidium. . 213

THESIS XXI. — *Sepositis in præsentia certis hypothesibus, infinite simpliciterque dicendum, in eundem præsidiorum censum e veterum doctrina referri debere judicium suffragiumque cathedræ Petri romanæque ecclesiæ* 214-231

Thesis colligitur ex allatis superius rationum momentis. 214
Demonstratur ex doctrina Majorum : s. Irenæi. . 215
— — Tertulliani. . 215

Pag.

THESIS XXI. *sequitur* :

Demonstratur ex doctrina Majorum : s. Cypriani m. 215
— — s. Paciani barc. 215
— — s. Optati milev. 215
— — s. Ambrosii. . 215
— — s. Hieronymi . 215
— — s. Augustini . 215
— — s. Epiphanii. . 217
— — Theodoreti. . 217
Probatur ex professione conciliorum : chalcedonensis. . 218
— — aquileiensis. 218
— — ephesini. . 218
— — Numidiæ, Byzacenæ et Mauritaniæ. . 219
Confirmatur ex publicis solemnibusque liturgiis. 219
Exempla quædam liturgica (in nota). 219
Colligitur ex actis, quibus romani pontifices præformarunt definitiones conciliorum generalium. 220
Colligitur ex aliis actis scriptisque pontificum romanorum : s. Leonis M. 220
— s. Innocentii I. 221
— s. Cœlestini I. 222
— s. Gelasii 223
— s. Hormisdæ 223
Comprobatur ex modo agendi Majorum in controversiis de schismate deque unitate ecclesiæ. . 224
Exempla afferuntur ex Damaso, Ambrosio, Augustino et Maximo (in notis). 224
Corollaria tractationis hujus de præsidiis. . . 226
Corollaria magis adhuc particularia. — Vera traditionis notio : exponitur etiam quinam sint articuli fide catholica tenendi. 228
Animadversiones in quædam protestantium effata (in notis). 229

CAPUT III.

DE TRADITIONIS MEDIIS RATIONEQUE EAM COGNOSCENDI.

PROŒMIUM. — Traditio divina fuit variis monumentorum generibus consignata. 232
Quam convenienter et sapienter id factum fuerit. 233
Declaratur habitus inter traditionem divinam et illiusmodi monumenta. 234

PROOEMIUM *sequitur* :

Pag.

Quo sensu monumenta illa sint locus et fons verbi Dei. 234
Quo sensu eadem dici possint medium universale sufficiensque fidei. 235
Ad hoc medium aliter referuntur testes authentici, et aliter singuli quique fideles. 235
Quid ratio humana assequi valeat in hujusmodi monumentis explorandis. 235

THESIS XXII. — *Facto discrimine inter organum per quod, medium quo, et objectum quod cognoscitur, affirmari debet, conspiratione atque summa monumentorum christianorum objectivum contineri fontem locumque infallibilem, e quo notitia divinæ ac divino-apostolicæ traditionis rationis organo certissime hauriatur.* 235-241

De discrimine inter organum per quod, medium quo, et objectum quod cognoscitur. 235
Organon duplicis est ordinis. 236
Utriusque comparatio quoad subjectum, auctoritatem, characterem, finem seu fructum præstitutum. 236
Ut præstitutus hic fructus hauriatur, quomodo organon rationis comparatum esse debeat, et quænam esse monumenta debeant. 238
An et quomodo hæreticorum scriptis sit utendum. — Doctrina Theodoreti (in nota). 238
Demonstratur thesis theoremate philosophico. . 239
— — historica inductione. . . 239
— — consideratione theologica. . 239
— — argumento ad hominem. . 239
— — aliis rationum momentis. . 240

CAPUT IV.

DE REGULIS QUIBUS GENUINÆ TRADITIONES COGNOSCUNTUR.

§ I. — De regularum sententia et vi.

PROOEMIUM. — De necessitate regularum ad genuinas traditiones cognoscendas. 241
De regula s. Vincentii lirinensis. 241

THESIS XXIII. — *Ad ea autem certo assequenda, quæ in summa monumentorum comprehensa ad divinam pertinent revelationem, in primis et citra erroris periculum*

Pag.

conducit regula a Vincentio lirinensi his fere verbis concepta: Tenendum esse quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est; sive sequendam esse antiquitatem, universitatem, consensionem. 241-242

Demonstratur thesis argumento positivo. . . . 241
— — negativo. . . . 242
De regula s. Augustini. 242

THESIS XXIV. — *Eodem spectat, quanquam paulo sit laxior, regula ab Augustino frequenter inculcata: Quod universa tenet ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* . . 242-244

I. — Ostenditur Augustinum hanc frequenter regulam inculcasse. 242
II. — Probatur regulam Augustini quoad rei caput convenire cum regula Vincentii. 242
III. — Declaratur Augustini canonem esse paulo laxiorem canone Vincentiano. 242
IV. — Asseritur regulam Augustini esse parem traditionibus divinis tuto cognoscendis. 243
De jejunii quadragesimalis lege (in nota). . . . 243
Undenam hanc regulam Vincentius et Augustinus hauserunt 244

THESIS XXV. — *Eo autem pluris Augustini ac Vincentii regula facienda est, quo evidentius constat, illam in scripturis fundatam et ecclesiasticam esse.* . . 244-251

I. — Demonstratur regulam hanc esse biblicam. . . . 244
Adferuntur loca V. et N. T. quoad antiquitatem. . . 245
— — quoad consensionem. . . 246
— — quoad universitatem. . . 247
— — quoad tria hæc simul. . 247
II. — Demonstratur eandem esse ecclesiasticam. . . . 248
Adferuntur auctoritates s. Irenæi. 248
— — Tertulliani 249
— — s. Basilii. 249
Accedit suffragium ipsorum hæreticorum. 250
Corollaria theseos 250
Scholion in quo quatuor aliæ regulæ, eæque theologicæ enuntur. 251

§. II — De regularum usu.

PROŒMIUM. — Scopus præsentis disquisitionis. 251
Utilitas ejusdem, imo et necessitas. 251

Pag.

THESIS XXVI. — *Ut vero sincerus sit atque expeditus utriusque regulæ usus, animadvertendum est :* I. *comperta antiquitate nihil præterea requiri;* II. *antiquitatem cum universitate et consensione non semper necessario cohærere; at vero* III. *universitatem juxta ac consensionem cum antiquitate semper et necessario conjungi; proindeque* IV. *regulam Vincentii prolatam verbis, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus, esse quidem positive verissimam, sed dempta antiquitate urgeri negative non posse.* 252-268

I. — Probatur, comperta antiquitate nihil præterea requiri. 252
Id ostenditur ex ipsis rerum naturis. 252
— ex sacris scripturis 253
— ex auctoritate Majorum. 253
— ex actis ephesini concilii (in nota) . . 253
— ex s. Irenæo et Tertulliano (in nota) . 254
— ex sententiis Stephani et Cœlestini pp. 255

II. — Demonstratur, cum antiquitate non necessario neque semper consertas esse alias duas notas consensionis et universitatis 255
Id colligitur ex luculenta s. Augustini declaratione. . 255
Quænam fuerit mens s. Augustini de Cypriani aliorumque rebaptizantium sententia, Stephanique adversus eos œconomia (in nota). 256
Idem confirmatur ex verbis Leonis M. 256
— — Augustini. 257
— — Vincentii lirin 258
Idem deducitur ex historia dogmatum. 258

III. — Probatur, universitatem et consensionem semper et necessario conjungi cum antiquitate. 259
Id ostenditur ex testimonio Augustini. 259
— — Basilii. 259
— — Tertulliani. 260

IV. — Concluditur canonem lirinensem positive acceptum esse verissimum, sed negative urgeri præ complexione trium simul notarum non posse. 261
Excipitur antiquitas, quæ vel negative urgeri semper potest. 261
Corollaria de christianæ veritatis indole. — Quem profectum christiana veritas admittit, quem renuit. 262
An ad certum de priorum sæculorum fide ferendum judicium necesse sit singula eorum scrutari. . . 262

THESIS XXVII. — *Distincta antiquitate ab universitate et consensione, firmis rationum momentis statuitur, ad illam certo cognoscendam necessarium nullatenus esse singulare eorum examen, quæ tribus prioribus*

Pag.

ecclesiæ sæculis dicta fuerunt, verum sufficere, si sententia sæculi quarti et quinti comperta habeatur 263–270

Demonstratur ex ratione agendi conciliorum. . 263
— — patrum seorsim. 263
Probatur ex inspecto patrum, speciatim quarti quintique sæculi, charactere traditionali, historico, theologico seu dogmatico. 265
Testimonia Athanasii, Hieronymi, Augustini et Cœlestini I. (in nota). 265
Concluditur ex thesi, securam et compendiosam haberi viam, qua de antiquitate constare possit. 267
De disciplina arcani, ob quam prioribus sæculis non omnia dogmata fuere monumentis perspicue consignata. 267
Idem de aliis dogmatibus accidit, eo quod illa pacificam prioribus sæculis possessionem haberent. 268
Utrum priorum sæculorum monumenta pauca et rara exstiterint sæculo quarto et quinto. — Testimonia Eusebii, Tertulliani, et Hieronymi. . 269

CAPUT V.

DE ALIQUOT MEDIIS SPECIATIM QUIBUS TRADITA VERITAS COGNOSCITUR.

§ I. — De patribus.

PROOEMIUM. — Unde et quando alicui appellatio patris tribuatur. 271
Auctoritas adfertur Irenæi 271
— — Clementis alex. 272
— — Augustini. 273
— — Hieronymi. 273
— — s. Pauli Ap. 274
De Christi Domini sententia apud Matth. XXIII. 9. (in nota). 274
Patres nominantur ii, qui in docendo auctoritate excellunt. 275
Ad patris rationem requiritur præstans quædam vel certe relativa antiquitas. 276
Item eximia requiritur doctrina et præclara morum sanctimonia. 276
Ecclesiæ patris descriptio ex Mabillonio. . . . 277
De variis, in quas patres diribentur, classibus seu ordinibus. 277
De distinctione inter patrem et doctorem presse acceptum. — Doctoris descriptio a Mabillonio, Bonifacio VIII. et Bened. XIV. tradita. . . . 280

Pag.

PROOEMIUM *sequitur :*
A patribus et doctoribus presse acceptis distinguuntur scriptores ecclesiastici. 281
Quomodo horum suffragium usurpandum ad dogmata comprobanda (in nota) 282

THESIS XXVIII. — *Quod de summa monumentorum christianorum tanquam de loco objective infallibili, e quo notitia divinæ traditionis certissime hauriatur, in antecessum præstituimus, id nominatim de omnium patrum consensione pari jure repetendum est.* 283-290

Probatio : spectantur pp. a scientia seu litterarie. 283
— — a moribus seu ethice. . 283
— — a charactere sacro seu hierarchice. . . . 284
— — a ratione patris seu formaliter. 285
— — theologice ac juridice. . 285
De patribus sic inspectis insignia adferuntur dicta s. Augustini, s. Maximi, Leontii byzant., Theodoreti ac patrum synodi VII. et VIII. (in notis). 285
Probatio altera e christiani nominis persuasione. 287
Illustria Cyrilli alex., Vincentii lirin., Mansueti mediol. ep., aliorumque effata (in notis). . . 287
Testimonia ex concill.: ex conc. lateran. sub Mart. I. 287
— — ex conc. VII., nicæno II. . 288
— — ex conc. VIII., constantinop. III. 289
— — ex syn. trident. . . . 289
— — ex syn. vatic. 289
Excerpta ex actis Pii papæ IX. 289
An pretium, quod omnium consensui patrum inest, insit quoque suffragio patrum numero plurium. 290

THESIS XXIX. — *Quod omnium consensioni patrum objective asseritur, idipsum tribuendum quoque est* I. *explorato occidentalium omnium suffragio; tum* II. *cæteris minime reclamantibus, conspirationi patrum numero plurium, doctrinæ ac famæ celebritate insignium, qui diversis ætatibus diversisque locis inclaruerint.* 290-299

I. — De unanimi occidentalium omnium suffragio. . . 290
Disputatio hac de re s. Augustini. 291
Auctoritates aliorum, nominatim Gregorii I. magni et Gersonis cancellar. paris. (in nota). 291
Oratio de eadem re Bessarionis in conc. florent. . 292
Quatuor Bossueti principia de traditione (in nota). . 294

Pag.

THESIS XXIX. *sequitur :*
II. — Altera enunciatæ theseos pars. 294
Testificatiò Vincentii lirin. de syn. ephesina. . . . 294
— Augustini contra Julianum. 296
Argumentum ex ipsa rei natura petitum. 298
An ex pauciorum adhuc patrum consensu certiores reddi possumus de omnium pp. suffragio deque divina traditione 299

THESIS XXX. — *Idipsum tribuendum quoque esse constat doctrinæ patrum, numero licet pauciorum, si iidem citra aliorum oppositionem certis in adjunctis tuto fidenterque suam pronuntiarint sententiam vel ad Majorum etiam traditionem provocarint.* 299–305

Enumerantur adjuncta, quæ in thesi innuuntur. 299
Probatio ex ipsa rei spectata natura. 300
— ex sentiendi agendique ratione Majorum. 300
— ex disputatione Augustini cont. Jul. . 301
— ex oratione Georg. Scholar. in conc. flor. 302
— ex verbis Bessarionis in eodem conc. . 304
— ex sententia s. Leonis M. 304
— ex universali theologorum usu. . . . 304
Quæstio proponitur de patribus inter se dissentientibus. 304

THESIS XXXI. — *Quemadmodum improbari omnino debent, qui facile patrum dissensus comminiscuntur : ita si forte aliquando contigerit, ut iidem in diversa concesserint, tenendum est, tum colligi certo posse, per quos veluti sinceros canales divina traditio ad nos usque defluxerit, quum constiterit : 1. de consensu præcedente; 2. insecuti dissensus rationes aliunde quam ex Majorum traditione fuisse depromptas; 3. dissentientibus illico repugnatum fuisse; 4. dissensione in dies deficiente prævaluisse rursus antecedentem consensum; et 5. denique peremptorio judicio dissensum fuisse sublatum* 305–315

I. — Improbandi illi, qui facile patrum dissensus opponunt. 305
Improbantur a synodis, patribus et doctissimis quibusque viris. 306
Plura adferuntur exempla, nominatim Cassiani, Cyrilli alex., Bessarionis, et Leonis M. (in notis). . . . 306
Improbandi sunt ex inspecto patrum charactere . . 307
Verba hac de re auctoris hom. de pseudo-prophetis. 308
— — Bessarionis in conc. flor 308
— — Theodoreti. 308
— — Fulgentii ruspens. 309

Pag.

THESIS XXXI. *sequitur :*

Improbandi, quia fidem ipsam in discrimen adducunt. 309
Affirmant s. Hilarius doctor et ep. pictav. ac Georgius Scholarius (in nota). 309
Improbandi, quia favent hæreticis. 309
Verba ex orat. dogmat. Bessarionis (in nota). 309
II. — Dissensus patrum potuit contingere, et reapse aliquando contigit. 310
Quomodo dignosci tunc possit, a qua parte stet veritas. — Quatuor exhibentur criteria. 310
Corollaria. — De discrimine, quod a quibusdam fit inter patres uti testes et uti doctores. 311
Quid censendum de sententia unius alteriusve scriptoris antiqui ab aliis discedentis. — Propositio ab Alex. VIII. damnata : judicium Vinc. lirin. de vero germanoque catholico. 312
Quænam singulis seorsim patribus insit auctoritas. — Augustini hac de re doctrina. 313
Quanta pietate ac reverentia prosequi ss. pp. debemus. — Facund. hermian. verba. 314
Quantopere theologus debeat in sanctis patribus versari. 315

§. II — De scholis christianis.

THESIS XXXII. — *Christiana scholarum institutio et illorum de fide concors doctrina, qui secundum patres editis de religione operibus in unitate catholica singulis ætatibus floruerunt, talis existimari debet, quæ cum patrum consensione non immerito comparetur.* 316-321

Ætati patrum ætas successit doctorum scholæ. 316
Probatur thesis ex inspectis principiis theoreticis, quibus catholici doctores se regunt. . . . 317
Accedit scholæ consensionem æquivalere ipsius ecclesiæ doctrinæ. 317
Argumentum ex historia ductum. 317
Depositi custodes tutelam scholæ semper suscepere. — Exempla Martini V., Pii VII., Gregorii XVI., Pii IX. 318
Scholion. — Tria cum Melch. Cano statuuntur pro recto usu doctorum scholæ. 320
Quid agendum, cum doctores scholæ etiam multi consentiunt, sed alii contra pugnant viri graves et docti. — Distinctio inter scholæ placita seu decreta, et præcepta sectæ seu theologorum opiniones. 321

Pag

THESIS XXXII. *sequitur :*

Quid, cum unanimis omnium doctorum scholæ consensus in re gravi obtinet. 32
Quid, cum concors habetur omnium doctorum scholæ de fide aut moribus sententia. . . . 32

§ III. — De consensu fidelium.

THESIS XXXIII. — *Quum de iis sermo est, quæ ad fidem et mores bonamve vitam referuntur, fidelium consensus et unanimis christianorum suffragatio vel explicita communique professione declarata, vel implicita factisque contenta, iis accensenda criteriis est, quibus revelata doctrina certo innotescit.* 323-32

Deducitur ex mente patrum, ac præcipue Hieronymi, Vincentii lirin., Cassiani, Basilii, Augustini 323
Colligitur e theologis. — Doctrina Gregorii de Valentia. 32
Probatur ex ipsis rerum naturis. 32
Tres adsignantur regulæ pro usu hujus criterii. 32

PARERGON.

DE HABITU INTER TESTES ET INSTRUMENTA, TRADITIONEM ET SCRIPTURAM.

THESIS XXXIV. — *De habitu, quo se testes et instrumenta, traditio et scriptura excipiunt, constitui* I. *debet, testes et traditionem tempore antevertere, instrumenta vero sive scripturas tempore subsequi.* . 327-32

Demonstratio theseos 32
Corollarium 32

THESIS XXXV. — *Constitui debet* II. *spectato objecto, instrumenta seu scripturas ad testes ac traditionem habitu referri partis ad totum.* 328-33

Probatur thesis ex præstitutis de traditione . . 32
— — ex patrum sententiis. 32
— — ex modo dirimendi controversias. 32
— — ex ipsa ratione scripturarum. . 32
— — ex scripturarum testimoniis . . 32
Corollarium thesos. 33

Pag.

THESIS XXXVI. — *Constitui* III. *debet, non aliter semet ad instrumenta seu scripturas testes habere ac traditionem, quam ad textum se habet authenticus commentarius* 330-332

Demonstratur ex fine scripturarum. 330
— ex earundem origine. 331
— ex aliis rationum momentis. . . 331
— ex suffragio patrum. 331
Concluditur commentarius insigni s. Vincentii lirinensis oratione. 331

APPENDIX.

De Matth. XXVIII. 20. : Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, genuina significandi potestate. 332-345

539 — PARIS, IMPRIMERIE LALOUX Fils et GUILLOT
7, rue des Canettes, 7

216
SCH69

3396

AUTHOR SCHRADER, CLEMENT

TITLE De Theologico Testium Fonte

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Mara	

STORAGE - CBPL

3396